2

VICTORINI STRIGELII VIRI CL.

IN IVSTINVM TROGI ABBREVIATOREM

Commentarius,

IN QVO PRÆCIPVÆ HISTORIÆ, quas hæc Epitome strictim recitat, ex Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Plutarcho, Liuio, ceterisq. huius notæ Græcis pariter ac Romanis scriptoribus fusius ac prolixius exponuntur.



URSELLIS
Ex Officina Cornelij Sutorij, sumtibus
Lazari Zetzneri, Bibliop. Argen.

Anno M. DCII.

ORATIO DE HISTORIA RECITATA A DOMINO VICTORINO Strigelio in præfatione Iustini. 4. Maij. Anno Christi 1551.

QVOTIES *considero rationem studiorum atq; exercitiorum, quæ sapientissimis hominibus, Patribus, & Prophetis vsitata fuit, quatuor artes reperio, in quibus præstantissima ingenia consumta esse, apparet.*

Vna est, si tamen artem eam nominare fas est, doctrina de religione rebusq; diuinis, quæ omnium non modo artiũ, sed etiam consiliorum, & actionum dux & moderatrix in vita esse debet. I.

Altera est ars Medica, cuius appellatione etiam Physicam complectimur. II.

Tertia est doctrina de legibus motuum cælestium. III.

Quarta, quæ insignia exempla literis memoriaque mandat, & ob eam causam Historia appellatur. Etsi enim omnes artes generi humano vtiles à primis hominibus inuentæ, & constitutæ sunt: tamen in his quatuor, quas recensui, summa cura & studio Patres, & Prophetæ versati sunt. IV.

Nam propter hanc causam genus humanum præci-

pue conditū & propagatum est, vt simus templa Dei, & Deus vere agnoscatur, & iuxa normam verbi ab ipso traditi non solum in hac vita colatur, sed etiam in omni æternitate celebretur. Hinc finem optimum, & pulcerrimum conditionis nostræ, cum Patres & Prophetæ intelligerent, præcipue in hoc vnum incumbebant, vt Deum vere agnoscerent, & iter suum ad portum æternæ beatitudinis dirigerent.

Deinde quia non ignorabant se in fragili domicilio habitare, studiose naturas plantarum inquirebāt, quarum alijs aliæ vires insitæ sunt, vt varios morbos depellant. Cum autem scirent, ecclesiam nōn habere fixam & stabilem sedem in terris, cœlum tanquam patriam Physicis oculis contemplati sunt atque illius consideratione ascensionem de prouidentia & spem futuræ vitæ in animis confirmarunt.

Ac ne posteritas ignara esset certaminum, in quibus ipsi versati erant, & diuinarum liberationum, sed harum rerum cogitatione se ad timorem Dei, & ad fiduciam auxilij diuini excitaret, bono certe & laudabili consilio monumentis comprehenderunt ea, quæ ad pietatem alendum maxime profutura videbantur. Quare cum Patrum & Prophetarum discipuli simus, in his potissimum elaboremus, quæ à magistris probata videmus, ac semper studio doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ cōiungamus particulas artis medicæ, Astronomiæ, & historiarum. Vt enim Plato felicem eum prædicat, cui vel in senectute contigerit, non vt scientiam, sed vt veras opiniones assequatur: sic mihi beatus videtur, qui in hac languida senecta mundi, non dico integram harum maximarum artium cognitionem, quod fieri non potest, sed aliquas insignes particulas adeptus est. Sed quoniam de studio trium doctrinarum, Theologiæ,

Physicæ & Astronomiæ ab alijs sæpenumero sapienter & ornate disputatum est, nunc de historia tantum dicam, ad commonefaciendos iuniores, vt cogitent nō postremam partem esse studiorum eam diligentiam, quæ lectioni historiarum tribuitur. Ne autem in immensum nostra vagetur oratio, quatuor eam limitibus concludam, & coercebo.

Primum enim dicam, quam necessaira sit ecclesiæ cognitio historiarum: deinde quantum ornamentum sit naturæ humanæ: tertio, quas vtilitas homini vitæ afferat: postremo quam iucunda & suauis sit alienorum consiliorum, & euentuum consideratio. In his locis explicandis dum pro mea mediocritate versabor, vos ipsi, vt qualemcunq; orationem benigne, attenteque audiatis amanter rogo. Quemadmodum autem à Deo omnium bonarum actionum principia ducenda sunt: ita nos in vestibulo orationis nostræ studiose illud quæramus, sit ne eius voluntate sancita, & commendata ecclesiæ historiarum cognitio. Hac enim sententia constituta, quod Deus velit, & approbet diligentiam legendi monumenta rerum gestarū, nemo omnium tam immanis erit, qui neget historias ecclesiæ necessarias esse. Sit igitur hoc iam à principio persuasum omnibus, Deum velle, vt pij certam seriem annorum inde vsq; ab initio mundi cognitione & memoria cōprehensam teneant. Nisi enim hæc series, & continuatio nota esset, mens retro spectans, ac solicite quærens originem mundi in eas tenebras mergeretur, in quas Aristoteles, & reliqui Philosophi inciderunt, somniantes horum corporum, quæ cernimus, infinitam æternitatem.

Deinde certum est, Deum velle cognosci & percipi, quæ prima sit doctrina de essentia Dei, & voluntate,

& quando, vbi, quibus testimonijs aperta & patefacta sit, vt discerni à commentis religionum cęterarũ ecclesię sapientia posit. Rect.n.in dijudicandis religionibus illud Tertulliani sequimur, vt verũ esse, quodcunq. primum, statuamus; adulterinũ, quodcunque posterius. Quare cũ nõ dubium sit, ecclesię doctrinã antiquiorem esse alijs religionibus, quę à prima puritate discesserũt, & varia idola excogitarunt. grato pectore eã amplectamur, reiectis ac repudiatis delirantiũ sectarum somnijs, quorũ tãta absurditas est, vt notitijs naturalibus, quas Deus humanę menti insculpsit, è diametro repugnent & aduersentur. Porro sicut ecclesiam Patrum & Prophetarum Deus voluit scire, quando Messias aduenturus esset, eiúsq; ob rem imperiorum ordinem constituit; ita vult nunc quoq; vniuersum genus humanũ scire, quo tempore natus sit filius ex virgine, ne animi vagantes varios mediatores quęrant. Necesse est etiam hanc cogitationem à pijs suscipi, Vbi fuerit prima sedes ecclesię, & quales fuerint migrationes huius agminis ex florentissimis prouincijs in ea loca,

Tigris vbi rara campis
Arbor æstiua recreatur vmbra.
Quod latus mundi nebulæ malusq;
Iupiter vrgent.

Item q mirabiliter Deus seruarit ecclesiam in imperijs tanquam in sinu Medeæ nidificantem, aut pullos excludentem in mari Siculo, quod non modo experientibus, vt Augustinus inquit, sed etiam procul videntibus terribile est. Harum maximarum rerum interualla, vt discerni conspicuis limitibus possent, Deus mirando consilio, & bonitate, quem celebrare decet, continuã historiam ecclesię tradidit, non solum in monumentis Prophetices & Apostolicis, sed etiam alijs bona fide scriptis. Quis enim non iure miretur Herodotum pertexere

histo-

historiam de rebus Aegyptijs, & Persicis, quas nostri vates Ieremias, & Daniel tantum incoarunt? Vt autem miles militi in acie succedit, sic Herodoti vestigia Thucydides, & Xenophon sequuntur. Deinde ne Macedonici & Romani imperij ignari essemus, exstiterũt Diodorus Siculus, Polybius, Titus Liuius & alij complures, qui initia, progressiones & conuersiones horum imperiorum literis illustrarunt. Age vero ne semper de peregrinis scriptoribus dicamus; quis ignorat in populo Dei semper aliquos fuisse, qui optima fide historiam de periculis, & mirandis liberationibus ecclesiæ contexerent? Iosephus quidem, & Philo Iudæi res suæ gentis, in qua tunc erat Dei vera ecclesia à reditu ex Babylone, vsq; ad postremum Ierusolymorum excidium optima & verissima narratione complexi sunt. Quæ autẽ certamina ecclesiæ collectæ per Apostolos cum tyrannis, & hæreticis vsq; ad Augustini tempora fuerint, luculenter exponunt Eusebius, Theodoritus, Nicephorus, Epiphanius. Post Augustinum omnia velut in corpore senili cœperunt fieri languidiora, nec tanta diligentia, quantam laudati scriptores præstiterunt, monumenta ecclesiæ aut collecta aut asseruata fuere. Inter pontificum scelera multæ res memorabiles obliuione sepultæ sunt, quæ videbantur cõuellere ipsorum potentiam, tyrannidem, & opes iniusto titulo & malа fide partas. Nec vero aliter fieri potest, quin mens de hac continuatione historiarum cogitans, velut attonita obstupescat, & firma assensione statuat, eã nõ casu, aut tantũ humano consilio institutã esse, sed à Deo heroicos scriptores ad hanc telam pertexendam excitatos esse. Nam vt cœli sunt præcones Dei gloriæ, iuxta Psalmi sententiam: sic historia mũdi perpetuam Dei sapientiam, potẽtiam & iustitiam clara voce, & certissimis

testimonijs prædicat. Etenim sapientia Dei in gubernatione ecclesiæ & imperiorum euidentissime conspicitur: potentia in constitutione, & conseruatione vtriusq; societatis lucet: iustitia in euersione imperiorum, & in pœnis scelerum extat atq; eminet.

Apud Herodotum recte inquit rex Persicus, Regnum Persarum creuisse Deo duce, ipsis autem regibus prompte sequentibus. Deinde manifestum est imperia destituta excubijs, & custodia Dei non posse retineri humanis præsidijs in tanta varietate periculorum, quorum multa improuisa, & inextricabilia præter opinionem gubernatoribus offeruntur. Etsi autem multa sunt, quæ dilucide, nõ obscure declarāt, qualis sit Deus, videlicet iustus, castus, verax, tamē exēpla pœnarū de iustitia Dei idē clarissime declarant, & concionantur. Quod enim iustitia in Deo sit æqualitas sine προσωποληψία, ipso euentu comprobatur, quia videmus summos & infimos in historijs violatæ religionis, libidinū, tyrannidis, & aliorum scelerum graues iustasque pœnas Deo persoluere. Quare cum Deus continuam historiam inde vsq; ab initio extare voluerit, vt sciremus ordinem, & testimonia patefactionum, & quo tempore Christus exhibitus sit: item quomodo ecclesia velut cymba inter fluctus & procellas imperiorum collecta, quassata, & liberata sit: cumque gratam sui nominis famam, vt Plato inquit, non solum in ceteris artibus, sed etiam in historijs sparserit; non aspernemnr ea Cyclopica immanitate, sed studiose legamus, & tanquam magni precij thesaurum atque depositum optima fide conseruemus. Illud etiam in mentem veniat, quanta tenebræ in hominum vita futuræ essent, si nemo sciret, quo tempore mundus sit conditus, qua serie Deus propagarit doctrinā certis testimo-

stimo-

stimonijs ecclesiæ traditam, quomodo interea falsæ & idololatricæ religiones à norma veræ doctrinæ aberrarint, quæ gentes à quibus originem duxerint, quas sedes quondam ecclesia habuerit, deniq; quo ordine imperia alias constituta, alias circumacta periodo funditus deleta atq; euersa sint. Harum rerũ ignoratio tantam caliginem vitæ humanæ offunderet, quanta quondam eruptione æthneorum ignium extitisse dicitur, vt homo hominem per biduum non agnosceret.

Quod si ceteræ gentes historiarum cognitione carere possent, ecclesia tamen huius amplissimi patrimonij possessione carere nullo modo posset. Necesse est enim in ecclesia explorate percepta, & cognita esse rerum initia, veræ religionis propagationem, ortum superstitionum, seriem imperiorum. Hactenus ostendi necessariam esse ecclesiæ historiarum notitiam: nunc reliquos locos de dignitate, de vtilitate, ac de suauitate breuius equidem, quam magnitudo rerum postulat, persequamur.

Verissimum est discrimen hominis & beluæ, quod Cicero his verbis explicauit: Inter hominem & beluam hoc maxime interest, quod hæc tantum, quantum sensu mouetur, ad id solum, quod adest, quodque præsens est, se accommodat, paululum admodum sentiens præteritum & futurum: Homo autem, quoniam rationis est particeps, per quam consequentia cernit, principia & causas rerum videt, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebusq; præsentibus annectit futuras.

Ex hoc discrimine intelligi potest, quantum ornamentum & decus sit naturæ humanæ notitia antiquitatis, & veterum monumentorum, & contra quanta cognatio sit quorundam hominum cum beluis, qui nec

sciunt, nec scire cupiunt, quid Patrum memoria in mundo gestum sit. Quemadmodum enim nihil præstabilius cogitari potest, quam proprias actiones naturæ nostræ, ad quas præcipue conditi sumus, ornare & perpolire. Tunc enim beata est, & floret maxime natura nostra, quando supra pecudum conditionem caput suum exerit, & proprio munere atque officio fungitur: Ita è regione nihil neque fœdius, neque tetrius est, quam hominem degenerare in beluam, & oblitum nobilissimarum actionum in rebus minutis & sordidis, & tantum huic mortali vitæ inseruientibus, vim ingenij consumere, quod perinde est, ac si quis sindone tenuissima & subtilissima stercus inuoluat. Soleo mihi sæpe ante oculos proponere Cyclopas huius tẽporis, qui hanc vnam in rem incumbunt, vt ventrem epulis onerent, nec animo vel præteritas res colligunt, vel futuros euentus prospiciunt. Hos non dubium est specie humana tectos proxime ad beluarum naturam accedere, à quibus nulla cogitatio, neque de ijs, quæ acciderunt, neque de alijs, quæ adhuc impendent, suscipiatur. Quare æquissimum est vnumquemq; recordatione dignitatis, qua bestijs antecellimus, cum ad cæteras artes, vt verbi causa ad Medicinã, & Astronomiam, tum vel maxime ad historias cognoscẽdas, incitari. Quid enim est admirabilius, quid hominis natura magis dignum, quam in tanta vitæ fugacitate nõ vnius ætatis, aut prouinciæ, sed omnium seculorum, & gẽtium vicissitudines memoria cõplecti? Quod si nullũ præterea argumentũ esset eius sentẽtiæ, quæ docet animas nostras excedentes ex hoc fragili domicilio immortales esse, hoc certe non leue, nec infirmũ testimonium ducendum esset, quod mens nostra retro spectans tot seculorum varios casus, & maximorũ imperiorum

nõn

non modo auspicia & progreßiones, sed etiam inclinationes videt, & futura perspiciens quandam æternitatem intuetur.

Sed nullius oratione satis exponi potest, quantum veræ dignitatis insit in liberali cognitione historiarũ. Omissa igitur longiore commemoratione de excellẽtia præstantiaq; historiarum; ad tertiũ locum venio, qui digitũ intendet ad præcipuas vtilitates, quas lectio veterũ monumentorũ vitæ humanæ affert. Vt autem hæc tota commonefactio, quæ iuuentuti proponitur, plus ponderis, & momenti habeat, nõ tantum mea voce iuniores ad legẽdas historias cohortabor, sed duo amplißima præconia historiæ, tanquam oracula ex Cicerone & Thucydide recitabo, quibus fides propter auctoritatem habenda est, etiamsi nec argumentis nec rationib. certis cõfirmẽtur. Hæc enim Ciceronis oratio est in 2. de Oratore: Historia est testis tẽporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis. Thucydides autẽ initio libri primi de bello, quod inter se Græcæ ciuitates gessere, inquit in hanc sententiam, Historia eo consilio potißimum legenda est, vt ex præteritis præsentia iudicare poßimus, & futura sagaciter prospicere, quia in mundo eadem fabula, vt ita dicam, perpetuo agitur, mutatis duntaxat personis. Decet igitur nos bona fide historias tanq̃ magni precij depositũ atq; thesaurũ custodire, & curare, vt ad posteros trãsmittatur. Nam ex historia quasi quodã sancto augustoq; fonte & causas publicorum malorum, & remedia haurire possumus.

Etsi autem hæc dicta nõ obscure significent, quantas vtilitates habeat lectio historiarum: tamen ad excitãdos iuniores nominatim eas, q̃ mihi quidẽ præcipuæ videntur, recensebo, ac cæteros, qui eruditione antecellũt, oro, vt hanc partem orationis sine fastidio audiant,

Est

Est autem prima vtilitas lectionis historiarum, quod earum accurata meditatio, confirmat in animis honestas opiniones de Deo, & de prouidētia, & assensionem, qua statuimus veram esse doctrinam Propheticam, aliquo modo adiuuat: deniq; multis concionibus prophetarum, & apostolorum lucem affert. Supra enim dixi, historias esse locupletißimos testes sapientiæ, iustitiæ, & aliarum virtutum, quæ in Deo extant, atq; eminent. Quanquam autem propter diuina, & non fallentia testimonia, vt sunt resuscitatio mortuorū, eductio populi per mare rubrum, seruatio Nohæ in diluuio, historiam Propheticam & Apostolicam complectimur, tamen gratum est in alijs historijs videre euentus, qui in sacris monumentis prædicuntur. Minatur Ieremias supplicium Tyranno Aegyptio Apryi & vastitatem Babyloni. Harum comminationum euentus describuntur ab Herodoto, & Xenophonte. Narrat enim Herodotus tantam fuiße impietatē Apryis, vt negarit se posse excuti ex regno, ne quidem diuinitus: sed hunc tyrannum homo obscurus & ignobilis Amasis cepit, & iussu populi strangulauit. Narratio vero de capta Babylone, ductu & auspicijs Cyri, extat apud Xenophontē libro septimo παιδείας κύρου. Ac ne plura exempla huius sententiæ colligam, quam me delectat caput illud Iosephi in libro antiquitatum 18. in quo homo Iudæus abhorrens à Christiana religione de Iesu filio Mariæ ad hunc modum scribit: Fuit autem ijsdem temporibus " Iesus, sapiens vir, si tamen virum eum nominari fas " est, erat enim mirabilium operum effector, & doctor ho" minum eorum, qui libenter, quæ vera sunt, audiunt. " Et multos quidem Iudæorum, multos etiam ex genti" bus sibi adiunxit, Christus hic erat. Hunc accusatione " primorum nostræ gentis virorum cum Pilatus in cru-

cem

cum agendum esse decreuisset, non deseruerunt hi, qui abinitio eum dilexerunt. Apparuit enim eis tertio die iterum viuus, secundum quod diuinitus inspirati Prophetæ vel hæc, vel alia de eo innumera miracula futura esse prædixerant. Sed in hodiernum diem Christianorum, qui ab ipso nuncupati sunt, & nomen perseuerat & genus: Hæc ille. Iam vero quantũ lucis historia sacris concionibus afferat, quis ignorat? Cum enim Prophetæ de serie & mutationibus imperiorum præcipuũs concionentur, possumusne dubitare, quin ad intelligentiam Prophetarum plurimum momenti afferat historiarum diligens, & accurata cognitio. Nam vt de aliis non dicam, Daniel certe enarrari non potest, nisi interpres magna quadam varietate historiarũ instructus sit. Haud sane intelligo qua ratione tempora hebdomadum apud Danielẽ supputare possis, nisi ad calculos historiarum omnem illam prædictionem reuoces. In capite quidem vndecimo, vbi prædicuntur bella futura inter Alexandri successores, interpres ignarus rerum Syriacarum, & Aegyptiarum, perinde versabitur, vt si cæcus surdo concionetur.

Omitto libros noui testamenti, in quibus cum multa sint, quæ lucem historiarum desiderant, tum Apocalypsis Sibyllæ foliis obscurior esset, nisi radiis narrationum de hæreticis, & de Antichristo, illustretur. Quare cum historiæ nobis duces sint ad aliquam Dei notitiam & ad intelligenda scripta Prophetica, & Apostolica magnopere conducant, bonam partem studiorum nostrorum in historiis sapienter & ornate scriptis consumamus, & hunc vberrimum atque amplissimum fructum, de quo dixi, ex eis capiamus. Sequitur altera vtilitas, quæ ad mores pertinet. Cum enim vita magna ex parte regatur exẽplis seu bonis seu malis, &

histo-

historia sit velut theatrum humanæ vitæ, in quo proponuntur exempla illustrium personarum, consiliorū, & rerum gestarum, virtutum, vitiorum atq; euentuum, nemini obscurum esse potest, quin ad vitam moderandam vtilis sit rerum præteritarum consideratio. Admonent enim historiæ lectores de humanæ naturæ imbecillitate, & de fortunæ inconstantia, easque ob causas hortantur, vt frænum iniiciamus cupiditatibus, moderemur impetus, nec discedamus à morum regula, nec indulgentes libidini, iracundiæ, aut aliis prauis affectibus ea faciamus, quæ pœnæ & fatali lege, & hominum iudiciis comitantur. Nam vt in historiis rectè facta laudantur, & plerunque exitus habent placidos: sic econtra iniustè facta vituperantur, & regulariter tragicis calamitatibus puniuntur.

Hinc perspicuum esse debet, historias multum cōducere ad flectendos animos ad moderationem, vt credibile est, Augustum colligentē animo tyrannos omniū ætatum & eorū exitus, magis coluisse iustitiam, & repressisse iracundiam, quæ in imperii fastigio fulmen esse dicitur. Ac mihi quidē videntur hi, qui res gestas literis memoriæq; mandarunt, nō minus laude digni esse, quā qui leges viuēdi hominum generi tradidere. Nam leges, vt inquit Lycurgus contra Leocratem, propter breuitatē non docent, sed nuda imperia proponunt: Historiæ autem vitæ humanæ imagines pingunt & eligunt optima exempla, & causas exponunt.

Quid cur fieri deceat, vt mentes hæc ipsa causarum & exemplorū consideratio persuasas ad virtutis amorē flectat? Quid q leges tantū priuatos homines vtcunq; intra metas officiorū retinent? Exempla vero eos etiam mouent, quos valide legū habenæ non reprimunt. Adde huc quod personarū descriptiones, quales sunt Themisto-

ſtoclis, Periclis apud Thucydidē, itē Thraſybuli, & Iaſonis Pherai apud Xenophontē, illuſtrius pingunt omnē virtutis naturā & pulcritudinem, quam Philoſophorū diſputationes de morib. quæ ſi non irrigētur riuulis hiſtoriarum, prorſus aridæ, & ieiunæ videri ſolent. Quid tam porro alit intelligentiā ciuilem gubernantem deliberationes in electu rerum honeſtarū, & vtiliū, quam ſapiens & luculenta expoſitio conſiliorum, & euentuū, qui monēt, ne quid temere ſuſcipiamus; cum ſæpe optime cogitata peſſime cadant, & tamē in honeſto propoſito perſeueremus, quia exitus tandē, vt ſapientiſſime Socrates dixit, cōgruit ad normam iuſtitiæ? Nō vitupero vtiliſſimam conſuetudinē, qua diſiunctæ terræ peragrari ſolēt, & deguſtari multarū gentium leges, diſciplinæ, iudicia de religione & mores. Sic.n. ſtatuo, Peregrinationes bono ſtudio ſuſceptas magnū ad prudentiā comparandam habere momentum: ſed veriſſmū eſt, eaſdem res ex monumētis hiſtoriarū cognoſci poſſe, q̄ magno cū periculo, & iactura rei familiaris inter peregrinādum animaduerti & notari ſolēt. Imo difficile eſt voluntates & cōſilia diuerſarum gentiū vnius hominis ſagacitate ſic explorari, vt à ſcriptorib. memoriæ poſteritatis tradita ſunt. Quamobrē amemus monumenta hiſtorica, quib. tota de morib. doctrina coniuncta ratione adminiſtrandæ Reip. maxime cōtinetur. Tertia vtilitas eſt ꝙ oēs magnæ & paruæ artes indigēt hiſtoria. Nā vt paulo ante dixi, doctrina de moribus nullā habet vim, neq; ad docendos, neque ad permouendos hominum animos, ſi deſtituta ſit copia & varietate illuſtrium exemplorum. Geographia nihil differt ab illis perſonis, quæ in ſcena vocantur κωφὰ πρόσωπα, niſi ad eam hiſtorica locorum deſcriptio, velut ſignis quibuſdam, atque picturis ornata, accedat. Aſtronomia manca

&

& mutila est, sine obseruationibus temporum, quæ in historijs accurate notantur. Quid dicam de doctrina Physica, quæ omnis suauitatis expers ac vacua est, nisi conspergatur historijs, tanquam rore quodam gratiarum? Etenim insuaues & obscuræ sunt disputationes de μετεώροις, *de partibus humani corporis, de temperamẽtis & humoribus, de potentijs animæ, de natura plantarum & animantium, nisi condiantur sale, non eo quidem, qui in salinis excoquitur, sed qui ex historijs depromitur.*

Ac ne longius inductione vobis molestus sim, comprehendam breui quod sentio. Sic enim statuo: Historiam esse fontem locupletissimum eloquentiæ, eaque velut succo orationem ali, nec quicquam ad persuadendum hoc instrumento efficacius esse.

Quapropter studiosi eloquentiæ & artium reliquarum pectus suum compleant atq; onerent optimorum exemplorum copia, & varietate, vt de rebus magnis & necessarijs, de veræ religionis propagatione, de ortu superstitionum, de gubernatione ecclesiæ, de serie imperiorum, de natura rerum sapienter & ornate alios docere poßint.

Quarta vtilitas historiæ est, quod memoriã summorum & maximorum operum Dei renouat, & vindicat homines ab obliuione & mortalitate. Vult enim Deus perpetua memoria conseruari & celebrari non solũ eas res, quæ in ecclesia geruntur, sed etiã alias, quæ sine afflatu diuino in imperijs geri non potuerunt. Vere enim Lucanus de Poëtis, qui carminibus historias comprehenderunt, inquit:

O sacer & magnus vatum labor, omnia fato
Eripis, & donas populis mortalibus æuum.

Quis enim nosset Achillem, nisi mortuus Homerum testem

testem atq; præconem suarum laudum habuisset. Sed desino plura de vtilitatibus historiarum commemorare, cum omnibus in conspectu sint & hæ commoditates, quas recensui, & aliæ, quas breuitatis causa tacitus prætereo. Quæ enim hactenus dicta sunt, omnia huc spectant, vt adolescentes cogitatione maximarum vtilitatum, quas historiæ lectori afferunt, auidius eas legant, & memoria complectantur, vt ad omnem vsum promtæ atq; expeditæ sint.

Restat quartus locus orationis nostræ, quem paucis versibus conficiam. Quemadmodum igitur AEneas delectatur contemplatione clypei, in quo res Romanæ exsculptæ erant: ita generosis mentibus mira quædam suauitas & delectatio est, ortum, propagationem, & omnes insignes mutationes cum religionis tum imperiorum cognitas habere. Ament alij & magnifaciant ἀλογοννίδιον, tanquam porci Cyrceis poculis dementati, nobis relinquant suauissimam contemplationem rerum gestarum & exemplorum, quæ in animis dulcem concentum efficit, cum quo nulla voluptas musica comparari potest. Quid enim est tam suaue in omni oratione cum publica tum priuata, quam commemoratio variorum euentuum, qui non tantum ab humana voluntate, sed à Deo ipso gubernantur? Neque vero mihi quidquam aptius ad delectationem videtur, quam collatio veterum historiarum cum his miseris & luctuosis temporibus. Sicut enim in speculis facies nostras contemplari solemus; sic iuuat in historijs imaginem horum temporum solidam & expressam videre. Quam multi sunt hoc tempore gubernatores Lysandro similes, qui iuramentis & fœderibus perinde vt astragalis ludunt? Quanta nunc copia est Sycophantarum, qui cum

Demado malunt cœlo vim afferre, quam hæc terrena & caduca bona in discrimen adducere. Sed nimis longum esset persequi exempla veterum historiarum his temporibus tam similia, quam ouum ouo simile est, & lac lacti, vt dicitur. Cum igitur & necessaria sit ecclesiæ historiarum cognitio, & hominem illustri discrimine à cæteris animantibus segreget; cumque tantas commoditates vitæ humanæ afferat, quantas vix queo dicere; denique cum nihil aptius sit ad delectationem animi quam temporum mutationes, fortunæque vicissitudines cognoscere: non tantum boni, qui per se ad palmæ honores currunt, incitandi, vt historias sæpe multumque legant, sed etiam ignaui obiurgandi videntur, qui tantum thesaurum diuinitus hominum generi concessum aut Cyclopica barbarie contemnunt, aut tetra & flagitiosa superbia negligunt. Magna profecto & horrenda ingratitudo est respuere, & aspernari singulare opus Dei, qui mentes heroicas impulit, vt inde vsq; ab eo articulo, in quo nostri vates desinunt, perpetuam historiam contexerent.

Quantus præterea furor est neglectione rerum, quæ ante nos gestæ sunt, proxime ad naturam beluarum accedere? Nullus certe veternus comparari debet cum ea ignauia, quæ nec magnis vtilitatibus propositis excuti, nec admirabili suauitate allici potest ad cogitationem de religione & imperijs. Hæc tanta mala si quis toto pectore fugit, ac reformidat, is cum aliarum artium liberali cognitione assiduam historiæ lectionem coniungat, nec dubitet, se laboris huius amplissimum, atque vberrimum fructum percepturum esse. Satis dixi &

for-

fortasse nimium de historia in genere: nunc de epitome Iustini, quam de iudicio collegarum studiosis proponendam esse statuo, pauca dissiram. Magnum & difficile opus est, vt praeceptor nostrae D. Philippus quodam in loco inquit, integram historiam recte scribere, & haud scio, an inter eloquentiae opera omnium longe difficilimum. Facilius est, huius generis epitomes conficere, sed tamen eligere ea, quae plurimum habent ponderis, intelligere consilia, atque occasiones negotiorum, hominis est non solum non hebetis, sed etiam vsu periti, & versati in Republica: & haec apte distribuere, & dilucide recitare, nemo nisi liberali doctrina excultus potest.

Etsi igitur Trogus Pompeius, qui vtinam hodie extaret, praeclare de genere humano meritus est, contexta historia de quatuor Monarchijs, Assyria, Persica, Graeca, & Romana: tamen & hic noster Iustinus sua laude dignus est, qui prudenter hos breues commentarios ex illa copia, & varietate excerpsit. Non enim mediocris artificis est, res necessarias tolerabili ratione & oratione exponere, & in tam paruo opere omnium fere gentium mores, & praecipua facta includere. Neque enim eas res tantum complectitur, quae in maximis imperiis acciderunt, sed etiam digreditur in vicinarum gentium, & insularum descriptiones. Cum autem ordine nihil neque melius, neque pulcrius sit, quis non iure miretur concinnitatem ordinis, quo res tam variae à Iustino connexae & colligatae sunt. Nulla est prouincia orbis terrarum, quam nō attingat

Iustinus, nec tantum violat ordinem, qui narrationum anima & habetur & nominatur. Genus orationis, quo vtitur, magna ex parte ad veterum puritatem accedit, etiamsi interdum à norma Ciceroniana deflectit. Sed non sumus ita studiosi, vt nihil probemus, nisi à Cicerone eodem modo dictum sit. Laudanda est enim generalis imitatio, quæ ex omnib. bonis auctoribus id, quod est optimum, decerpit. Sunt autem multa in hoc libello, quæ studiosos eloquentiæ delectare possunt, vt narrationes, noemata, epiphonemata, quibus omnis oratio referta esse debet. Valde quidem optandum esset epitomen historiarum mundi, quæ titulo Carionis circumfertur, ab ipso auctore domino Philippo Melanchtone è Germanica lingua in sermonem latinum conuersam extare. Hanc enim merito ac iure omnibus commentarijs in eodem genere scriptis, anteferemus. Sed quoniam ipsum auctorem latine dicentem audire non possumus, fruamur interea labore Iustini, idq́ exploratum omnino ducamus, non frustra nec temere hunc libellum studiosis proponi.

Cum autem historia præcipue necessaria sit ecclesiæ: oro Deum æternum patrem domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani, vna cum filio suo, & spiritu sancto, vt hæc vtilia studia historiæ, & aliarum artium accendat in multis propter ecclesiam, eaq́ regat nec extingui sinat, semperq́ seruet semen aliquod sanctum inter eos, à quo inuocetur, & celebretur, ad quæ summa hominum opera necessaria est multarum artium doctrina.

Dixi.

STVDIOSIS HISTORIARUM salus.

NEMO est vel mediocriter institutus, qui ignoret, quantum decus & ornamētum sit hominis studiosi Historiarum cognitio. Nam vt omittā vtilitates huius cognitionis, de quibus alio loco dicetur: quid est dulcius in omni colloquio & cōuersatione, quam prudenter aliquid historiarum aspergere? Non certe thymus apibus, aut ros cicadis gratior esse potest, quam liberalib. ingenijs antiquitatis commemoratio, iucūda est. Quare cum hæc pars Philosophiæ, quæ continet narrationē perpetūam, de maximis mutationibus ecclesiæ & imperiorum, hactenus in nostra μυεμηνίᾳ desiderata sit: deinceps Deo volente aliquid temporis historijs cognoscendis tribuemus.

Delegimus autẽ Iustini Epitomen, quæ admirabili breuitate res necessarias & maxime insignes mutationes, quæ omnibus fere gentibus acciderunt, cõplectitur. Hanc ita Deo adiutore enarrabimus, vt cum ea diligenter conferamus fontes Græcæ Historiæ, ex quibus hi riuuli manarũt, & interdum aliquid de rebus ecclesiæ addamus. Quamobrem studiosis magnopere hortator sum, ne hanc partem suauissimam eruditionis negligant, sed ea velut rore gratiarum reliquum mellificium cõspergant. Ac vt vno verbo dicam, quod sentio, ratio studiorum persimilis mihi videri solet diætæ, in qua cibus est cognitio preceptorum de dicendo, de natura rerum, de omni officio virtutis; condimentum est historia, quæ sic experi debet, ne cibi necessarij & salutaris nos capiat obliuio. Hodie autem hora quarta,

quod

quod faustum & felix sit, quædam de historia vniuersa, & de Iustini Epitome præfabimur. Valete, & historias tanquam ornamenta studiorum reliquorum amate.

Victorinus Strigelius
4. Maij.

ΠΡΟΛΕΓΌΜΕΝΑ

IN HISTORIAM Iuſtini.

Quid ſit hiſtoria & ex quibus authoribus petenda ſit continuata ſeries hiſtoriarum?

HISTORIA eſt vis, diuinitùs hominũ generi conceſſa, qua, initia rerum, propagatio veræ religionis, ortus ſuperſtitionum, gubernatio Eccleſiæ, ſeries & mutatio imperiorum, inuentio artium, legum promulgatio, naturæ miracula, & aliæ res memoratu dignæ, genere orationis fuſo, leni, æquabiliter incedenti, exponuntur, atque ab obliuione vindicantur, vt lectores ſciant, quę fuerit prima & antiquiſſima religio, & quomodo diabolus in mundo ſparſerit impias & blaſphemas opiniones de Deo, & varietatem, inconſtantiamq; rerum humanarum animadvertẽtes diſcant, in adverſis eſſe patientes ac firmi, in proſperis continẽtes ac lenes, in deiectionib. ac ruinis fortes, & robuſti, adſpirante fortuna manſueti, faciles, placidi, in opulẽtia liberales ac benefici, in inopia ſorte ſua ſi nõ contenti, ſaltẽ non abiecti, nõ ſqualidi, vt nihil quod accidat homini, nouum exiſtiment, nihil repentinũ mirentur, nihil non aliquando putent, aut poſſe accidere, aut non quandoq; etiam accidiſſe.

Cauſa efficiens hiſtoriæ. Laudanda eſt igitur Dei bonitas, qui hanc vim heroicis ingenijs largitus eſt, vt opera & ſtudio ſuo, vitæ noſtræ imbecillitatem ſuſtentent, atq; mortalitati eant obviam, ne, quantum in ipſis eſt, dicta factaque memoratu digna, resque pręclare atque excellenter geſtas, tempus obſcuret, neve omnino è memoria excidant, quæ imitatione atque cognitione digna ſunt, quibus mortale genus

nus, ad pietatem, fidem, æquitatem, amicitiam, humanitatem, virtutem denique omnem excitetur.

Constat autẽ historia & rebus & verbis. Verba vero esse debent elegantia, propria, & bene decenterq; collocata & sparsa. Res ipsæ constant ordine & dispositione, quibus coniunctæ sunt descriptiones personarum, consiliorum, causarum, occasionum, rerum quoque gestarum, virtutum, vitiorum, ad hæc casuum diuinorum, euentuum, secutarum mutationum post euentus. Magnum enim & difficile opus est non solum scribere, sed etiam cogitare historiam, in qua oportet explicationem ipsam esse ordinatam, quo varietas minime confusa, incertaue aut indistincta appareat. Et quoniam actio omnis aliquam ob causam suscipitur, oportet rerum scriptorem causarum ipsarum ac finium, cum primis esse memorem, certumq; earum ac verum expositorem, Ipsis autem causis suscipiendi negotij coniuncta sint cõsilia, & hominum, qui agendum quippiam decernunt, sententiæ ac voluntates, quæ cum sint anima historiæ, exponendis iis, summum à rerum scriptore adhibendũ studium, maximeq; diligens cura. His accedit descriptio personarum & aliarum circumstantiarum, quæ lucem historiæ afferunt, vt regionum, fluminum, temporũ, &c. Casuum præterea diuinorum, & secutarum mutationum post euentus magna scriptori ratio habenda est.

Historia res & verba qualia esse debeant.

Etsi autem ipsi nunquam fortasse historiam scripturi sumus, tamen hæc præcepta, quę à Cicerone traduntur, in secundo de Oratore, & à Iouiano Pontano in dialogo, qui inscribitur Actius, magnopere conducunt ad iudicanda historicorum scripta, & monent, quæ res præcipue in lectione historiarum animaduertendæ ac notandæ sint. Nam inprimis obseruandæ sunt personarum imagines & consiliorum expositiones. Vt enim personarum descriptiones, monitrices sunt, vt cogitemus, quorum similes aut dissimiles esse velimus, sic consiliorum lucu-lenta expositio sapientiam politicam auget atq; confirmat. Hinc perspicuum est, quid intersit inter eos historicos, ex quorum ore in rebus bellicis terribilem dedit sonitum tuba, & alios qui magis placide magisq; philosophice historiam contexuerunt, vt verbi causa: Liuius

Præcepta, quæ obseruanda in historia.

Liuius,

Romano more scribit historiam, quia longus est in narrationibus præliorum & pugnarum, & contra breuis in commemoratione causarum & consiliorum. Herodotus & Polybius vberiores & sapientiores sunt in exponendis tum causis tum consilijs rerum gestarum. Quamobrem iudicatum est Herodotum in historia tantum esse artificem, quantus in poesi est Homerus, cuius ea suauitas & sapientia est, vt, quem ei in suo genere comparem, habeam neminem. Atque hæc quidem de speciali obseruatione, quæ in singulis partibus historiæ laudem habet, dicta sint. Nam in vniuerso corpore historiarum, præcipua animaduersione dignæ sunt res, quę vel ad ecclesiam, vel ad imperia pertinent. Cum enim ecclesia sit anima (vt ita dicam) propter quam & hic pulcertimus ordo corporum cœlestium & inferiorum à Deo conditus est, & imperia constituta sunt, vt ecclesiæ hospitium præbeant, necesse est omnium primum in historiis considerari, quo tempore & quibus testimoniis, doctrina de essentia Dei & voluntate ecclesiæ tradita sit, & quomodo per ministerium huius doctrinæ hæreditas æterna filio Dei ex miserrima massa generis humani collecta sit: denique quomodo hic cœtus varie in mundo quassatus, tandē ex magna iactatione portū liberationis viderit. Deinde cū ad imperia ventū est, Rerumpublicarū mores, instituta, disciplinas inquiramus, vt sciatur, qui sit optimus reipublicæ status, quæ sint inclinationes rerum & momenta temporum, vnde seditiones oriantur, quæ sint causæ corrumpentes imperiorum, quæ conseruantes, qualem in gubernatione principem esse deceat, & si qua sunt alia perceptu & cognitu necessaria. Omnis autē lectio historiarum, non tam ad cognitionis suauitatem & delectationem, quam ad virtutis decus effingendum atque exprimendum in ipsa voluntate & corde referri debet. Vt enim Musica quæ tantum aures demulcet, nec aliquid momenti ad componēdam animæ harmoniam affert, voluptatem habet ἄλογον, mentis & rationis omnisq; vtilitatis expertem; sic historiarum quamuis copiosa notitia sine conformatione morum & directione nostræ vitæ ad certas exemplorum imagines, inane quiddam & irridendum videtur. Quamobrem ex historiis hunc

Herodotus. Polybius.

Quid obseruandum in historiis.

Finis historia.

hunc maximum fructum capiamus, vt ad veram ecclesiam, societate eiusdem doctrinę & inuocationis nos ipsos adiungamus, & in hac ciuili societate ita versemur, vt optima exempla imitantes cursum nostræ vocationis & priuatæ vitæ ad metam salutarem perducamus. Sed quoniam de ipsa definitione historiæ satis dictū est, nunc ad alterum, quod nobis in hoc titulo propositum est veniamus. Multum enim refert, scire, ex quibus auctoribus series & continuatio historiarum petenda sit. Principio satis constat, nullum extare in mundo scriptum, quod exordia mundi & tempora certo & distincto numero annorum, origines gentium, & migrationes, initia religionum & deprauationes, item res primæ monarchiæ sic describat, vt libri Prophetici. Qua quidem in re etiam hoc singulare Dei beneficium considerandum est, quod Deus & contexi voluit integram seriem omnium temporum, & sua cura hos libros seruauit, sicut vox spiritus S. in Psalmo 101. testatur, Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominum. Imo ad horū librorum conseruationem politia Mosaica constituta est, quæ, quid fuit aliud nisi schola & bibliotheca monumentorum Propheticorum? Etsi igitur Epicurei has pagellas aspernantur, tamen nos amemus & colamus studia librorum Propheticorum, quos & temporis vetustas & doctrinæ series commendat. Etenim conferenti narrationes aliarum gentium cum historia Prophetica, satis apparet nullum esse scriptum antiquius & certius, quàm has ipsas spretas ab Epicureis pagellas. Deinde optimo & sapientissimo ordine res propter vetustatem à reliquarum gentium memoria remotas Prophetæ cōplectuntur ac diserte trecitāt generis humani initia, causas peccati & mortis, instaurationem & propagationem ecclesię, nō modò ante diluuium, sed etiam post diluuium factam diuinitus, vsque ad principium monarchiæ Persicæ. Etsi autem hæc prophanis iudiciis propter magnitudinem rerū comentitia videntur: tamen illustribus testimoniis & miraculis confirmata & obsignata sunt, vt tam certa sint, quàm certo est meridies, cum sol ad medium cœli peruenit. Nam Deus his monumentis addidit signa non vulgaria, sed quæ fieri nisi ab immensa potentia non possūt

Ex quibus auctoribus series historiarum sit petenda.

reuocauit mortuos in vitam, motus inhibuit cœli & solis, reflexit etiam solis cursum, fœcundauit anus effœtas, denique alia noua opera fecit, perinde ac si nouum mundum conderet. Assentiamur ergo historiæ Propheticæ sine vlla dubitatione, eamque longe anteferamus narrationibus ethnicis, quę magna ex parte fabulosas descriptiones primæ antiquitatis continent. Postquam autem ex fontib. Israel, id est, ex libris Propheticis certã historiã de statu ecclesiæ & primæ monarchiæ vsque ad tempora Cyri hausimus, non aspernemur labores Philonis & Iosephi, qui optima fide historiam ecclesiæ, a reditu ex Babylone vsque ad postremum excidium Hierosolymę cõtexuerunt. Legamus etiam libellos Eusebii, Theodoriti, Nicephori, Epiphanii, qui historiam annorum circiter quadringentorum post Apostolos complexi sunt. In cæteris scriptoribus, etsi merito veterum diligentia desideratur, tamen fragmenta quædam, de origine & propagatione vtriusque regni, cum vera ecclesia belligerantis, Mahometici & Pontificii, velut in cophinis Chronicorũ asseruata sunt. Monstraui vtcunque fontes historiæ ecclesiasticæ: deinceps igitur Ethnici scriptores commemorandi sunt, ex quibus initia, progressiones & inclinationes imperiorum cognosci possunt. Ac nisi Trogum Pompeium, cuius Epitomen Iustinus confecit, temporũ iniquitas nobis abstulisset, non longo catalogo historicorum nobis opus esset, sed ex vno volumine, quasi quodam sancto augustoque fonte, perpetuam historiam, à Cyro vsque ad Iulium Cæsarem haurire possemus. Nunc quia seu fato seu hominum negligentia hic optimus auctor periit, à cæteris scriptoribus græcis & latinis res gestas Persarum, Macedonum & Romanorum discamus. Nam Cyri & aliorum Persicorum regum facta, memoriæ consecrauit Herodotus, incoans historiam ab eo tempore, quo Prophetæ desinunt. Herodotum mox sequitur Thucydides, qui bellum ciuile 28. annos in Græcia gestum descripsit, cuius reliquias deinde persecutus est Xenophon. Alexandri Magni res gestæ multorum scriptorum diligentia literis mandatæ sunt: vt Diodori Siculi, Arriani & aliorum. Nec defuerunt successoribus eius scriptores, ac magnã partem Polybius complexus est,

Vulę

Vtile est autem videre has ipsas descriptiones congruere cum prædictionibus Danielis de his bellis, quæ reges Ægypti, Syriæ, Asiæ & Græciæ inter se gesserunt. Confirmant etiã eiusdem Prophetæ vaticinia de monarchiis, has & aliarum gentium historias. Romanam historiam Liuius descripsit, cuius viri multæ profecto virtutes extitere, tum exornandis atque augendis rebus, tum etiam comprehendendis ac variandis, vt nunquam illi aut res defuisse videantur, aut ipse rebus defuerit. Quæ vero à Christo nato ex virgine vsque ad hanc ætatem in imperijs acciderunt, Dei beneficio mediocre lumen literarum acceperunt & notiora sunt, quam vt de his verba fieri necesse sit. Quantas igitur pro hoc beneficio, quod Deus nos cum optimarum artium, tum sacrarum literarum & historiarum monumentis instruxit, gratias debeamus, quantoq; studio elaborandum sit, vt ea ad posteritatem propagentur, facile est intelligere. Nam si sacrarum literarum, historiarum & antiquitatis expertes essemus, non solum magnæ tenebræ essent in religione, sed etiam ciuilis gubernatio agrestior esset, minusque intelligerentur iustitiæ & æquitatis fontes, & coniugiorum & contractuum leges.

SECVNDVM ΠΡΟΛΕΓΟ'ΜΕΝΟΝ.

Discrimen inter historias sacras & prophanas.

MAGNA pars hominum eodem consilio ecclesiæ historias & prophanas legunt, atq; ita statutum habent, exempla morum in vtrisq; proposita esse, vt rectè facta imitemur, fugiamus contraria, quod plerumque honeste facta laudentur & exitus habeant placidos: econtra vero iniuste facta vituperentur, & plerumque tragicis calamitatibus puniantur. Neque vero negandum est, prodesse moribus has imagines vitæ vndecunque sumptas & flectere animos ad moderationem: sed historiæ quæ sunt ecclesiæ

Propriæ, quanquam & ipsæ morum exempla proponunt: tamen de rebus alijs lectorem commonefaciunt, ac præcipue quinque loci in his historijs consideraudi sunt. Primus est doctrina de rebus æternis, atq; ignotis rationi, videlicet de Deo, de vera Dei inuocatione, de causa peccati & mortis. de reconciliatione per filium Dei facta, propter quem credentibus æterna vita & iustitia donantur, item quis finis miseriarum huius vitæ futurus sit, quis portus, quod refugium & quæ præmia constituta sint bonis post hanc vitam, & quæ pœnæ impios & sceleratos maneant. Has tantas res significātes cum misericordiam tum iram Dei & nos ad fidem & timorem exuscitantes Propheticæ historiæ continent. Secundus, postquam percepimus doctrinam & testimonia diuina de rebus æternis, miracula considerētur, quæ Deus edidit, vt testaretur, se adesse ecclesiæ, ac exaudire inuocantes, & vt ipse magis innotesceret. & homines in ipsius agnitione perseuerarent, nec excusso vero Deo, nouam religionem ac nouos ritus alienos a verbo Dei comminiscerentur. Tertio, gubernatio ac defensio ecclesiæ spectetur; ostendunt enim sacræ historiæ discrimen ecclesiæ & imperiorū, scilicet quod ecclesia semper fuerit exiguus cœtus, contemptus & abiectus, oppressus tyrannide diaboli & impiorum, sed tamen mirabiliter à Deo conseruatus & custoditus: impij vero aliquandiu opibus, dignitate ac imperijs floruerint & tandē in tristissimis pœnis hæserint, vt testatur pœna diluuij, conflagratio Sodomæ, interitus Pharaonis & aliorum regū tragici casus & potentissimarum vrbium excidia atq; euersiones. Quartus locus est vitæ, morum & actionum consideratio. Etsi enim ecclesia est humilis ac dissimilis imperijs: tamen quia in vita ciuili degit, versatur in actionib. politicis & œconomicis pro vocatione & occasione, atque in ea exercet, timorem Dei, fidem, inuocationem, confessionem, tolerātiam & mirandas liberationes experitur. Quinto loco etiam vitia ac lapsus summorum virorum considerentur. Magna cura cauent pij, ne ruant contra conscientiam, sed accidunt nolentibus aut ignorantibus quædam offensiones. Lapsi vero deplorāt infirmitatem generis humani, & fiducia mediatoris pe-

tunt

tunt à Deo veniam & mitigationem pœnarum: At impij, vt Cain, Gygantes, Sodomitæ, manifesto contẽtu Dei polluentes se varijs sceleribus ruunt in æternum exitium. Ex his quæ dixi perspicuum est longe alio consilio legendas esse sacras historias, quam Ethnicas.

Ethnicæ morum exempla proponunt, & ostendunt, honestorũ consiliorũ exitus plerunq; placidos esse; atrocia vero scelera comitari tragicas calamitates, nec multo plura docẽt in summa historiæ Ethnicæ: At Propheticæ & Apostolicæ res maiores, doctrinã Dei & testimonia diuina de rebus æternis & gubernationẽ ecclesiæ continẽt.

TERTIVM ΠΡΟΛΕΓΟ΄ΜΕΝΟΝ.

Quæ res præcipuum lumen historijs afferant.

ETSI omnes circumstantiæ ornant & illustrant historias: tamen loci ac temporis accurata notatio tantam lucẽ historijs affert, vt non tantum auditores rerum, quæ narrãtur; sed etiam spectatores esse videamur.

Cum enim historia sit testis temporũ, (vt verissime dixit Cicero) quid est absurdius, quã ita legere aut narrare historiam, vt quid prius, quid posterius gestũ sit ignores? Itaq; notandis ac distinguẽdis tẽporibus summum à rerũ scriptore studiũ attribuendũ est, ac maxime diligens cura. Vt autem lectores seriẽ temporum inde vsq; ab initio mundi facilius cõprehendere ac retinere possint, dictum Heliæ omnibus notissimũ esse debet, quod totius mũdi curriculum in tres ętates distinguit: Sex millia annorum stabit mundus, duo millia inane, duo millia lex, duo millia Christus. Ad hanc Helię celeberrimã sententiam cõgruunt eruditorũ sermones, qui persuadẽt, in prima ætate, à cõdito mundo vsq; ad Abrahã, regnasse eã partẽ animæ, quæ à græcis λογιστικὸν appellatur, cui Saturn⁹ & Iupiter suas operas ad inuentionẽ maximarũ artium tradiderũt. In secũda ętate aiũt viguisse θυμοειδὲς, à quo Martis & Solis instinctu acerrimi bellorũ labores suscepti & quatuor Monarchię cõstitutę sunt. In postrema ætate, quę nũc

ad

ad finem decurrit, tanquam in ſenili corpore, tradunt omnia fieri lãguidiora & dominari ἐπιθυμητικὸν, quod dũctum Veneris & Lunæ ſequitur. Res enim oſtendit nec tantum eſſe ſtudium ſapientiæ in hac ſenecta mũdi, quãtum fuit in primis illis hominibus, qui ante diluuium & aliquanto poſt extiterunt, nec ea virtute bella geri, qua quondam gerebantur; ſed naturam hominũ velut eneruatam otium & voluptates præcipue expetere. Verum quoquomodo ſe habeant hæ ſapientum cogitationes, illud nobis certo perſuaſum ſit, dictum Helię ad diſtributionem temporum mundi maxime accommodatum eſſe.

Quoties igitur de ſerie annorũ in hiſtorijs cogitamus, ſemper nobis in mentẽ veniat dicti Heliæ, quod tribus interuallis maxime conſpicuis duratiõnẽ mundi diſtinguit. Nã duo priores millenarij complectũtur res geſtas, ante & poſt diluuium vſq; ad Abrahæ natiuitatem, quas Moiſes vndecim capitibus in Geneſi deſcribit. Sequentes duo millenarij à nato Abraham vſque ad Chriſtum continent tres Monarchias & initium quartæ. Sciant autem ſtudioſi Iuſtinũ & cæteros ſcriptores exiguas duntaxat reliquias primæ monarchiæ attingere, & incoare ſuas narrationes à ſecũda Monarchia, quæ circiter quingenteſimum annum ante Chriſti natiuitatem extitit. Ex quo intelligi poteſt, vniuerſæ eccleſię gubernationem & varias res geſtas annorum circiter 3460. ex ſacris literis petendas eſſe: Ethnicas vero hiſtorias a Cyro vſque ad Chriſtum natum ſingulari conſilio Dei fragmentis quibuſdam inter ſacros libros connumeratis additas eſſe, vt piorum animi conſenſu hiſtoriarum confirmarẽtur, & alij pertinaces, vt Iudæi, negantes Chriſtum veniſſe, iuxta vaticinium Danielis conuinci poſſent. Nam Daniel de aduentu Meſſiæ vaticinans, annos præfiniuit, intrà quos filius Dei certo ſe oſtenderet generi humano. Huic vaticinio euentum reſpondiſſe multæ hiſtoriæ Ethnicæ, in quibus anni intermedij temporis mediocri diligentia annotantur, planum faciunt. Poſtremi duo Millenarij inde vſque a Chriſto nato propagationem Euangelij inter omnes gẽtes, varietatem hæreſium, ruinam imperij Romani, exordia & incrementa Antichriſti, partim inſidijs,

ſidijs, & corruptelis doctrinæ, partim manifeſta vi belligerantis cum vera eccleſia, denique inſtaurationem purioris doctrinæ in hac ſenecta mundi factam diuinitus comprehendunt. Hæc generalis notatio temporum mũdi congruens cum dicto Heliæ, quantum lumen hiſtorijs afferat, nemo eſt qui ignoret. Poſtea vero ſpeciales χρονολογίαι, magno iudicio compoſitæ, ſemper in promptu ſint, vt lectionem hiſtoriarum, non aliter, quam parua cynoſura regant.

Quid dicam de loci circumſtantia, quæ tantam vim habet, vt hiſtoriam velut in tabella pictam ante oculos proponat. Cum enim cogitatione complectimur totum terræ ambitum & regionum ſpatia & interualla, videmur in ijſdẽ locis verſari, in quibus maximæ res geſtæ ſunt. Amemus igitur & colamus ſtudia eius doctrinæ, quæ certa, facili, & compendiaria ſupputatione hoc noſtrum domicilium comprehendit.

G R A D V S.

I.	II.	III.
Τῆς ψυχῆς.	τῆς πολιτείας.	τῆς ἁρμονίας.
1 Λογιστικὸν.	1 βουλευτικὸν.	1 ὑπάτη.
2 θυμοειδὲς.	2 ἐπικουρικὸν.	2 μέση.
3 ἐπιθυμητικὸν.	3 χρηματιστικὸν.	3 νήτη.
IV.	V.	VI.
τῆς ἀρετῆς.	τῆς κακίας.	Planetarum.
1 σοφία.	1 Ἀμαθια.	1 *Saturnus & Iupiter*
2 ἀνδρειότης.	2 δειλια.	2 *Mars & Sol.*
3 σωφροσύνη.	3 ἀκολασία.	3 [illegible]*nus* [illegible] *Luna.*
	VII.	
	Ætatum mundi.	
	1 *Inane.*	
	2 *Lex.*	
	3 *Chriſtus.*	

QVARTVM ΠΡΟΛΕΓΟ'ΜΕΝΟΝ.

Quomodo historiæ ad locos communes accomodandæ sint.

QVEMADMODVM apes mirabili arte & industria succum ex flosculis collectum, in suos fauos conuertunt; ita nos decet sententias & exempla optimorum scriptorum, quos vel ipsi legimus, vel ab alijs enarrari audimus, in nostrum mellificium Deo gratum & Ecclesiæ salutare conuertere. Cum enim duæ metæ nostris studijs atque exercitijs propositę sint, vna vt mens rectè iudicet de Deo & de alijs rebus magnis: Altera, vt oratione illustri ea, quæ sentimus, apud alios ꝓpter gloriam Dei & salutē Ecclesię exprimere possimus: Omnes exuscitemus nos ad hanc curam, vt lecta & audita transferamus, partim ad formandum iudiciū, partim ad vsum in dicendo. Hanc diligentiam, quæ anima est nostrorum studiorū, magnopere adiuuat cōsuetudo redigendi omnia quę discimus ad locos communes, quorum optima & commodissima series ex decalogo sumi potest. Nam decalogus breue compendiū est omnium legum naturæ, & omnes virtutū descriptiones pulcerrimo ordine proponit. Quoties igitur de locis communibus, ad quos historiæ potissimum referendæ sunt, deliberas, animo & cogitatione ad has tabellas, legis diuinæ conuersus sis. Vt autem iuniores aliquos titulos in promptu habeant, præcipuas appellationes virtutum recensebo,

Diligentia anima studiorum.

Decalogi summa.

APPELLATIONES VIRTVTVM.

VIRTVTES I. PRÆCEPTI.

Ἐλλείψεις.	Μεσότητες.	Ὑπερβολαί.
1 Ignoratio Dei	1 Vera notitia Dei	1 Dubitatio de Deo
2 Epicureus contemptus Dei	2 Timor Dei	2 δεισιδαιμονία
3 Pusillanimitas	3 Humilitas	3 Arrogantia
4 Diffidentia	4 Fides	4 Tentatio Dei
5 Desperatio	5 Spes	5 Præsumtio
6 Odium Dei	6 Dilectio	6 Superstitio
7 Impatientia.	7 Patientia.	7 Negligentia.
	II.	
1 Falsa inuocatio	1 Inuocatio	1 Idololatria
2 Ingratitudo	2 Gratiarum actio	2 Hypocrisis
3 Neglectio doctrinæ	3 Doctrinæ puritas	3 Hæresis
4 Ἀπροςασία.	4 Confessio.	4 Blasphemia.
	III.	
1 Impedimenta ministerij	1 Conseruatio ministerij	1 Corruptela ministerij
2 Contemptus ministerij	2 Reuerentia debita ministerio	2 Adulatio.
3 Discordia.	3 Concordia docentiũ.	
	IV.	
I Seruitus impia	1 Obedientia.	1 Seditio
2 Ἀστοργία	2 Φιλοστοργία	2 Indulgentia
3 Remissio	3 Iustitia distributiua.	3 Credulitas
4 Superbia	4 Reuerentia	4 Assentatio
5 Ingratitudo	5 Gratitudo	5 Κολακεία
6 Ignauia.	6 Sedulitas.	6 Πολυπραγμοσύνη.

	V.	
1 Remissio	*1 Iustitia particularis*	*1 Crudelitas*
2 Timiditas	*2 Fortitudo*	*2 Temeritas*
3 Impatientia	*3 Tolerantia*	*3 Negligentia*
4 Iracundia	*4 Mansuetudo*	*4 Lenitas*
5 Indulgentia	*5 Ἐπιείκεια*	*5 Crudelitas*
6 Immanitas	*6 Misericordia*	*6 Ἐπιχαιρεκακία*
7 Μισανθρωπία	*7 Amicitia*	*7 Simulatio amicitiæ.*
8 Inhumanitas	*8 Humanitas*	*8 Leuitas*
9 Lenitas	*9 Nemesis seu Zelus*	*9 Rabies priuata*
10 Φιλονεικία	*10 Studium concordiæ*	*10 Adulatio*
	VI.	
1 Incontinentia	*1 Castitas*	*1 Simulatio castitatis*
2 Ambitio	*2 Modestia*	*2 Impudentia*
3 Toruitas	*3 Grauitas*	*3 Leuitas*
4 Vanitas	*4 Verecundia*	*4 Δυσωπία, id est rusticus pudor.*
5 Nimia abstinentia.	*5 Temperantia.*	*5 Ἀσωτία.*
	VII.	
1 Defraudatio in contractu	*1 Iustitia commutatiua*	*1 Manifesta violentia*
2 Profusio	*2 Liberalitas &*	*2 Sordes seu*
	3 Parsimonia	*3 Auaritia.*
	VIII.	
1 Insidiosa occultatio.	*1 Veritas*	*1 Vanitas*
2 Studium calumniæ.	*2 Candor*	*2 Stulta credulitas*
3 Pertinacia	*3 Docilitas*	*3 Leuitas*
4 Morositas	*4 Comitas*	*4 Adulatio*
5 Insulsitas.	*5 Vrbanitas.*	*5 Scurrilitas.*

Ad virtutes trium priorum præceptorum referantur exempla, quæ legimus in sacris scripturis: ad sequentium, exempla & imagines in historijs Ethnicis propositæ. Hunc Catalogum virtutum, quantum quisq; volet, augere poterit, sed tamen sit dextra accomodatio Titulorum ad leges Decalogi.

VICTO-

VICTORINI STRIGELII, VIRI CL. IN IVSTINVM, TROGI Abbreuiatorem,

Commentarius.

De Qvatvor Monarchiis.

Etsi magna pars hominum non discernit inter imperia & latrocinia, sicut pirata ad Alexādrum dixit: Cur magis tibi licet prædari in terra quam mihi in mari? & iudicat, legem esse tyrannum multa cogentem facere contra naturam, vt apud Platonem Hippias inquit: tamen nos prudenter segregemus imperia, quæ sunt ordinatio Dei, à latrociniis, quæ sunt destructio horrenda operis & muneris diuini, & statuamus, Deum esse auctorem huius consociationis in genere humano; & ordinis, quo vult regi homines ad agnoscendum Deum & ad agnoscendam eius sapientiam & iustitiam. Neque vero sic tantum auctor est Politici ordinis, vt approbet legitima imperia cum ratione congruentia; sed etiam hoc modo, quia sicut stellarum motus & suo consilio ordinauit & sua potentia conseruat; ita & ordo Politicus Dei opus est, & quantum ordinis in hac confusione naturæ humanæ manet, à Deo vere &

efficaciter conſeruatur. Nam Diabolus hone-ſtam ſocietatem in vniuerſum diſſiparet, niſi furores eius Deus reprimeret & partem generis humani protegeret. Huc pertinēt dicta Rom. 13. *Poteſtates, quæ ſunt, à Deo ordinatæ ſunt*, & Danielis 2. *Deus transfert regna & conſtituit.* Et quod ſit conſeruator huius ordinis, manifeſte oſtendit ipſo effectu, quia homicidas & ſeditioſos elapſos ex manibus magiſtratuum, mirabiliter ad pœnas retrahit, & quibuſdam gubernatoribus ad conſtituenda & mutanda imperia heroicos impetus addit, qui longe ſuperant communes vires humanæ naturæ. Hic autem monendi ſunt iuniores, vt cogitent, diſcrimen eſſe inter ordinem Politicum & perſonas. Leges, cōtractus, iudicia, pœnę, in imperio Romano tempore Neronis, ſunt res à Deo ordinatæ & iuſtæ, & Paulus hunc ordinem veneratur, & Deo pro tali conſociatione generis humani gratias agit: ſed tamen Nero eſt ſceleratus & teterrimum mōſtrum, & Paulus toto corpore cohorreſcit cogitans talem peſtem tenere hunc ſummum gradum inter homines, qui debebat eſſe cuſtos diuinorum beneficiorum, legis Dei, iuſtitiæ & pacis. Hac diſtinctione inter perſonas & rem obſeruata, falſa imaginatio animis eximi poteſt, quæ ipſum ordinem Politicum damnat & exiſtimat imperia tantum eſſe oppreſſiones imbecillium, ortas vel à Diabolo vel ab humana audacia & cupiditate. Certum eſt enim, Politicum ordinem Dei opus eſſe, & Deū velle, vt eccleſia in Politica vita verſans alios homines de Deo doceat, & in medijs fluctibus

& procellis exerceat fidem, inuocationem, confessionem, ſpem, etiamſi Caligula, Nero & ſimiles iniuſte rapiunt, & iniuſte adminiſtrant gubernationem. Dixi, imperia à Deo orta eſſe, nec tantum humanis conſilijs aut caſu cōſtitui & mutari, ſicut omnes ſapientes ignari Euangelij omni tempore diſputant. Nunc etſi conſilium Dei in cōſtituendis quatuor Monarchijs integre enarrari non poteſt, tamen aliquas cauſas huius conſilij pie & reuerenter cogitemus, cur Deus breuiſſimum mundi ſpatium à diluuio vſque ad finem quatuor Monarchijs, tanquam notis inſignibus diſtinxerit, eamque ſeriem eccleſiæ notam eſſe voluerit. Conſtat enim Danieli & per ſomnium regis Babylonici, & viſione illuſtri quatuor animantium, diuinitus patefactam eſſe continuam ſucceſſionem maximorum imperiorum, quæ à Græcis Monarchiæ vocantur. Has reuelationes cum complector animo, quatuor cauſas diuini conſilij reperio, quarum Prima eſt, vt indicaretur tempus quo Chriſtum Deus naſci voluit. Quemadmodum enim Deus, cum vellet à nobis diſcerni interualla annorum & menſium, vt retro initia rerum & religionum cogitare poſſemus, mirando conſilio motus ſolis & lunæ inſtituit, quæ ſunt inſignes & in omnium hominum oculos incurrunt: ita cum vellet eccleſiam habere exploratum articulum temporis, quo Chriſtus iuxta promiſſiones exhibendus eſſet, quatuor Monarchias inſtituit, vt earum ſeries & pios cōfirmaret de aduentu Chriſti, & pertinaces, qui negant Chriſtum veniſſe, refutaret. Cum enim

necesse fuerit, Christum nasci in quarta Monarchia, durante adhuc politia Mosaica, & hæc quidem funditus deleta sit ab exercitu; illa vero à barbaris nationibus infusis in Italiam, Græciam, Ægyptum & Africam prorsus dissipata sit: profecto confitendum est Messiam venisse & liberasse ecclesiam à peccato & ira Dei & incoasse nouum atque æternum regnum. Impie igitur errant Iudæi, qui adhuc exspectant natiuitatem Messiæ, cum videant, non modo funditus deletam esse, sed nullo vnquam tempore instaurari potuisse, postquam à Tito euersa est. Altera causa est, vt significaretur tempus resurrectionis mortuorũ ac iudicij vniuersalis. Quáquam enim Christus diem illum soli Patri notum esse inquit, nec vult nos curiose quærere certum diem aut annum, sed semper velut in statione paratos exspectare illum lætissimum diem, quo se ostendet vniuerso generi humano & cum sua ecclesia triumphabit: tamen breuitas temporum huiusmundi varie significata est. Nam, vt omittam cæteras coniecturas, quis ignorat Danieli ab ipso Deo monstratam esse seriem Monarchiarum & regnorum, quam certum est iam decurrere ad finem? Quatuor Monarchiæ præterierunt; restat regnum, ortum in quartà Monarchia, videlicet Turcia, quod non æquabit potentiam Monarchiæ Romanæ. Cum igitur iam pene ad fastigium suum venerit, necesse est breui ruiturum esse, ac tunc illucescet dies ille, nobis faustus & optatus, alijs terribilis, quo mortui reuocabuntur in vitam. Facilius autem ferimus huius vitæ miserias, cum quasi

metam

metam proſpicimus & ſcimus aliquando eccleſiam ex magna iactatione portum optatum viſuram eſſe. Tertia cauſa, cum Monarchia longe plus conducat ad retinendam mediocrem tranquillitatem & diſciplinam, quam aliæ formæ gubernationis, de quibus Philoſophi diſputant: nam in δημοκρατίᾳ crebræ ſunt ſeditiones, ortæ ex cupiditate dominãdi: ἀριστοκρατία facile degenerat in ὀλιγαρχίαν, quæ omnia refert ad priuatas vtilitates, oblita commodorum publicorum: Deus ſapientiſſimo conſilio quatuor Monarchias inde vſque à diluuio conſtituit, vt eccleſia in his aliquantiſper domicilium tanquam nidum haberet, & Euangelium propagari poſſet. Niſi enim aliquantiſper pax eſſet, non ſpargi vox Euangelij, non erudiri adoleſcentia, non coaleſcere cœtus aliqui poſſent. Hęc enim fieri non poſſunt, cum terrore armorum, & barbarie ac furore militum, diſſipantur honeſti cœtus, cum vrbes euertuntur, cum nulli ſunt receptus diſcẽtium, cum à complexu parentum auulſa adoleſcentia iugulatur. Agnoſcenda eſt igitur bonitas Dei, qui interdum tranquillitatem pijs ſtudijs concedit, vt iuuentus recte educari & doceri queat, & honeſti gubernatores diſciplinam regere & tueri poſſint. Quarta cauſa. Vult Deus eccleſiam in hac vita imperijs ſubiectam eſſe & plerunque triſti ſeruitute oppreſſam iacere, vt diſcat, ſe non humanis præſidijs aut conſilijs regi ac defendi, ſed à Deo ipſo ſeruari, ſicut apud Oſeam dicitur, *Saluabo eam non in arcu & gladio, ſed in domino Deo ſuo*: item vt diſcernat promiſſionem vitæ

æternæ à gloria Politica, nec ſomniet ſe condi-tam eſſe, vt voluptatibus in hac vita fruatur, ſed meminerit, ſe hic exſulare & quærere permanẽ-tem patriam: deinde, vt in imperijs tanquam roſa floreat, fragrans odorem cœleſtis doctrinę & verum ipſius decus per ærumnas luceat. Hæ cauſæ ſemper nobis in mentem veniant, quoties cogitationem hac de re aliquam ſuſcipimus. Deinceps igitur de prima Monarchia pauca diſſeramus.

MONARCHIA PRIMA.

HÆc Monarchia ſignificata eſt imaginibus capitis aurei & Leonis, quas Rex Babylonicus per quietem & Daniel vigilans viderũt. Quanto enim aurũ cæteris metallis præſtãtius eſt; tãto glorioſius fuit hoc regnũ quã cæteræ Monarchiæ. Deinde vt leo generoſiſſimum animal eſt, nec quicquam ex inſidijs aut ex occulto agit: ſic in prima Monarchia omnia bella aperto Marte geſta ſunt. Fuerunt autem in hac prima Monarchia aſſiduæ vices vicinarum gentium, Chaldęorum & Aſſyriorum. Etenim Nemrod, quem ſcriptura appellat fortem venatorem, annis centum à diluuio incoauit regnum in Babylone, cui ſucceſſerunt Belus & Ninus, a quo hiſtoriæ gentium narrationes ſuas ordiuntur. Deinde regnum propter effœminatam mollitiem Sardanapali translatum eſt ad Aſſyrios, qui originem duxerunt à Sem filio Nohæ, & regia ſedes fuit in Niniue, quam Ionas ab errore & idololatria ad veri Dei agnitionem

nem reuocauit. Eodem tempore quo Sardanapalus interfectus est, duce Arbacto res Medorum crescere cœperunt, & in immēsum auctæ sunt, vsq; ad Astyagen. Ad extremū trucidato Senacherib rege Assyrio, cuius scriptura mentionē facit, Monarchia rursus translata est, ad Babylonios seu Chaldęos, apud quos potētissimus Monarcha fuit Nabuchdonosor. Cum autē nulla extet certa narratio de rebus primæ Monarchiæ, præterquā in sacris monumētis: nocturna diurnaq; manu historias Moisis atq; reliquorum Prophetarum versemus, atq; ex his fontibus Israel, vt Psalmus inquit, ecclesiæ & primæ Monarchiæ præcipuas mutationes hauriamus. Non enim intelligo, quid vtilitatis lectori afferat, aut nuda recitatio regum, aut fabulosa commemoratio rerum, de quibus variæ & discrepantes sunt doctissimorum hominum sententiæ. Itaq; omissis primæ Monarchiæ negotijs ad secundam Monarchiam festinet oratio, quæ multas res memorabiles complectitur.

Ausa tradere imperium.)

Xenophon in Oeconomico: *Iure à natura comparata est opera mulieris ad domesticam diligentiam, viri autem ad exercitationem forensem & extraneam. Itaque viro calores & frigora perpetienda, tum etiam itinera ac labores pacis & belli, id est, rusticationis ac militariū stipendiorū distribuit: mulieri deinceps, quod omnib. his reb. eam fecerat inhabilē, domestica negotia curanda tradidit, & quoniam hunc sexum custodia & diligentia assignauerat, idcirco timidiorem reddidit quam virilem. Nam metus plurimum confert ad diligentiam custodiendi.*

Hæc Babylonem condidit.)

Strabo lib. 16. Babylon in campo iacet, muri ambitum habet 385. stadiorum, eius muri crassitudinem pedum 32. altitudinem inter turres cubitorum quinquagenū, turrium ipsarum sexagenū, viam super mœnibus tam late vt quadrigę occurrētes facile pertrāsire possint. Vnde & hoc ex septem spectaculis vnum dicitur. In eadē vrbe sunt horti pensiles, figura quadrata, quorū latus q̄libet quaternū est iugerū: hi fornicibus continētur, sese in forcipis modū intercidētib. & collocatis super pilis, q̄ cōcauę sunt

 & ter-

& terræ plenæ, vt arbores maximas cōſitas recipere poſſint, ex lapide coctili & bitumine ſtructæ, tam ipſæ quam fornices & fornicum interſectiones: ſupremum tabulatum aſcenſus ſcalares habet & cochleas ipſis adiacentes, per quas continue aqua ex Euphrate in hortos affertur, ab hominibus ad hoc ipſum conſtitutis. Nam flumen id mediam vrbem interluit, cuius latitudo ſtadium occupat.

Duplex bitumen. In Babylonia etiam bitumen multum naſcitur, cuius duo ſunt genera; vnum aridum, alterum liquidum, quod naphtam vocant. Aridum ad ædificia idoneum eſt, quæ ex coctilib. lateribus fiunt. Liquidum vero admirabilem quandam naturam habet, nam igni admotum eum corripit, nec aqua vllo pacto extingui poteſt, ſed magis ardet, niſi valde multam ſuperinfuderis, cœno & aceto & alumine & viſco oppreſſum extinguitur. Cætera, quæ ad deſcriptionem Babylonis pertinent, aſſumant ſtudioſi ex eodem libro Strabonis & ex primo Herodoti.

Poſtremus regnauit Sardanapalus.)

Plato in 8. de Repub. cum diſputat mutari Reſpub propter cœleſtes cauſas, quæ certas viciſſitudines rerum efficiunt in ciuitatibus & imperijs, inquit: *Quemadmodum reſiſtit natura in vocibus, cum ſeſquitertius iungitur quinario, id eſt, cum diateſſaron additur diapente, hoc eſt, cum completa eſt harmonia diapaſon: Ita cum circumacta eſt imperiorum periodus ruunt & mutantur Reſpublicæ.* Adiecit & cauſam hanc, quia cum plani cubi complectuntur ad ſolidos vſque, nec enim natura vlterius progreditur, multi diſſimiles numeri procreantur: ita degeneres ciues, qui tamen potiuntur Repub. ex præſtantioribus orti euertunt Reſpub. paulatim vſq; ad periodum.

ΣΥ'ΝΧΡΟΝΑ PRIMÆ MONARCHIÆ.

Incidunt in tempus primæ Monarchiæ omnes res geſtæ in eccleſia, inde vſque ab Abraham, ad Danielem. Vt ver-

verbi causa: Vocatio Abrahæ ex Chaldæa; immolatio Isaaci; migratio Iacob & duodecim filiorum in Ægyptum; eductio populi Israel ex Ægypto; gloria iudicum & regum in terra Canaan vsque ad captiuitatem Babylonicam.

Troia capta est ante Christi natiuitatem ex virgine annis 1183. Troiæ excidium antecesserunt argonautica expeditio & bellum Thebanum. Roma condita est ante Christum natum ex virgine annis 729. Homerus vixit 160 annis post bellum Troianum, & totidem ante conditam Romã. Hesiodus vixit annis 100. post Homerum. Hæc igitur breuiter annotaui, quia testantur, Hebræorum historias antiquiores esse Græcis & Romanis.

Cyri adolescentis iudicium apud Xenophontem lib. primo παιδείας.

Cum puer natu grandior indutus breuiore tunica eripuisset vi alteri minori longiorem tunicam, data breuiore, res ad Cyrum iudicem defertur. Cyrus pronunciat magis conuenire longam vestem grandiori, & hunc eam retinere iubet. Hic, inquit Xenophon, Cyrum plagas à Magistro accepisse, qui monuerit æquum esse, non quod nobis videtur, sed quod lex sanxit: legem autem præcipere, vt suum quisque teneat. Errauerat igitur Cyrus in discernenda æqualitate, indicauerat secundum Geometricam proportionem. cum æqualitas non personarum sed rerum tantum esset facienda Arithmetica proportione, ne alter damno afficeretur.

Immanitas Astyagis.

Herodotus libro primo: Apposuit Medorum immanissimus rex Harpago Patri filium epulandum atque inter edendum subinde percontatus est; Lautæne essent epulæ, placeretne ciborum apparatus, vtq; patrẽ ipsum plenum iam abunde vidit, filii caput in lancib. afferri in mensam ante oculos ipsius iussit, &, an satis comiter acceptus esset, interrogat. Ad aspectum igitur tam fœdum, immanem, incogitatumque regiamque ad interrogati-

onem Harpagus vultu, quam maxime composito potuit, dixit: *Omnem apud regem cœnam pericundam esse.*

Quæstio, Vtrum Harpagus recte fecerit accersens Cyrum contra Astyagem, qui ei filium edendum apposuerat?

Non dubium est, cuilibet homini concessam esse defensionem sui corporis, coniugis & liberorum aduersus manifestam & atrocem iniuriam, seu à paribus, seu à superioribus illatam, & indignissimum est viro in tali casu, scilicet notoriæ iniuriæ, non ostendere suum dolorem, cum videamus omnes bestias, imo & gallinas, pro natis pugnare. Hanc στοργὴν hominum naturæ Deus impressit, vt monitrix sit de amore erga filium & erga nos. Quod vero hic obijcitur Pauli sententia, quæ videbatur prohibere defensionem contra magistratum: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit & iudicium sibi accersit.* Respondeo; Paulus ipse optimus interpres est suorum verborum. Vetat enim resistere in casu iurisdictionis, quia diserte inquit, *Ordinationi Dei resistit.* Violentia autem iniusta non est ordinatio Dei: vt Thebani cum excuterent Lacedæmonios, qui rapiebant ciuium liberos & coniuges ad turpitudinem, non resistebant ordinationi Dei, sed manifestis furoribus Diaboli & manifesto latrocinio. Sed modus aliquis & meta certa huic defensioni attribuatur. Vt enim aliqua parentum vitia ferenda sunt; ita aliquæ magistratuum iniuriæ, præsertim in casu ambiguo ferendæ sunt. Sed manifestam & atrocem iniuriam depellere iustum est, quia talem defensionem lex naturæ, quæ est lumen diuinitus conditum in mente hominis, congruens cum mente diuina, & magistratuum leges concedunt. Consentit autem cum hac regula Traiani imperatoris vox dextre intellecta. Etenim Traianus tradens gladiũ magistro equitum, dixit, *Si iusta imperabo, pro me vtaris gladio: si iniusta contra me vtaris,* videlicet in defensione ꝓprij corporis aut eorum, quorum tibi commendata est defensio. Non

enim concedit ei in alijs priuatis delictis potestatem, in eũ animaduertẽdi. Postremo sicut in fœderib. semper exceptus est casus necessariæ defensionis, etiamsi nulla eius casus facta sit mentio: ita in hac ciuili subiectione intelligatur casus necessariæ defensionis exceptus. Nam iuramentum non minus obligat fœderatos, quam ordo inferiorum obligat inferiores.

Percurrimus vtcunque summa vestigia rerum, quas prima Monarchia cõplectitur. Si quis enim plura de his rebus cognoscere vehementer cupit atque optat, hunc ego deduco ad fontes Israel, id est, ad scripta Moisis & Prophetarum. Sequitur ergo vt incoemus historiam secundæ Monarchiæ Persicæ, quæ multo maiorem voluptatem auditori afferet, quam superiorum rerum commemoratio.

MONARCHIA SECVNDA.

QVEMADMODVM sol dux & moderator luminum reliquorum tardissime mouetur, constitutus in summo vestigo, hoc est in tropico cancri, in æquinoctijs vero celerrimas habet inclinationes in alterutram mundi plagam: ita res atque euentus ostendit, in prima Monarchia pauciores mutationes accidisse quam in secunda, quæ à media mundi duratione paulo longius, qvam æquinoctialis à duobus Tropicis abest. Etsi enim vera est querela de omnibus imperijs, quæ extat apud Ouidium:

—— Sic omnia Verti
Cernimus, atque alias assumere pondera gentes,
Concidere has.
Item: —— *Summúsque negatum*
Stare diu.

Tamen si volumus historias considerare easque inter se conferre, reperiemus primã Monarchiam non habuisse tot æstus & tantas agitationes fluctuum, quantas perturbationes hæc secunda habuit. Nam is status, quem Ninus

Ninus constituit, durauit vsque ad Sardanapalum, mille & ter centum annos. Totidem annos & amplius floruit regnum Ægypti, tanquam Veneris sydus inter stellas minores. Sic in populo Dei summa potestas fuit penes iudices & reges, annos circiter mille vsque ad captiuitatem Babylonicam. At vero in Persica Monarchia, quæ tantum annos ducentos durauit, quantæ, quam multæ insignes mutationes exiguis interuallis acciderunt? Felicissimus ac mitissimus regum fuit Cyrus, & tamen huius armis florentissima pars orbis terrarum videlicet Ionia, horribiliter vastata est. Voluit enim Deus punire libidines. Darius Hystaspis primus intulit bellum Græciæ, cuius reliquias cum infeliciter persecutus esset rex Xerxes, quassari Monarchia vix dum cõstituta & aliquando post ruere cœpit. Nam mortuo Artaxerxe Longimano, qui sua virtute & pietate Monarchiam quassatam vtcunque adhuc fulciebat, secutæ sunt defectiones prouinciarum Ægypti & aliarum. Secutum & bellum ciuile, inter duos fratres Cyrum iuniorem, & Artaxerxem Mnemonem. His successerunt, Ochus & Arsames, qui Monarchiam paulatim vsque ad periodum euerterunt.

Quanquam autem Græcia tribus insignibus victorijs; Marathonia, Salaminia & Platææsi, diuinitus ornata erat; tamen postea inter ipsos Græcos exarsit fatale incendium, quod Peloponnesiacum vocatur, in quo omne decus Græcæ gentis miserabiliter concidit. Hæc exempla mutationum cum legimus, possumusne dubitare, quin mundus ad finem decurrat & quasi suam senectam habeat? Nam euersiones magnarum vrbium & magnorũ regnorum, quæ in tertia & quarta Monarchia acciderunt, tantam habent celeritatem, vt cum ea Persicæ Monarchiæ celeritas comparari non possit. Admoniti igitur regnorum ruinis in hanc cogitationem veniamus, vt existimemus, breue esse huius mundi curriculum, & iam instare lætissimum diem, quo filius Dei ecclesiam, liberatam tyrannide diaboli & organorum eius, introducet in æterna tabernacula. Antequam vero ad res Cyri explicandas accedamus, recensendus est Catalogus regum Persicorum.

1 *Cyrus*
2 *Cambyses*
3 *Darius filius Hystaspis*
4 *Xexxes*
5 *Artaxerxes Longimanus*
6 *Darius Nothus*
7 *Artaxerxes Mnemon*
8 *Ochus*
9 *Arsames*
10 *Darius vltimus.*

Hæc series regum Persicorum nota est eruditis omnibus, qui Græcas historias legerunt. Nam magos inserere suppositiuos reges absurdum est. Est & illud obseruatione dignum, quod Herodotus libro 6. inquit, ***Darij voce idem significari, quod significat vocabulum coercentis: Xerxem ait esse bellatorem: Artaxerxem magnum bellatorem.***

DE CYRO.

PATRIA.

NATVS est Cyrus in Persia, quæ regio multis alijs prouincijs Asiaticis antecelluit, studio sapientiæ, laude rei militaris, fertilitate & temperamẽto cœli. Nam genus sapientium & doctorũ habebatur in Persia, quod non solum res diuinas administrabat; sed etiam medicinam, astronomiam & historiam profitebatur. Hos Persæ magos appellant perinde vt Græci studiosos sapientiæ Philosophos. Fuit etiam Persarum natio bellicosissima & in planitie ita fertilis, vt ea vicinis gentibus frumentum communicare posset. Ad hæc ornamenta minime vulgaria accedit puritas & temperatio aeris saluberrima. Est autem illa vera & vobis non ignota Ciceronis oratio: Licet videre acutiora ingenia & ad intelligẽdum aptiora eorum, qui terras incolant eas, in quibus aer sit purus ac tenuis, quam illorum, qui vtantur crasso cœlo. Probabile est igitur Cyri ingenium, cum propter alias causas,

tum

rum etiam propter cœli naturam mitissimum fuisse. Etsi autem fuerunt multæ præclare ciuitates in Persia; tamen Susa omnium maxime celebratur, quæ a rosis nomen habet. Hæc suauis appellatio haud dubie à primis patribus vrbi imposita est, vt significarent, imperia & res publicas debere rosas esse fragrantes odore cœlestis doctrinæ.

PARENTES

PATER Cyri fuit Cambyses ortus à Sem filio Noæ. Vt enim ab Assur Assyrij, à Canaan Cananæi: ita ab Elam Elamitæ, quorum nomen in Persia mansisse etiam Græci historici testantur. Mater fuit Mandane, filia Astyagis regis Medorum. Hic vero consideret lector, qualia sint consilia Dei in gubernatione ecclesiæ & imperiorum. Promiserat Deus post ri:ati Sem summam potestatem, & familiæ Cham seruitutem tristem denuntiauit, cum his promissionibus & comminationibus videntur res ipsæ & euentus è diametro pugnare, quia primam Monarchiam tenuerunt posteri Cham annos mille & paulo plus, & in hac diuturnitate temporis familia Sem seruitute oppressa iacuit. Solent enim promissiones & comminationes rerum ad hanc vitam pertinentium certo & mirando Dei consilio differri, quarum euentus patienter expectandi sunt. Nunc igitur ad familiam Deo placentem Monarchia transfertur, eoque eripitur posteris Cham, qui ficto titulo & mala fide possessionem imperij tot annos tenuerant, vt hoc exemplo confirmati discamus, Deum suo quodam consilio differre ac tandem præstare promissa, nec ab eo deficiendum esse, propter euentus, qui aliquandiu promissioni ac comminationi diuinæ repugnare videntur. A familia Sem originem ducit Christus, de quo Lucas cap. tertio. In decimo capite Geneseos ostenditur, quot fuerint filij Sem. Dominus mirificat Sanctum suum, id est, mirabiliter tractat, regit, gubernat. Huius exemplum hic audiemus.

In imperijs multa sunt signa illustria sapientiæ & iustitiæ Dei. Alia maiore sapientia quam humana opus est

in im-

in imperijs. Iustitia cernitur etiam in puniendis prauis hominibus, quia Deus plerunque sic agit, vt Atrocia delicta puniantur atrocibus pœnis. Deus multa manifesta signa addidit mortuis corporibus. Nam corpora interfectorum sudant cruore, approinquante auctore cædis, & nulla est causa physica & naturalis, sed Deus diuinitus hoc efficit.

EDVCATIO.

NARRAT Xenophon in primo παιδείας Cyri, quatuor apud Persas fuisse collegia, in quibus omnium ætatum studia & mores formarentur. Ac puerorum quidem collegium ait non tam fuisse officinam literarum, quam iustitiæ, gratitudinis, veritatis, modestiæ, temperātiæ & aliarum virtutum palęstram. Vt enim apud alias gentes pueri discendi causa potissimū in scholas mittuntur: sic apud Persas in puerili institutione maior ratio disciplinæ quam doctrinæ habebatur. In altero collegio iuuentus exercebatur quotidiana venatione, vt hoc modo assuefieret ad tolerādos militiæ labores. Nam venatio non sinit hominem ignauo otio languere, sed cogit tolerare vigilias, famem, sitim, ac sæuitiam tempestatum. In tertio collegio sunt viri fortes, qui

——instar apum regem admirantur, & omnes
Circumstant fremitu denso, stipantq; frequentes,
Et sæpe attollunt humeris & corpora bello
Obiectant, pulchramq; petunt per vulnera mortem.

Quartum collegium erat cœtus grauium, senum, eruditorum, pręstantium virtute, qui Rempublicam cōsilijs & legibus gubernabant. Vt autem nūc in Academijs vsitati sunt gradus promotionum, & ordine ab infimis ad summos peruenitur, ita Persæ suos liberos, ex vna classe in aliā transferebant, donec vel manu vel consilio Reipublicæ vsui esse possent. Ad hanc domesticam disciplinam accessit insignis pietas, quam Cyrus haud dubie à Daniele didicit. Apparet ex edicto, quod de instauratione Hierosolymæ & templi Iudaici proposuit, Cyrum & multos alios in aula Persica ad veram pietatem & veri Dei inuocationem conuersos fuisse.

MO-

MORES

QVOD de egregijs principibus, Traiano, Valentiniano & Theodosio Aurelius victor dixit: hoc eodem modo de Cyro dici potest. Fuit enim Cyrus vultu decēs, solers ingenio, animo grauis, sermone cultissimus, sanctus domi, in armis fortis, vtrobique prudens, clemens, misericors, beneficus erga ecclesiam, blādus parer, concors maritus, moderate vsus est omnibus victorijs & suauissima bonitate tulit æmulationem Ziaxaris collegæ, quem Daniel Darium Medum appellat. Ac ne plura commemorando de iustitia Cyri, magnitudine animi, prudentia, temperantia, continentia, fide lectori molestus sim, sic statuo; bonitatem ac lenitatem in reliquo choro virtutum sic extitisse, vt inter stellas hesperus eminet. Vtinam vero principes huius ætatis hāc imaginem attentius considerarent, seque ad eam effingendam exsuscitarent, vt conspici posset id, quod ait Xenophon, *Bonos gubernatores nihil differre à bonis parentibus*: Etsi enim Cyrus res gessit difficilimas ac patriæ vtilissimas tamen plus vere laudis habuit propter moderationem animi, qua cauit ne quid aduersus ciues superbe, aut aduersus hostes crudeliter faceret, qua tulit æmulos, ac ornauit, quam propter illas quamuis gloriosas victorias.

GENVS VITÆ.

DVo sunt genera vitæ, à quibus hic mundus potissimum gubernatur; vnum eccclesiasticum, alrerum Politicum. Etsi autem ministerium Euangelij reuera antecellit ordini Politico: tamen vult Deus in hac vita maiorem esse gloriam Politicorum gubernatorum, quam eorum, qui munus docendi sustinent. Versatus est igitur Cyrus in genere vitæ splendidissimo, & sensit suam manum diuinitus inter prœliandum adiuuari iuxta illud Psalmi, *Qui das salutem regibus*, ac retulit suas victorias ad propagandam doctrinam cœlestem & ad conseruandam ecclesiam. Quamobrem merito antefertur Herculi, Scipioni & alijs heroicis viris, qui nec in prœlijs verum Deum inuocarunt, nec victorias contulerunt

ad

ad propagandam doctrinam de Deo, de Dei inuocatione, de vita æterna.

RES GESTÆ ET EVENTVS.

CONGRVVNT res gestæ Cyri cū vaticinio, quod apud Esaiam extat capite 45. Vbi diserte appellatur *Virtus domini*, id est, Heros diuinitus excitatus non solum ad constituendam Monarchiam, sed etiam ad instaurandam vrbem Ierosolymam, quæ ante annos 70. ab exercitu regis Babylonici vna cum templo diruta & ante oculos prostrata erat. Fuit autem hic Cyrus similis sagittæ contortæ valida manu, vt Psalmi verbis vtar, cui omnia cedunt, omnia prona sunt. Nam tria bella felicissime gessit, quæ erant necessaria & causas fatales habebant. In primo quidem vicit auum maternum Astyagen, de quo etsi graues iustasque pœnas sumere poterat propter immanitatem scelerum; tamen admirabili & incredibili pene bonitate iustitiam temperauit, vt semper in heroicis naturis eminet suauitas humanitatis. Alterum bellum cum rege Babylonico aliquanto seuerius gessit, quia capta Babylone tyrannum interfecit. Voluit enim Deus punire cum alia scelera huius tyranni, tum blasphemas voces aduersus Deum Israel recitatas in prophanatione vasorum templi Ierosolymitani. Tertium bellum cum Crœso rege Lydorum ita gessit, vt seipsum in victoria, quod difficilimum est, superasse videatur. Cum enim Crœsus captiuus à militibus ad ipsum adduceretur, & regem victorem his verbis salutaret: *Salue ó domine. Hunc enim titulum fortuna tibi concedit:* Cyrus humanissime respondit, *Salue & tu Crœse, quia ambo homines sumus.* Postea cum Cyrus irritatus perfidia Pactyis, quem Lydiæ post discessum præfecerat, vrbē Sardium funditus delere cogitaret, & Crœsus hanc cōmonefactionem victori irato subijceret, *Caue ne simul cum Vrbe artes ipsas, quæ sunt fontes omnium bonarum rerum, deleas.* Cyrus in hoc consilio placide acquieuit & Sardibus pepercit. Etsi autem in Cyro clementia & bonitas erat insignis: tamen, quia Deus constituit & mutat imperia vt idolomanias, tyrannides & libidines puniat,

mutationes omnes habent aliquid sæuitiæ: Magnis igitur domita cladibus Ionia vix tandem in seruitutem redacta est, & fuisse longas vrbium oppugnationes Phocecæ exemplum ostendit, quæ tanta pertinacia aduersus Harpagum defensa est, vt tandem vniuersa multitudo ciuium, in ipsa obsidione naues conscenderit & procul alias sedes quæsiuerit. Hi Phocenses exules vrbem Massiliam ad Rhodani ostium condiderunt & in eam Galliæ oram transuexerunt Græcas literas & disciplinam plenā humanitatis, potestq; ex eius vrbis humanitate existimari, quā ciuiliter antea in Asia gens Ionica vixerit, sed luxus sine modo creuerat & pepererat libidines & alia vitia, ideo secutæ sunt ingentes calamitates & vrbium excidia. Fuit autem Cyrus tantisper felix, donec bella necessaria gessit. At in postremo bello, quod Scythis sine iusta & necessaria causa intulit, elatus fortunæ fauore sibi & imperio tetram conuersionem accersiuit, cum potius solem imitari deberet, qui cum in loco boreali ad summum fastigium ascendit tardissime mouetur. Sunt enim arcana & multorum sanctorum peccata, securitas & superbia, & facile obrepunt in rebus secundis ac præcipue excellentibus viris, qui habent admirabiles successus, ingentem gloriam, magna Dei dona. Vt igitur Iosias pius & sanctus rex πολυπραγμοσύνη & fiducia præteritorū successuum, intulit bellum Ægyptio regi offerenti pacē, & pœnas πολυπραγμοσύνης in eo bello persoluit; ita Cyrus iudicans se perpetuo similes res gesturum esse ac se munitum esse contra omnes fortunæ casus, ex summo gradu in acerbissimas calamitates præcipitatus est. Libet autem hoc loco particulam orationis Cræsi, quæ apud Herodotum extat li. 1. recitare, ex qua apparet, Cræsum ipso vsu modestiorem factum dissuasisse Scythici belli susceptionem: *Postquam ego,* inquit Crœsus, *in tuam potestatem veni, & quæ magna felicitas est, in hostem sapientē incidi, semper operā dedi, vt quacunq; ratione possem, incommoda regno tuo impendētia, auerterē. Etsi .n. acerba & luctuosa est præteritorum malorum recordatio, tamen haud scio an vlla res sit, quæ magis ad modestiam animos flectere possit. Quare si vel tu ipse immortalis esses, vel immortalē exercitū duceres, nihil ponderis mea cōsilia in tuis delibera-*

tioni-

tionibus haberent: sin autem agnoscis te hominē esse & hominibus imperare, hac cogitatio animū tuū subeat, res humanas subiectā habere conuersionem fortunæ, quæ nōn sinit quemquā perpetuo felicē esse. Vtinā vero omnes homines huic sapiētissimę cōmonefactioni obtēperarēt, quę si facerēt, nequaquā stulta cupiditate res nō necessarias mouerēt.

MORS.

DE genere mortis Cyri variæ sunt & discrepātes doctissimorum hominum sententiæ. Alij enim, inter quos est Xenophon, narrant, Cyrum placide in lectulo mortuū esse & paulo ante mortē de multis magnis rebus disseruisse. Sed nos assentiamur cōmunissimæ narrationi, quæ affirmat, Cyrum tristissimum exitū habuisse. Postremo repetendū videtur, quod in Dionysij Persicis libris legitur. Nam cum dormienti Cyro sol ad pedes visus esset, ter eū scribit frustra appetiuisse manibus, cum se conuoluens sol elaberetur & abiret, eiq; Magos dixisse (quod genus doctorum & sapiētum habebatur in Persis) ex triplici appetitione solis triginta annos Cyrū regnaturum esse portendi, quod ita contigit. Nam ad septuagesimum peruenit, cum quadraginta natus annos regnare cœpisset. Quanto autem in luctu fuerit Daniel & alij pij propter Cyrum interfectum à Scythis, nemo satis explicare potest. Lugebat regem amicum, apud quem gratia & auctoritate valuerat, videbat inimicos veræ doctrinæ gratulaturos sibi esse interitum Cyri & impię factionis potentiam confirmaturos esse, vt sunt in aulis vices. Hæc viri sapientiss: Danielis animum non leuiter excruciauerunt, sed is tamen se hac consolatione sustentabat, norat Dei promissiones certas, veras & ratas esse, etiamsi euentus mirandi sint, nec nostris coniecturis respōdeant. Nam hac doctrina oportet nos in ecclesia instructos esse, vt fide petamus & expectemus euentus.

REGES LYDORVM.

REGNVM Lydorum cœpit vna cū initio olympiadū. Incoantur autem olympiades ab anno tricesimo

octauo Vsię regis, quo tempore cœpit concionare Esaias. Primus rex fuit Ardises, regnauit annos 36. Secundus rex Aliad 14. Tertius Meles 12. Quartus Candaules 17. Quintus Gyges 36. Sextus Ardys. 49. Septimus Sadyattes 12. Octauus Alyattes 57. Nonus Cresus 14.

Araxis) fluuius minoris Armeniæ qui effunditur in mare Caspium seu Hircanum.

DE CAMBYSE.

ETsi semina virtutum plerumque ab Heroicis parentibus in natos propagantur, vt ille ait,

Fortes creantur fortibus & bonis;

tamen interdum fieri solet, vt nati in heroica familia ex parentibus, quorum fuit excellens virtus, prorsus degenerent & feris ipsis tetriores efficiantur. Huius dissimilitudinis causam Philosophi in positu stellatum quærunt, nec falsum est quod dicunt, materiam corporum varie à stellis temperari; sed quæ sit prima & potissima causa, non vident. Audiamus igitur ecclesiam de hoc fonte concionantem, quæ principalem causam in decalogo recitat, cum inquit, *Ego sum Deus fortis Zelotes visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* Cum enim multa sint parentum Heroicorum arcana peccata, late vagantur pœnæ per posteros. Accedit illa quoque causa, cur sæpe liberi nullam cum parentibus similitudinem habeant, quod Deus non vult sua dona alligata esse ad successiones, familias & propagationem carnalem; sed vult hac infelicitate liberorum cum omnes homines tum præcipue potentes ad modestiam & timorem Dei hortari. Sic Cambyses natus optimo & clementissimo patre Cyro, & domestica disciplina diligenter ad pietatem & virtutem institutus, ea fuit immanitate, vt omnia sibi licita esse persuaderet, nec vllis commonefactionibus aures adhiberet. Refert Herodotus Cambysem admonitum à Prexaspe, qui erat illi maxime fidus ac charus, vt in potu esset abstinentior, quod ebrietas in regibus maxime notabilis esset, respondisse, Non mentem modo post vinum verum etiam & oculos & manus in officio esse, idque breui se comprobaturum: cumq;

cumque liberalius quam vnquam antea poculis indulsisset, iussisse filium eius vltra limen progredi, ibidemque codsistere alleuata manu supra caput sinistra è vestigioq; contento arcu cor illius medium sagitta fixisse, quod se transfixurum antea dixerat, conuersumque ad patrem dixisse, an satis certam ipsi videretur habere manum. At ille dissimulato dolore negauit Apollinem potuisse certius iaculari. Etsi autem hoc exemplum non obscure declarat, quale monstrum fuerit Cambyses, tamen quo facilius intelligatur sanguinolentiam lusum quendã Cambysi fuisse, exercitationemq; voluptariam, duas præterea narrationes ex Herodoto repetam. Cum enim visus esset in somnijs videre fratrem Smerdim regnãtem, mox ad eum interficiendum Prexaspem misit, qui quidem ministerio alienę crudelitatis nauiter functus est. Deinde sororem suam in matrimonium duxit, quod præter Cambysem & idipsum pessimo exemplo nemo vnquam fecerat apud Persas. Quid quod ne gemitus quidem apud hunc tyrannum liberi fuerunt. Cum enim soror eademque vxor duos canes vario euentu inter se dimicantes, & alterius fratrem ruptis vinculis, quibus tenebatur constrictus, ad ferendam opem fratri periclitanti accurrere vidisset atq; huic spectaculo gemitus miscuisset præsente Cambyse, mox à tyranno suspicante eã fratris Smerdis interitum deplorare interfecta est. Itaque in hoc tam nefario scelere tragicum illud opportune ex Seneca subijciam, *Quis Colchus hoc, quis sedis incerta Scytha commisit, aut quæ Caspium tangens mare, gens iuris expers ausa?* Sed ordine diuino haud dubie atroces pœnæ comites sunt atrocium scelerum; nam & in rebus gerendis fuit infelix & exitum vitæ consentaneum habuit. Narrat Herodotus Cambysem in expeditione aduersus Æthiopes, cum omnia victus necessaria defecissent, etiam fruticum atque herbarum radices, decimum quenque militem sortiri in alimentum iussisse: fame igitur itaque pariter in præceps agitatur, donec parte exercitus amissa, parte etiam in cibo absumta, ipse etiam timuit, ne ad sortem vocaretur. Etsi autem tyrannus habet studium seu ἀναίρεσιν scelerate agendi & plerunq; scelerate agit; tamen interdum propter gradum & munus personæ ali-

qua recte facit. Sic Cambyses institutus haud dubie in schola Danielis cum extremam idololatriam detestaretur, Apim illum sanctũ Ægyptiorum bouem confodit & iudicem iniustum Sisamnem patrem Otanis inusitato supplicio mulctauit. Nam pellem ipsi detractam ac sellæ prætoriæ instratam Otani filio monstrauit, similem pœnam denuntians, si patris vestigia sequeretur. Cum igitur nulla gubernatio felix & salutaris sit nisi Deo iuuante; vt testantur dicta Prophetica, *Nisi dominus custodierit ciuitatem &c.* Item *Qui das salutem regibus &c.* Oremus Deum vt seruet ac tueatur ordinem Politicum, excitatis bonis & salutaribus gubernatoribus & repressis tyrannis, qui in genere humano grassantur velut in horto apri.

DE DARIO, FILIO HYSTASPIS.

DARIVS Hystaspis est is, quem Esdras & Philo nominant Assuerum, quod ita esse ex historia intelligitur, quia Philo narrat, hunc Assuerum recuperasse Assyriam & Babylonem. Id apud Herodotum narratur de Dario filio Hystaspis, & scribit Herodotus lib. 3. Dario concubinam fuisse omnium carissimam Artistanam, quæ appellatio conuenit cum appellatione Esther, cuius filius putatur fuisse Artaxerxes Longimanus assuefactus haud dubie materna disciplina ad veram pietatem. Antequam vero ad historiam Darij accedo, pauca de instauratione templi Ierosolymitani dicenda videntur, ne rerum, quæ in ecclesia geruntur, rudes atq; ignari simus.

Daniel impetrauerat à Cyro edictum, vt Iudæis concederetur reditus in patriam & tẽplum instauraretur. Incoata est igitur ædificatio templi anno secundo Cyri, ac bona spes erat, iam regnante pio principe Cyro, futurum vt cito restitueretur templum & ciuitas, ac populus frueretur tranquillitate. Sed ecce vt fit, interuenit magna calamitas; Cyrus procul ex regno discedit, bellum gerens cum Scythis & paulo post interficitur: domi Cambyses filius impius, quem pater successorem creauerat,

more

more Persico regnum gubernat & iterum prohibet migrationem & reditum populi Iudaici. Conantur & vicinæ gentes impedire ædificationẽ vrbis ac tẽpli. Hic quãtum vulnus acceperint Daniel & alij amisso pio rege & abdico edicto Cyri, nulla oratione satis explicari potest. Ita ecclesiæ instauratio varijs modis impeditur & diuinæ liberationes non procedunt humanis consilijs. Cambyse mortuo noua bella in ipso regno Persico orta sunt, Darius Magos interfecit & recuperauit Babylonem. Occupatus igitur rex domesticis bellis audire prouinciarum causas non potuit, ita differtur ædificatio annos fere 42. Nam toto tempore Cambysis & Darij impedita est. Successit postea Longimanus beneficus erga populum Dei & intelligens verum cultum Dei. Hoc regnante decretum de instauratione templi renouatum est, & quatuor annis templi ædificatio absoluta est, sexto videlicet anno Longimani, vt testatur historia in libro Esdræ.

Hanc historiam recensui admonendi lectoris causa de ecclesiæ calamitatibus. Hic enim videmus, eam mirabili consilio Dei in impetijs duriter quassari, & tamen seruari diuinitus, sed non eo modo, quem cogitant mentes humanæ: & hæc admonitio grauissimam & vtilissimam doctrinam continet, videlicet vt nos in ecclesia nostræ vocationi fideliter pareamus nec deterreamus metu impendendentium periculorum, nec pendeamus ex humanis præsidijs, sed a Deo fide petamus & expectemus gubernationem actionũ & secundos euentus, sicut Psalmus ait: *Reuela Domino viam tuam, & ipse faciet.* Gubernatio præsertim ecclesiæ solius Dei opus est & filius Dei belligeratur cum Diabolo, nec potest humana sapiẽtia perspicere mutationes rerum, politiarũ, principũ, & munire ecclesiam humanis præsidijs: ideo fides Deum intueatur & nos nostrum officium recte faciamus, pure docẽdo ac fideliter discendo & exitus Deo cõmendemus.

Nunc ad historiam Darij venio, in qua maxime memorabilis est disputatio trium principũ de optimo statu Reipubl. Sunt. n. tres formæ gubernationis Politicæ. Vna quæ vocatur Monarchia, quã Homerus laudans inquit;

Multos imperitare malum est rex vnicus esto.

 Altera

Altera species est ἀριστοκρατία, in qua optimorum & sapientissimorũ consilio omnia administrãtur. Tertia est δημοκρατία, in qua vniuersæ multitudinis arbitrio cuncta reguntur. Sed vt actiones omnes, quæ à voluntatibus oriuntur sunt flexibiles & facile deprauantur iuxta illud:

Et mala sunt vicina bonis, errore sub illo
Pro vitio virtus crimina sæpe tulit.

Sic & ab his formis gubernationis leui momento discceditur ad vicinas corruptelas, quas Aristoteles παρεκβάσεις nominat. Est autem Monarchiæ corruptela tyrannis; Ἀριστοκρατίας, ὀλιγαρχία; Democratiæ, ἀναρχία. Ac ne quid erroris vel obscuritatis in verbis relinquatur, breuiter vocabula harum deprauationum declarabo. Tyrannis est violenta gubernatio, in qua non lex, sed cupiditas & iracundia dominantur. Præclare ergo Aristoteles in 3. Polit. inquit: *Qui legem iubet praeesse, præficit Deum & legem, qui vero hominem iubet præesse, præficit beluam.* Tale est enim quiddam cupiditas & iracundia, quæ etiam optimos viros deprauat. Lex vero est mens sine cupiditate. Ὀλιγαρχίαν vocant, quando vnus & alter in Republica principes & auctores sunt consiliorum, ac cæteri velut fistulæ sonum ab his inspiratum reddunt. Anarchia dicitur confusio cyclopica, in qua nemo audit alterum, sed vt quisque est furiosissimus & audacissimus, ita plurimum auctoritate valet. Hæc reuera maius malum est, quam tyrannis. Nam in tyrannide locum habet προσωποληψία, qua tyrannus aliquos fouet atque defendit: Anarchia vero nemini parcit, sed in omnes æqualiter sæuit, quo circa non immerito comparatur beluæ immani, qualem fretum quondam, quo Italia à Sicilia diuiditur, ad perniciem nauigantium circumsedisse, fabulæ ferunt.

Exposita verborum significatione audiamus disputationem eruditam, quæ apud Herodotum in libro 3. extat. Hæc est enim Otanis Oratio, qui Democratiæ patrocinium suscepit: Mea sic est ratio & sic animum induco meum, deinceps fugiendam esse vnius potestatem, cum neque salutaris sit patriæ neque suauitatem habeat vllam. Cambyses certe locuples testis est, quantum mali sit in Monarchia, quem libidinibus inflammatum & furen-

furentem vidimus, omnia rabide appetentem cum inexplebili cupiditate. Etenim Monarchia cum nullius iudicium metuat, infinitam licentiam sibi sumit, nec tanta præditus sapientia quisquam est, qui in summa potestate omnium rerum modum tenere possit. Nam Monarchia est res insolens & prona ad faciendas iniurias, eamque ob causam omnibus telis inuidiæ proposita. Quem vero istæ furiæ agitant petulantia & inuidia, huic ego nullam malorum speciem deesse arbitror: fieri enim non potest, quin partim petulantia impulsus, partim inuidia ardens multa tetre ac impie faciat, cum summa temeritate & impudentia. Decet autem gubernatorem ab omni inuidia prorsus seiunctum esse, & abundare bonis omnibus, quæ ad beate viuendum ferunt. Sed longe aliter se res habet in tyrannide, in quam facile degenerat Monarchia. Odit enim tyrannus honestos ciues, non solum viuos sed etiam mortuos, gaudet improborum consuetudine, quodque indignissimum est, auide attripit calumnias, quibus fascinatus omnia in deteriorem partem flectit. Si quis enim modeste eum colit, ab hoc se contemni atq; extenuari putat; si qui vero plures significationes honoris præseferunt, hos tanquam assentatores reijcit ac repudiat. Ac ne plura commemorando vobis molestus sim, comprehendam breui. Sic enim statuo, tyrannos violare omnia iura diuina & humana, diripere publicas & priuatas facultates, exsorbere sanguinem ciuium, grassari fraude, simulatione, Sophistica, manifesta crudelitate, permittere improbis infinitam licentiam, vt latissime vagetur turpitudo omnis generis. Iam è regione consideremus statum popularem, in quo ius æquabile floret, nec quicquam loci tyrannicis artibus relictum est, quia suffragijs populi eliguntur magistratus & hi ad reddendas rationes obligati sunt, omniaq; consilia ad publicam vtilitatem referunt, obliti commodorum priuatorum. His ego de causis censeo Monarchiæ anteponendam esse popularem libertatem, qua nihil beatius cogitari potest.

Megabysum vero, patronum ἀριστοκρατίας sic loquentem facit Herodotus. Quæ non minus vere quam grauiter ab Otane aduersus tyrannos dicta sunt, omnes sane

& intelligunt & probant. Quæ autem ad eam ſententiam referuntur, quaſi gubernacula Reipublicæ populo tradenda ſint, longe ab re ipſa atque à veritate diſtant. Nam vulgo ignobili nihil furioſius eſt, nihil, quod maiorem petulantiam exerceat, ac mihi quidem nihil intolerabilius videtur, quam vitanda tyrannorum licentia in vulgi immanitatem incidere. Etenim tyrannus ingenij ſagacitate valet, etiamſi ſæpenumero delinquat. Vulgus vero tantum abeſt à ſapientia, quam nunquam didicit, vt in omnia negotia inſtar torrentis, aucti hybernis niuibus, impetum faciant. Quare ſi qui volunt Rempubl. euerſam, promiſcuæ multitudini habenas tradunt. Nos quidem optimis & præſtantiſſimis viris ſummam poteſtatem commendabimus, vt & nos in eo numero ſimus. Neque vero dubium eſt, quin optimorum hominum conſilia rectiſſima ſint, optimeq; cogitata.

Poſtremo loco Darius ſententiam dixit & omnes neruos contendit, vt perſuaderet Monarchiam eſſe optimum & pulcerrimū ſtatum: Præclare mihi videtur Megabyſus rationes Otanis de ſtatu populari confutaſſe: quæ vero de ἀριστοκρατίᾳ diſſeruit, ea non perinde mihi probantur. Nam tribus formis propoſitis, quarum quæque ſuo genere eſt optima, videlicet Democratia, Ariſtocratia & Monarchia, non dubitans confirmare auſim, hanc poſtremam reliquis antecellere, cum bono viro nihil ſit præſtabilius eiuſdemq; conſilijs optime Reſpub. adminiſtrari poſſit. Quid dicam de ratione gerendi belli, quod certe vnius auctoritate felicius cōficitur, quā ſi multi ſint imperatores? In ὀλιγαρχίᾳ quidem plurimæ exiſtunt æmulationes inter collegas, quorum vnuſquiſq; ſupra cęteros eminere ſtudet, qua ex re oriūtur ſeditiones & mutua laniena tantiſper exercetur, donec ad vnū aliquem transferatur Monarchia, quæ vt apparet, ſtatus eſt perfectiſſimus. In populari autem gubernatione fieri nō poteſt, quin floreant ac dominētur iniurię, quib. conuellitur & labefactatur ſalus Reip. Conſtat etiam tales iniurias non accendere priuata odia, ſed amicitias ſtabilire, quia auctores ex occulto atq; ex inſidijs eas moliuntur, atq; impune graſſantur, donec à Deo excitatur guberna-

tor

tor pręstans auctoritate, qui cæteros validis legũ habenis reprimit, atq; imperij insistit iugo. Ex his rebus multisq; alijs perspicuum est, nullum esse statum meliorem Monarchia, cum videamus alias formas omnes huc deniq; tendere & in vnius manu acquiescere. Vt autem breuiter, quod sentio dicã, quæro, vnde ad nos permanarit libertas, vtrùm à Democratia, vel ab Aristocratia, an vero à Monarchia? Non dubito quin responsuri sitis, vestram patriam vnius virtute, videlicet Cyri in libertatem vindicatam esse ideoque ad posteros propagandam esse hãc formam legum & Politiæ, quã in Cyro accepimus. Huic sententiæ suam adscripserunt quatuor principes Persici videlicet Intaphernes, Gobryas, Aspathines, & Hydarnes.

Etsi autem in hac imbecillitate naturæ nostræ & confusione vitæ nullus status constitui potest durabilis, & nullis vitijs obnoxius: tamen si vere iudicare volumus, Monarchia, in qua lucent hæc summa bona, videlicet doctrina de Deo & aliæ artes vitæ vtiles, iustitia, defensio, disciplina regendorum morum, haud dubie antecellit cæteris formis gubernationis. Nam tales Monarchiæ sunt imagines Dei in terris, monstrantes, qualis sit Deus, videlicet sapiens, iustus, bonus, misericors, castus, verax, &c. Nec vlla forma gubernationis propius ad diuinam accedit quam Monarchia. Deinde vt Deus ipse sua bona cum angelis & hominibus communicat, & quasi quandam ἀριστοκρατίαν efficit: Sic Monarchia sit temperata Geometrica proportione, quæ prohibet, ne gubernator omnia commoda & omnes gradus honorũ tyrannice ad se rapiat, sed adhibeat in consilium viros sapientes & moderatos, & singulis conuenientem locum tribuat. Verissime enim Plato in 6. de legibus dixit, proportionem Geometricam difficulter inueniri, ac iudicium de ea non esse hominum sed Dei, sed tamen interdum aliquam eius partem rebus humanis contingere, & si quid boni sit in Republica, beneficio huius proportionis existere.

Quanquam autem scio, valde laudari ab Aristotele & Platone statũ, q̃ sit medius inter tyrãnidé & Democratiã; tamen cum horum Philosophorũ sententia non procul distet à nostra explicatione, nolo eam subtilius limare,

sed

ſed Deum oro, vt eccleſiæ in imperijs verſanti tranquilla & honeſta hoſpitia concedat, cum prædictum ſit poſtremis temporibus maiores confuſiones futuras eſſe.

In tertio loco, qui continet narrationem de electione Darij, potiſſimum conſideretur moderatio principũ Perſicorum, qua nihil poteſt admirabilius eſſe, nihil pulcrius. Nam maxima pars hominum non curat iudicium Dei, nec intelligit poteſtates fatō dari; ſed admiratione propriæ ſapientiæ plerique faſcinati appetunt imperia & alios creſcentes loco mouere & ex faſtigio excutere conantur. Sed hi principes poſtquam vident, Dariũ à Deo ad hanc gubernationem vocatum eſſe, non ſtudent eum loco mouere, ſed cedunt ei, & ſeſe ei ſubijciunt & gaudent, alium præſtantiorem electum eſſe, cuius gubernationem videbant futuram feliciorem, gubernatione proximi temporis, quam Magi & Cambyſes tenuerant. Poſtremo nec iniurijs eum afficiunt, ſed eum vere diligunt, venerantur & defendunt aduerſus ſeditioſos, idque propter multas cauſas faciunt; ſciunt ſe Dario nunc ſubiectos eſſe tanquam regi, ſciunt etiam propter publicam vtilitatem concordiam tuendam eſſe & eum regem, qui à Deo vocatus eſt, adiuuandum eſſe. Has principum Perſicorum virtutes diligenter conſideremus, & noſtros impetus, ſi quando æmulationum ſemina oriri videamus, timore & inuocatione reprimamus.

Nam & ſolem vnum Deum)

Primi patres mane recitaturi preces conuerſi fuerunt oculis & reliquo corpore ad ſolem orientem. Hunc geſtum precandi & eius cauſas non animaduertentes Perſæ erroris opinione fixerunt ipſum ſolem eſſe Deum: nã præcipuus fons idololatriæ eſt κακοζηλία id eſt praua imitatio alieni exempli.

Hyſtaſpis pater Darij fuit præfectus regni Perſici.

Aſchinus in Tragedia Perſis.

Ὅταν σπεύδει τις καὶ ὁ θεὸς συνάπτεται, *id eſt, quando aliquis præſtat diligentiam in negotio, tunc etiã Deus*

Deus conatum adiuuat, & manum admonet prouehendo operi.

Filia regis Cyri fuit Atossa, mater Xerxis, vxor Darij.

Interiecto deinde tempore.)

Aristoteles in tertio Politicorum ait, Babylonem verius prouinciam quam vrbem fuisse; Non tam vrbs, inquit, fuit Babylon quam prouincia propter inusitatam amplitudinem mœnibus conclusam & potentiam, qua superauit omnes vrbes orientales.

Cicero laudat dictum Epicharmi, qui dixit neruos atq; artus sapientiæ esse μέμνασο ἀπιστεῖν.

Demosthenes.

Ciuitates bene constitutæ nullum habent firmius præsidium aduersus tyrannos quam diffidentiam.

Menander.

Mores dicentis magis persuadent quam ipsa oratio.

Euripides.

Eadem oratio recitata à diuersis non valet idem. Tria sunt instrumenta persuadendi. I. Est veritas rei. Nam bona causa, vt inquit Euripides, contenta est natiuo cādore nec desiderat fucata medicamenta. II. Est auctoritas dicentis, quæ consistit in sapientia & virtute, in felicitate rerum gerendarum & in inclinatione animorum diuinitus facta. III. Instrumentum persuadendi est simplicitas orationis, quo enim minus videmur meditati accedere ad dicendum, eo plus fidei habet oratio.

Quartus locus est de recuperata Babylone, quæ post mortem Cyri à regibus Persicis defecerat. Etsi autem homines profani, securi, & ebrij voluptatibus putant diabolum nihil esse nisi inane nomen & fictum terriculamentum: tamen vtile est omnes sanos in tota mundi historia potentiam & furores diaboli contemplari. Nam maxima pars tristissimorum euentuum in toto genere huma-

humano principaliter oritur à Diabolo, quæ furores in impijs confirmat, vt cum in obsidionibus vrbium matres coxerunt carnes liberorum & legiones decimatæ sunt; ad alendos reliquos milites. Cum Brutus cinxisset vrbem Xanthiorum in Lycia, ciues ipsi vrbem incenderunt & sese perdiderunt, alij in ignem insilientes, alij sese fodientes ferro, & conspecta est mulier, quæ sese suspenderat de tecto suæ domus, & de suo collo strangulatum infantem suspenderat, & in dextra tenebat facem, qua domum inflammauit. Sic Babylonij, vt alia exempla furorum diabolicorum omittam; cincti obsidione ab exercitu Darij matres & coniuges suas vna cum liberis interfecerunt, cum haberent persuasum, sublata hac inutili turba, fore vt diutius obsidionem tolerarent. Hos tetros furores à Diabolis oriri certum est, quia quælibet natura, donec naturali luce & affectu regitur, sui conseruationem appetit & amat cognatos. Sed hanc lucem & hos affectus extinguit Diabolus, vt scriptum est, tenere eum captiuas mentes impiorum. Deploremus igitur horrendam iram Dei aduersus peccatum generis humani, & fateamur Diabolum vere grassari aduersus homines & eos, qui sunt deserti à Deo, horrenda mole ærumnarum opprimere, nec simus securi, sed fide & inuocatione in nostris ærumnis confugiamus ad filium Dei propugnatorem nostrum.

Quod si faciemus, experiemur, nos
vere iuuari ac liberari.

IN LIBRVM SECVNDVM HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

ETSI omnes historiæ ad locum communem de prouidentia referri possunt: tamen in quibusdam magis illustria exempla & testimonia huius sententiæ proponuntur, quæ docet, ordine diuino atrocium scelerum comites esse atroces pœnas etiam in hac vita. Quod enim Deus non parcat summis regibus & florentissimis ciuitatibus, postquam eos iustitiæ cœpit obliuio, id sequens historia, quæ in aliquot libris deinceps exponetur, clarissime ostendit. Refert Herodotus, Darium (*lib.4.*) Regem Persarum parantem expeditionem aduersus Scythas rogatum ab Oeobazo nobili admodum sene, vt è tribus liberis, quos rex ipse secum duceret, vnum ei in ætatis suæ ingrauescentis iam solatium relinqueret, ac tanquam senectutis baculum, respondisse plus se, quam rogasset, præstiturum, tresque eos vna statim ad patrem remissurum, confestimque eos occidi simul iussisse, atque ante patris conspectum cruentatos abijci. Hanc immanitatem & cruentam Sophisticam nō solum turpis fuga ex Scythia, sed etiam clades Marathonia secuta est. Xerxes bellum intulit Græcis in Europa, vbi cum victus esset, quassati Monarchia & aliquanto post ruere cœpit, ac reditus Xerxis in Asiam non solum clade exercitus, sed etiam fœditate morum, incesta libidine & crudelitate insignis fuit. Statim enim

Marathon est campus distans ab Athenis duobus milliaribus.

Duplices fuerūt quōdam Græci, Asiatici & Europæi.

enim post fugam amare cœpit fratris coniugem: postea cum filiam fratris suo filio in matrimonium dedisset, exarsit & huius iuuenculæ amore. Post hanc incestam consuetudinem cum alia parricidia secuta sunt, tum etiam cædes fratris: tandem & ipse Xerxes ab Artabano interfectus est. Athenienses cum duce Pericle bellum non necessarium mouissent, quod Peloponnesiacum vocatur, partim à Siculis debilitati, partim à Lacedæmoniis fracti omne suũ decus propter superbiã & πολυπραγμοσύνην amiserunt. Postea Lacedæmonij Tyrannicæ & flagitiosæ dominationis graues iustasque pœnas in pugna Leuctrica persoluerunt, vbi Sparta adeo de suo gradu deiecta est, vt veterem libertatem ac dignitatem nunquam recuperare potuerit. Thebani victores cum in tanta potentia & luxu non studerent frenare cupiditates, tandem ab Alexandro funditus deleri suõt.

Artabanus fuit frater Darij, Hystaspis filius patruus Xerxis.

Hæc exempla eo recito, primo, vt pœnæ nos admoneant de iudicio & ira Dei aduersus atrocia scelera; deinde, vt cogitatione humanæ imbecillitatis moueamur, vt petamus à Deo gubernationem in omnibus vitæ consilijs & regendis moribus, sicut scriptum est. *Scio domine quod non est hominis via eius, neque est viri dirigere gressus suos.* Et in Psalmo 119. *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, ne dominetur mihi omnis iniustitia.*

DE SCYTHIA.

SCYTHIA duplex est, Europęa & Asiatica. Europæa in quam Darius impressionẽ fecit cum exercitu septingentorum militum, à Strabone lib. 7. parua Scythia vocatur, cuius fines quondam fuerunt, Tanais & Borysthenes fluuij. Scythia Asiatica in qua Cyrus bellum postremum aduersus Massagetas infeliciter gessit, duplex est: vna intra Imaum montem, altera extra Imaum. Scythia intra Imaum terminatur ab occasu Scythia Europęa seu Tanai fluuio, quæ limes est, dirimens Asiam ab Europa; a septentrione terra incognita; ab oriente vero Imao monte; à meridie Sacarum regione & Sogdiana. Scythia extra Imaum montem definitur ab occasu Scythia interiore & Sacis; à septentrione terra incognita; ab oriente Sorita; à meridie vero parte Indiæ, quæ intra

intra Gangen fluuium eſt. Hactenus Ptolomeus libro 6. De moribus vero Scytharum Plinius lib. 6. hæc recitat: Inhabitabilis eius prima pars à Scythico promontorio ob niues, proxima inculta ſæuitia gentium Antropophagi Scythæ inſident, humanis corporibus veſcentes, ideoq; iuxta vaſtæ ſolitudines ferarumq; multitudo, haud diſſimilem hominum immanitatem obſidens. Iterum deinde Scythæ, iterumque deſerta cum beluis, nec ante dimidiam ferme longitudinem eius oræ, quæ ſpectat æſtiuum orientem, inhabitatur illa regio.

Propoſuimus picturam vtriuſque Scythiæ Europææ & Aſiaticæ non alio conſilio, niſi, vt iuniores intelligerēt, de qua Scythia Iuſtinus poſter verba faciat, & in quam partem Scythiæ Darius rex cum maximo exercitu impreſſionem fecerit. Vt enim Cyrus primus rex Perſarum poſtremum bellum geſſit cum Maſſagetis, quæ ſunt pars Scytharum Aſiaticorum intra & extra Imaum; Sic Darius alteram, quæ eſt in Europa, aggreſſus eſt, eamque imperij ſui iugo ſubijcere conatus eſt, ſed vtriq; Cyro & Dario conatus infeliciter ceſſit. Nam & Cyrus à Maſſagetis crudeliter interfectus eſt, & hic Darius turpi fuga, amiſſa ſeptima parte exercitus, diſceſſit. Eſt enim veriſſimum dictum Iſocratis; *Omnes bellorum exitus tandem congruunt cum iuſtitia.* Huius regulæ exempla videre licet in hiſtorijs regum Perſicorum, qui bella non neceſſaria Scythis intulerunt; fuerunt enim exitus horum bellorum conſentanei ipſis cauſis. Tanto igitur minus mirandum eſt, ſi mala conſilia peſſime cadant. Sola cupiditas dominandi vtrumque impulit ad debellandos Scythas. Nam nō multum boni eſt in iuſtiſſimis bellis, multo minus in non neceſſarijs.

In relatione rerum.)

Iuſtinus in deſcriptione Scytharum non vbique ſua verba obligat fide hiſtorica, ſed rhetorice attollit quædā adiacentia Scytharum, interea diſſimulans & tegens barbaricam ipſorum immanitatem.

Prudentis oratoris eſt videre, quæ recipiant nitorem & ſplendorem orationis, & quæ ſatius eſt occultare; mala occultet, bona promat & amplificet. Verum ſi nos

dialectice de veritate historiæ dicere volumus, dicamus sane: Nulla gens fuit ita immanis & efferata quam Scythica, quod ex multis rebus intelligi potest. Nam & centesimum quenque ex hostibus captum idolis suis mactant & parentes suos mortuos non quidem sepeliunt, sed vorant immani ore tanquam lupi, &, ne singula persequar, sic statuo: Apud Scythas nulla fuit vnquam doctrina religionis, nullæ leges honestæ, nulla literarum cultura, sed Scythæ tanquam pecudes vagantur sine certa sede, sine cultu Dei, sine legibus & artibus & tantum ferino more victum sibi quærunt, &, quo quisque inter eos est immanissimus, eo etiam est optimus. Hæc dico de Scythis, qui ante ætatem Apostolorum fuerunt. Cum enim Psalmus dicat, Euangelium sparsum esse in totum orbem, non nego quin etiam ad Scythas vox Euangelij sit perlata: antequam vero Apostoli circumferrent vocem Euangelij, omnino talis barbaries fuit in Scythia, quam breuius quidem descripsi, quam res ipsa postulat. Itaque cum iudicio hanc descriptionem Iustini legatis, videtur enim aliquod specimen rhetoricum addere huic descriptioni. Summa bona inter homines sunt, vera religio, ordo legum & iudiciorum, cultura literarum, elegantia & suauitas morum. Hæc summa bona defuerunt Scythis, quid ergo inter eos boni fuit? Parthi sunt coloni Scytharum; nam Parthus lingua Scythica significat exulem; sunt orientales populi supra Persas & proximi Indis. Amazones feminæ dictæ sunt à priuatiua particula & à nomine μαζὸς quod mammam significat, ideo autem sic vocantur, quia alteram mammam, vt expeditiores essent ad rem militarem, igne admoto vstularunt.

DE ANTIQVITATE ÆGYPTI ET SCYTHARVM.

NVLLVM extat monimentum in terris, quod de origine & propagatione singularum gentium certius lectorē docere possit, qua primus liber Moisis,

qui

qui Genesis appellatur, Nam in eo libro non modo diluuium describitur, quo vniuersa hominum multitudo, excepta familia Noe, absumpta est; sed etiam certa series propagationis singularum gentium capite decimo eiusdem libri ante oculos proponitur. Ac vt cæteras partes narrationis omittam, quæ extat in capite decimo Geneseos, illud certe constat, Iaphet filium Noe patrem esse Gog & Magog, à quibus Scythæ & Tartari propagati sunt. Cuius rei indicium est ipsa vocabulorum Etymologia; cum Gog significet Hebræis tabernaculum seu tentorium, Magog designet egredientem ex tabernaculo. Sunt enim Scythæ & semper fuerunt νομάδες, id est, pastores, vagantes incertis sedibus, sine ordine legum & iudiciorum, sine cultura religionis & literarum & alijs ornamentis, quæ in genere humano præcipua sunt. Ægypti vero originem ducunt à filio Noe minimo natu, qui Ham appellatur. Quia Chus nepos Noe & filius Ham fuit conditor Ægypti. Hæc de origine vtriusque gentis Scythiæ & Ægyptiæ primum dicenda fuerunt, Nunc de antiquitate pauca dicamus. Etsi autem vera sunt, quæ à Scythis hoc loco commemorantur de altitudine atque eminentia terræ Scythicæ, & hanc asseuerationem confirmat historia sacra, quæ narrat arcam Noe constitisse & acquieuisse in montibus Armeniæ, quæ est vicina Scythiæ; tamen hic situs terræ non est euidens argumentum primæ antiquitatis, quia scriptura testatur, post diluuium eas regiones præcipue cultas fuisse, quæ sunt vicinæ terræ Canaan seu Palæstinæ. Est igitur Ægyptus finitima Iudææ, quia Ierosolyma à Pelusio patria Ptolomæi non longius abest, quam 40. milliaribus. Quanquam enim arca Noe in montibus Armeniæ quieuit; tamen Noa non diu ibi commoratus est, sed terra desiccata redijt in Palæstinam & filijs suis ac nepotibus vicinas regiones colendas tradidit, quarum fuit optimum temperamentum & maxima soli fertilitas; inter quas certe Ægyptus tanquam domina & regina eminet. Postea aucto in immensum genere humano ipsa necessitas coegit homines, vt quærerent peregrinas

ſedes & nouas colonias in remotiſſima loca & aſperiora ducerent. Ex his perſpicuum eſt, Ægyptum quod ad culturam attinet poſt diluuium multo antiquiorem eſſe Scythia.

Scythia in orientem porrecta.)

Hæc clauſula intelligenda eſt de minore Scythia ſiue Europæa, de qua nuper diximus.

Sed apud Euripidem quidam dicit; Menelaum diuturna commoratione inter Barbaros factum eſſe barbarum, quo dicto ſignificatur nos ducere aliquem colorem ab ijs, cum quibus diu familiariter viuimus & quorum ſermone & conſuetudine diu vtimur. Quare ne nos longa commoratione in Scythica oratione Scythæ & Barbari fiamus, eam breuiter finiemus.

Iuſtitia gentis.)

Rhetoricum eſt hoc non hiſtoricum: nam res non omnino ſe ita habet.

Quæro; Vtrum ſatius eſt iudicare ex ſcripto iure, an ex iudicio & arbitrio bonorum, honeſtorum & doctiſſimorum virorum?

Reſp. Ex ſcripto iure.

Quomodo hoc confirmas.

Ariſtoteles in tertio Politicorum pronuntiat, Satius eſſe ſequi legem ſcriptam in diiudicandis controuerſijs, quam iudicum arbitria, quia lex (inquit) eſt mens ſine cupiditate, eſt certiſſima norma iuſtitiæ, quæ nec fallit nec fallitur. Homines vero incendijs animorum & tempeſtatibus affectuum ſæpenumero longiſſime abducuntur à meta iuſtitiæ &c. Iuſtitia ex legibus diſcenda eſt, quia affectus offundunt caliginem & tenebras iuſtitiæ, quæ aliquo modo adhuc hærent in mente hominum. Præceptum ſeptimum eſt omnium præceptorum infimũ & poſtremum, quia facultates quas continet ſeptimum præceptum ſunt in infimo gradu bonorum.

Ad vſum rei duo pertinent, indigentia & facultas ſeu ſcientia vtendi, hoc eſt, vſus rei eſt eius, qui & indiget re & ſcienter ea vti poteſt. Hæc communis ſententia transferatur ad grauiſſimam diſputationem, in qua quæritur,

An omnia sint facta & constituta ad vsus humanos, siue vt alias dicimus, an homo sit finis omnium rerum. Constituta enim hac Hypothesi, de qua dixi, facile intelligi potest, hominem esse finem aliarum rerum, quæ in mũdo cernuntur. Nam Deus ipse & spiritus angelici non indigent ad vitam sustentandam corporibus mundi. Plantæ vero & animantia aliaque corpora cœlestia & inferiora non habent facultatem & scientiam, rebus his omnibus vtendi, cum sint mentis & rationis expertia. Cũ igitur homo & indigeat adiumentis corporeis, & ratione præditus sit, qua potest sapienter vti reliquis creaturis; perspicuum est, omnia mundi corpora destinata esse ad vtilitates humanas.

Quippe ibidem diuitiarum cupido.)

Vbi homines indigent pecunia propter contractus, quia nummus est inuentus commercij causa. Aristoteles in quinto Ethicorum: Nummus est inuentus commertij causa, vt in contractibus sit quoddam medium, ad quod reuocetur æqualitas mercis & precij Non enim semper commutationes rerum in contractibus vtrinque fieri possunt. Quare cum Scythæ nullos exerceant contractus, non mirum est, apud eos nullo in precio esse metallum.

Ennius.

Vnus homo nobis cunctando restituit rem:
Non ponebat enim rumores ante salutem.

Id est, Fabius Maximus malebat esse vir bonus quã videri, id est non pollicebatur sibi futuros euentus, qui sunt incertissimi ante exitum rei.

Thucydides,

Bella non procedunt secundum dicta. Equus paratur ad bellum, sed victoria datur à Deo.

Iurisconsulti dicunt,

Melius est præuenire quam præueniri. Item. *Nemo tenetur expectare primum ictum.*

Diff. { *Vectigal de rebus mobilibus dicitur.* / *Tributum vero de rebus immobilibus.*

His igitur.)

Herodotus lib. 4. tantum viginti octo annos recenset, intra quos Scythæ Asiæ imperarunt & addit, ipsos Scythas fateri à prima origine suæ gentis vsq; ad ætatem Darij tantum esse annos mille.

Et ne feliciores.)

Amazones lingua Scythica vocantur æorpata, ab æor, id est, viro, & pata, quod significat interficere. Est autem Amazonum sedes Sarmatia Asiatica, quæ in secunda tabula Asiæ à Ptolemæo describitur. Ephesus Ionica vrbs condita est ab Amazonibus.

Accipere gladium significat stringere gladium non datum à magistratibus, vel à legibus vel à natura. Ipsa vero natura non finxit fœminas ad opera rei militaris, sed ad procurationem œconomicam. Itaque iusto ordine Amazones rapientes arma interfectæ sunt. Plutarchus in vita Cleomenis narrat ex asinis mortuis & putrefactis nasci scarabeos, qui sunt infesti equili. Significant autem scarabei seditiosam multitudinem, quę cum semel furere cœpit, vix magno labore intra metas reuocari potest.

Admonentur Scythæ.)

Exemplum strategematis militaris. Deus vult manere inuiolatam auctoritatem omnium magistratuum & superiorum, quos ipse constituit ad regendam hominum societatem. Ideo in clypeo Palladis pingitur caput Gorgonis. Significat enim Pallas sapientiam rectricem Politiarum. Gorgon significat auctoritatem diuinitus circumdatam magistratibus, quæ est formidabilis seditiosis & contumacibus.

De pœna seditiosorum Aristagoræ & Histiæi.

Multæ extant perspicuæ comminationes de pœnis seditiosorum, quæ sunt obseruandæ, vt flectant corda ad

ad obedientiam præſtandam ordinariæ poteſtati in rebus legitimis & non diſſentientibus à mandato Dei. Sic enim Salomon in Prouerbijs cap. 24. dicit. *Time dominum fili mi, & regem, & cum ſeditioſis ne miſcearis, quia ſubito conſurget exitium eorum & ruinam ſeditioſorum quis nouit?* Et filius Dei ad Petrum inquit; *Qui gladium acceperit, gladio peribit.* Huc pertinet & Pauli ſententia; *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, & pœnam ſibi accerſit.* Has comminationes non eſſe inania terriculamenta, ſed re atque euentu comprobari, hiſtoriæ omnium temporum oſtendunt. Sunt autem ſeditioſi, qui iniuſte recuſant obedire ſuæ poteſtati & arma iniuſta capiunt contra poteſtatem, non defendendi ſui cauſa aduerſus notoriam iniuriam, ſed principaliter rapiendi aut mutandi imperij cauſa, vt fecerunt Iones, qui ſeruitutem adeo impatienter tulerunt, vt crebras ſeditiones contra præfectos Perſicos mouerint. Ac vt de alijs moribus gentis Ionicæ non dicam, quæ omnium maxime floruit ingenijs & opibus, Dario quidem regnante valde inquieta fuit hæc prouincia. Nam ducibus Ariſtagora & Hiſtiæo iugum imperij Perſici excutere conata eſt, & hoc nefario conſilio ſibi ingentes clades & multarum vrbium excidia accerſiuit. Cum enim Ariſtagoras gener Hiſtiæi ſua ſponte ad defectionem propenſus eſſet, magis etiam à ſocero incitatus eſt, qui cum in aula Perſica apud Darium verſaretur & videret literas non poſſe mitti ſine ſummo periculo, ſeruum quendam fide præſtantem, cui notas in capite impreſſerat, ad Ariſtagoram ablegauit. Ariſtagoras cognitis & perceptis notis, quæ hortatrices erant ad mouendam ſeditionem, externa præſidia quærit, primum apud Spartanos, deinde apud Athenienſes. Neque vero difficile fuiſſet Ariſtagoræ regem Spartanum in ſuam ſententiam adducere propoſita ingenti pecunia, niſi filiola Cleomenis patrem monuiſſet, vt inſidias huius hoſpitis caueret. Diſcedens igitur Lacedæmone re infecta Athenas proficiſcitur, atque ibi doctis dolis & facetis fabricis perficit, vt 20. naues à populo decernantur ad ſocie-

tatem belli Ionici. Hæ naues, vt inquit Herodotus lib. 5. fuerunt ſcintillæ exuſcitantes ingens incendium inter Græcos & Perſas. Sed Ariſtagoras poſtquam infeliciter cum claſſe regis dimicaſſet, in Thracia ſedem quærens, ab incolis vna cũ exercitu ſuo deletus eſt. Hiſtiæus princeps ſeditionis ſimulans ſe pacaturum Ioniam à rege in patriam dimiſſus eſt. Ibi cum ciues ſuos crudeliſſimo luctuoſiſſimoque bello implicuiſſet, in quo Miletus, Samus, Chius, Sardeis vaſtatæ ſunt; ad extremum has ſcelerum pœnas perſoluit. Nam corpus ipſius cruci affixum eſt à duobus Satrapis, Artapherne & Harpago, qui fugientem in Myſiam Sardes retraxerunt, caput vero auulſum ab humeris Dario transmiſſum eſt, vt perfidiam proditoris execraretur. Aſſuefaciamus igitur animos, vt vera reuerentia Politicum ordinem, tanquam Dei opus, & gubernatores mediocres colamus, & ſicubi aſperitates & confuſiones in gubernatione cernimus, deploremus humanam infirmitatem, & agnoſcamus etiam, propter noſtra peccata creſcere confuſiones imperiorum, & nos ad pœnitentiam excitemus, denique ſuum quiſque officium moderate faciat, & quaſdam difficultates modeſte perferat nec augeat mala publica mouendis rebus non neceſſarijs. Hac doctrina certe nunc in tantis miſerijs opus eſt.

Series Regum Atticorum.

1 Actæus — *annis 50. aut circiter ante exitum*
2 Cecrops — *ex Ægypto.*
3 Cranaus
4 Amphictyon — *à quo nomen accepit concilium Amphictyonicum in Græcia,* das Cammergericht.
5 Erichthonius
6 Pandion
7 Erechtheus
8 Cecrops
9 Pandion
10 Aegeus
11 Theſeus

12 Mne-

12 Mnestheus
13 Demophoon
14 Oxinthes
15 Aphidas
16 Melanthus
17 Codrus σύγχρον@ Sauli.

DE ORIGINE ATHENARVM ET SVCCESSIone regum Atticorum.

ETsi Athenienses volunt videri αὐτόχθονες, id est, homines ex terra cōditi, non aliunde orti: tamen hanc inanē arrogantiam refutat Moises cap. 10. Geneseos, vbi diserte ait, Iaphan fuisse filium Iaphet, à quo Iones & Græci propagati sunt, qui & littus in Asia tenuerunt, & sedes habuerunt in vicinis insulis & in Europæ parte. Hæc ita esse, non solum ecclesiæ historia testatur, sed etiam ex eo ratiocinari possumus, quia memoria nominum Iapeti & Ionis, apud Græcos mansit. Vt enim nomina Assur & Elam originem Assyriorum & Persarum indicant; Sic Ion Græcæ genti nomen dedit. Hæc de origine stirpis Atticæ breuiter dicta sint: nunc de successione regum Atticorum pauca ex historijs repetamus. Narrat Pausanias in Atticis primum regem Atheniensium fuisse Actæū. Mortuo vero Actæo successisse Cecropem, à quo restitutæ sunt leges coniugij, cum tota Attica ante Cecropem obruta fuisset diluuio, propter teiras libidinum confusiones. Discamus igitur timere iudicium Dei, qui est amans castitatis & horribiliter odit & punit prohibitas libidines. Cecrope extincto sine liberis regnum occupauit ciuis auctoritate præstans Cranaus. Hunc gener Amphictyon de gradu regni deiecit, sed is paulo post ab Erichthonio regno spoliatus est, iuxta sentētiam Rhadamanti, quam Aristoteles in quinto Ethicorum citat:

Iusta malis hac admisso pro crimine pœna est,
Si quæ fecerunt, eadem patiantur & ipsi.

Lex Talionis est. Per quam quis peccat per eadem punitur.

Erichthonio successit Pādion, cuius filiā Chionē rapuit rex Thracensium, atq; ex ea suscepit filiū Eumolpū. Post hūc regnauit Erechtheus cui vxor fuit Praxithea Cephisi regis Thebani filia. Cū autē Eumolpus magnū barbarorum exercitum in Atticam adduxisset, vt eam occuparet, consuluit Erechtheus oraculum, quid faceret, vt victoria potiretur; oraculum respondit, victorem fore, si filiam ante exercitum immolasset. Quod cum fecisset, hostes profligatos ex Attica expulit. Postea Erechthei filiā Orythiam rapuit Boreas rex Thracensium, cuius nomen vento septentrionali impositum est, ideo Athenieśes in bello Xerxis sacrificarunt Boreæ tanquam veteri affini propter Orythiā, & petiuerunt, vt classem Xerxis suo flatu depelleret. Patri Erechtheo successit filius Cecrops, q colonia duxit in Eubœā. Successor Cecropis Pandion pulsus patria Megaram cōfugit, cum in matrimonio regis Megarēsis filiam haberet, quo quidem in exilio mortuo filius maximus natu Ægeus Athenas recuperauit. Hæc ex Pāusania magna ex parte excerpsimus. Deinceps igitur ex Plutarcho & alijs auctoribus quædam ad hanc historiam pertinentia annotabimus. Ageus ex filia Pitthei Æthra suscepit Thesea cognatū Herculi materna origine. Fuerunt enim Theseus & Hercules consobrini iuncti tertio gradu.

PELOPS.

1 Pitthеus Lysidice sunt consobrini in primo gradu.
2 Æthra Alcmene sunt duæ consobrinæ in secundo gradu
3 Theseus Hercules sunt consobrini iuncti tertio gradu.

Cum autem Theseus in vrbe Peloponnesi Trœzene educatus esset & patrem Ægea nondum vidisset, interfectis in itinere aliquot latrunculis, Athenas profectus est, vt ibi patrem salutaret; postea interfecto Minotauro in insula Creta & liberatis Athenis à difficili tributo secum ex Creta obsides Atheniensium liberos incolumes reduxit, & quoniam ciues Attici sparsi erant per agrum, coegit eos in vnam vrbem, quam appellauit Athenas. Quod autem de stabilitate Athenarum Sibylla dixit, id multo

vetius ad ecclesiam accommodari potest; ἀσκὸς βαπτίζει δῦναι δέ τοι οὐ θέμις ἐςί. Est enim præcipuum ecclesiæ decus perpetua corporis cōseruatio, etiam si in aliqua mēbra sæuitur. Ac ne singula Thesei facta, quæ sunt pene infinita, persequar, sic statuo, præcipua laude dignā esse pietaté ipsius, qua cadauera Archiuorū ad Thebas recepit, ac postea suis manibus abluit. Cumq; miraretur alij, cur nō mandaret seruis hūc tetrū laborem lauandorū cadauerum, respōdit humanissime: Non esse turpe hominib. affici mutuis miserijs, οὐκ αἰσχρὸν ἀνθρώποισιν ἀλλήλων κακά. Huius honestissimi versiculi exemplū in Christo maxime lucet, qui vere afficitur misericordia calamitatis nostræ, & sanat nostra vulnera infuso vino & oleo, nosq; suo corpori imponit, propter nos sustinet mortem & fit victima pro nobis: deinde nos commendat ei, qui præstet hospitia, videlicet ministris Euāgelij, & promittit sumtus, id est, auxilium vtrisq; doctoribus & pijs auditoribus.

Sed hic tantus vir tantis rebus gestis ad extremum pœnas vagarum libidinum persoluit, quando à Lycomede de saxo præcipitatus est. Nam excellentem virtutem non solum odit diabolus, sed etiam destitutam præsidio filij Dei plerunq; de statu deturbat. Ideo videmus in historijs, summos viros fere omnes insignibus quibusdam probris deformatos esse. Hæc heroica exempla maxime ostendunt, quā infirma & fugax sit humana virtus sine filio Dei, vt ipse inquit; *Sine me nihil potestis facere*. Io. 15. Cæterum superstite adhuc Theseo Menestheus natus in familia Erechtidarum gubernationem populi Atheniensis affectauit, quam quidem vt obtineret, varijs calumnijs Thesea deformabat. Nam & norat & exercebat artes tyrannicas quærendæ potentiæ. Primum se factiosorum hominum studijs in populo muniebat, deinde nauiter faciebat, quod monet vetus dictum: *Serpens nisi deuoret serpentem nunquam fiet Draco.* ὄφις ἂν μὴ φάγῃ ὄφιν, μήποτε γενήσεται δράκων. & quia videbat sibi obstare Thesea, conatus est cum omni ratione premere & loco mouere. Itaque finxit Thesea non propagatum esse ab Erechtheo legitimo coniugio, sed esse illegitimum & spurium Erechthei. Deinde

affir-

affirmabat eum diſperſos in agris ciues vnum in locum congregaſſe, vt ijs per tyrannidem imperaret. Itaque Theſeus videns, ſe eſſe odioſum ſuis ciuibus, noluit patriam ingratam turbare, ac liberos ſuos in Eubœam tranſtulit, ipſe vero in inſulam Scyrum ad regem Lycomedem, cuius ſupra mentionem feci, profectus eſt. Excelluit autem Meneſtheus ſcientia rei militaris, quam Homerus prædicans in Catalogo nauium inquit: Huic nemo mortalium ſimilis erat ſcientia ornandi equos & inſtruendi aciem pedeſtrem excepto Neſtore, qui natu maior erat. Meneſtheus vixit tempore belli Troiani & duxit aliquot naues Athenienſium ad Troiam.

Mortuo Meneſtheo Demophoon ex Eubœa reuerſus Athenas ad gubernacula Reipublicæ ſedit. Cum Herculis liberos patruus Iolaus Athenas duxiſſet, Demophoon Iolaum & Heraclidas aduerſus Euriſtheum defendit.

De Oxinte & Apida nihil memoria dignum apud auctores reperio, Melanthus vero Meſſeniorum rex, qui in Atticam exul confugerat ab Athenienſibus ad regnum vocatus eſt, quia Xanthum Bœotiorum regem ſingulari prælio ſuperauerat. Ad extremum regnante Codro filio Melanthi gentes quæ ſunt in Peloponneſo propter ſterilitatem egreſſæ patria, Athenienſibus bellum intulerunt & pulſis ciuibus partiri inter ſe agros decreuerant. Cum autem Delphicum oraculum conſulerent, an Athenis potituri eſſent: reſponſum eſt eis, vrbem Atticam venturam eſſe in ipſorum poteſtatem, niſi regem Atticũ Codrum interficerent. Id autem oraculum Cleomantes quidam Delphicus reſciſcẽs clam Atticis ſignificat. Narrant igitur, Codrum cum ciues iuſſiſſet obſeruare ſuam mortem, ſumpta mendici veſte, vt hoſtes falleret, clam egreſſum porta ſarmenta collegiſſe. Cum autem duo viri ex hoſtium caſtris eum caperent, vt ſciſcitarentur obſeſſorum conſilia, alterum eorũm falce occidit, quare alter irritatus & mendicum eſſe exiſtimans ſtricto gladio Codrum interfecit. Quod cum factum eſſet, Athenienſes præconem ad hoſtes miſerunt, petiturũ vt regis corpus ad ſepulturam redderent & conſilium ſui regis ipſi plane expoſuerunt. Reddito igitur corpore hoſtes cum ſcirent non concedi fatis vt vrbs caperetur, inde diſceſſerunt.

ſerunt. Cleomanti vero Delphico & eius poſteris ciuitas Attica victum in curia decreuit. Hæc narrat Lycurgus in oratione contra Leocratem. Filius Dei formam ſerui induit & habitu & mortalitate inuentus eſt vt homo. Hęc certe eſt mendica veſtis Chriſti filij Dei, nec potuit ab impijs agnoſci imago vel poteſtas filij Dei intra hanc veſtem. Quare cum haberet exploratum, non poſſe liberari humanum genus à peccato & morte, niſi ſua morte & effuſo ſuo ſanguine precioſiſſimo, ſua ſponte ſeſe hoſtibus obiecit, & ab ijs interfectus tertio die reuixit vindicans eccleſiam in priſtinam libertatem.

In textum.

Inuentio artium propria eſt eccleſiæ, quod falſo ſibi adſcribunt cetera gentes. Poſt Ieroſolymam nulla fuit pulchrior Reſpub. quam Athenienſis, vt actiones Atticæ indicant.

Euripides in Calliſt bene nominat Athenas καλλίχορον, id eſt, elegantem cœtum. Hoc Epitheton multo eſt verius ſi ad eccleſiam accommodetur.

Cecrops reſtituit coniugij leges propter diluuium, quo tota Attica ante ipſum obruta fuerat propter libidines.

Fontes fabularum ſunt quatuor. Primus eſt hiſtoria, inuoluta figuris poeticis. Alter fons eſt doctrina Phyſica. Tertius Aſtrologia. Quartus Ethica.

DE SOLONE.

CVM hiſtoria Solonis inſignes atque illuſtres virtutum imagines proponat, quibus ad vitam moderandam nihil vtilius eſt, magnopere hortator ſum ſtudioſis, vt vniuerſum huius viri curriculum luculente à Plutarcho expoſitum cognoſcant. Interea tamen

Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta,
Aurea perpetua ſemper digniſſima vita.

Libet

Libet enim vti veteris Poetæ verbis, & ea, quæ maximè necessaria & ad imitationem futura videntur, ex historia Solonis decerpere. Primum igitur consideranda est huius viri φιλομάθεια qua impulsus adijt multas regiones lõginquas Ægyptum & alias, vt de religione & de republica suas sententias cum alijs doctis conferret, ac fuisse in eo incredibilem discendi cupiditatem, celeberrima ipsius vox testatur, quam semper in ore habuit;

Γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος,

Id est, quotidie aliquid addiscens fio senex. Hæc virtus Solonis nobis, qui versamur in studijs doctrinæ, præcipue imitanda est, cum nulla maior pestis sit, quam immatura & inanis persuasio scientiæ, quam Iurisconsultus taxans inquit: *Se adeo cupidum esse discendi, vt, si alterũ pedem in sepulcro teneret, non tamen propterea desistere vellet de proposito perseuerandi in studijs doctrinæ.*

Exemplo Solonis taxanda est multorum ignauia, vel, vt verius dicam, stulta admiratio & fiducia suæ sapientiæ, qui, cum paululum progressi sunt vltra primas literas, statim rubore & verecundia a discendo retardantur, & somniant nihil minus decere suam personam, quam ab alijs ea discere, quę aut prorsus ignorantur, aut nondum satis cognita sunt. Talium stultorum infinita est multitudo. Sed hanc opinionem pernitiosam corrigamus intuentes in exemplum Solonis, qui non modo longinquas regiones adijt, videlicet Asiam minorẽ & alias, sed etiam quotidie hac voce vsus est, se quotidie aliquid addiscentem senescere.

Deindè admiratione dignissima est hæc virtus Solonis, qua iniustas opes præclare contemsit. Huius Philosophicæ ἀφιλαργυρίας testes sunt versiculi, quos Plutarchus recitat, quorum hæc est sententia. Cupio quidẽ mediocres opes possidere, sed iniuste partas repudio, cum sciam neminẽ posse effugere scelerum pœnas. Etsi enim mali plerumq; abundant ijs rebus, quæ ad victum cultumq; pertinent & iustissimi exiguas opes habent: tamen nos ad hunc modum discernamus genera bonorum, vt alia omnia incerta, caduca, mobilia, solam virtutem altissimis defixam radicibus nulla vi labefactari, nunquam loco dimoueri posse existimemus. Neq; vero minorẽ laudem

dem modestia ipsius meretur, qua soli Deo sapientiæ gloriam tribuit. Cum enim Apollo tripodem aureum extractum a piscatoribus Milesijs illi iussisset dari, cuius vinceret sapientia cunctos, Solon ad se delatū Delphico Apollini consecrauit, solum Deum & præmio & opinione summæ sapientiæ dignum iudicans.

Versiculi Solonis de neglectione iniustarum opum.

Χρήματα δ' ἱμείρω μὲν ἔχειν· ἀδίκως δὲ πεπᾶσθαι
Οὐκ ἐθέλω, πάντως ὕστερον ἦλθε δίκη.
Πολλοὶ γὰρ πλουτεῦσι κακοὶ· ἀγαθοὶ δὲ πένονται·
Ἀλλ' ἡμεῖς αὐτοῖς οὐ διαμειψόμεθα
Τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον· ἐπεὶ τὸ μὲν ἔμπεδόν ἐστι·
Χρήματα δ' ἀνθρώπων ἄλλοτε ἄλλος ἔχει.

Hoc est.

Cupio quidem habere pecuniam, sed iniuste parare non volo. Iustitia, id est, iusta pœna venit vbique & semper paulo post, id est, sequitur a tergo pœna sceleratos, vel

Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Porro singulare Dei donum est in gubernatore auctoritas, quæ tribus reb. cōstat; virtute, felicitate, & inclinatione animorum ad populum. Talis auctoritas fuit in Solone. Primū lucebat in eo eximia virtus & apparebat, eum iuuari diuinitus. Incēduntur autē animi hominū admiratione virtutis & opinione præsentię Dei seu auxilij diuini. Hæc quanquā multum conducunt ad auctoritatem parandam & tuendam, tamen & tertium munus Dei accedere oportet, videlicet inclinationes animorum diuinitus factas in ipso populo. Quare quod Solon valuit consilio & virtute & populus Atheniensis non excussit recta monentem, vtrunq; Dei opus & donum fuit. Quis enim non iure miretur, populū Atheniensem factiose tumultuantem, propter immoderatas vsuras & asperitatē legū Draconis, neminui præterquā Soloni arbitriū vtriusq; rei permisisse, vt & modū præfiniret vsuris & legibus Reimpub. temperaret. Itaque Solon animaduertens ciuitatem vsuris exhaurire & multos redactos esse ad inopiam, multos etiam coactos vendere filios & filias,

sic

sic moderatus est vsuras, ne plus quam centesima solueretur, id est, quæ centesimo mense æquat sortem, & ne quisquam propter æs alienum in seruitutem traderetur. Hæc astrictio vsurarū σεισάχθεια appellata est. Ante Solonem fuit legislator Atheniensium Draco, cuius appellatio cum ipsa re consentit. Vere enim ipsius leges fuerūt leges Draconis, id est, non atramento sed sanguine scriptæ. Hæc durities non potuit diu tolerari ab hac infirma natura. Debent enim leges Politicæ accommodatæ esse ad vires huius imbecillæ naturæ: deinde vsuræ adeo creuerant, vt aliquot centesimæ de centum soluerentur atque exigerētur ab iniustis fœneratoribus: eo vsq; creuerāt vsuræ vt fere totam ciuitatem Atticam exhausissent. Ex hac re extiterunt magni motus, & populus in 3. factiones distrahebatur. Hæ seditiones & motus non potuerunt vllius hominis sapientia sedari, nisi vnius Solonis auctoritate. Tanta enim fuit beneuolentia ciuium erga Solonem, vt nemini de tantis rebus decernendi potestatem facerent, nisi vnico Soloni. Deinde Draconis leges, exceptis ijs, quæ de cæde erant latæ, propter asperitatem magnitudinemque pœnarum abrogauit. Nam omnia delicta sine discrimine leges Draconis morte multabāt; quamobrem illud à Demade venustissime dictum est, Draconem non atramento sed sanguine leges scripsisse. Etsi autem longum est leges Solonis recensere: tamen duæ inprimis laudantur, quarum vna vetat in dissensionibus Reipublicæ esse neutralem, altera prohibet ignauum otium. Sanxit enim Solon, vt is qui non exerceret agriculturam aut artem certam, infamis esset, tertio damnatus de otio. Est autem probabilis ratio vtriusq; legis: voluit enim vnumquenque sensu publicorum periculorum affici, nec tantum priuatis commodis studere. Norat etiam, ad disciplinam vtilissimum esse prohibere ignauum otium, cum verissime à Catone maiore dictum sit: *Nihil agendo discunt homines male agere.* Meminerint autem studiosi præconium, quod Cicero de legibus duodecim tabularum fecit, in primo de Oratore: *Fremant omnes licet, dicam quod sentio, bibliothecas mehercule omnium Philosophorum vnus mihi videtur 12. tabularum libellus, si quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis*

tatis pondere & vtilitatis vbertate superare. Postremo laudanda est Solonis Politica fortitudo, quæ est constantia in proposito honesto iuxta vocationem rectè suscepto, qua cõfirmatus animus nihil facit pugnans cum officio boni viri, & mauult cruciatus perferre, quam discedere à norma iustorum operum. Sic Solon tyrannicam potestatem ad se delatam consensu populi modeste recusauit, affirmans tyrannidem similem labyrintho amœno, è quo nullus patet exitus. Et à Crœso interrogatus, videretur ne ipsi beatus esse, non ἥδιςα sed κάλλιςα respondit. Fuit igitur Solon vir vere bonus, qualem nasci difficile est, qui manib. pedibus & mente sit τετράγωνος id est, quadratus. *Dicique beatus ante obitum nemo supremaq; funera debet.*

[Quemadmodum de cursoribus non potest fieri certum præconiũ priusquam ad metam peruenerint, cum multi lapsus in stadio decurrentibus accidere possint: Sic ante postremũ exitum vitę nemo pronunciandus est beatus, quia sæpe fit, vt hi, qui lætissima initia habuerunt, vt Saul, in ipso cursu opprimãtur, priusquam metam videre potuerunt.]

Considerate in historijs dissimilitudinem naturarũ & ingeniorum, vt subeat animos deliberatio necessaria, quorum velitis esse similes aut dissimiles. Solonis natura, de qua modo diximus, fuit vere Philosophica remota ab omni ambitione, cupiditate regendi, mercatura priuatarum vtilitatum, candida, benefica, amans patriæ, studiosa optimarum artium, amans iustitiæ & æqualitatis. Pisistrati natura, qui fuit coætaneus Solonis in Republica Atheniensi imo cognatus eius materno genere, omnino fuit dissimilis, videlicet ambitiosa, cupida regendi, mercatrix suarum vtilitatum, accommodata ad simulationes, callida, & tamen præ se ferens humanitatis speciem. Tales sunt plerãque tyrannorum naturæ. Vt igitur paulo ante hominem Philosophicum descripsimus in historia Solonis, ita nunc personam tyrannicã ante oculos proponemus, cuius varium est ingenium, va-

ria etiam fortuna. Et quia historia de Pisistrato & de filijs tantum, quod sciam, integre à duobus clarissimis scriptoribus, Herodoto lib. primo & Thucydide lib. 6. narratur, repetam ego quoque ex his summam historiæ de patre Pisistrato tyranno Attico & filijs Pisistrati.

DE PISISTRATO
& eius filijs.

Quemadmodum Homerus fingit aperto vtre, in quem Æolus incluserat ventos, erumpentibus diuersis ventis mare vndique turbatum esse: ita Athenis post discessum Solonis multæ distractiones secutæ & ingentes tumultus excitati sunt. Nã corpore Reip. Atheniensis in duas factiones dilacerato, tumultuantibus inter se Paralis & Pedieis, quorum hi ducem habebant Lycurgum, illi Megaclem, Pisistratus tertiæ factionis Hyperacriorũ princeps fuit. Inter hæc certamina Pisistratus mirabili artificio, quod Iustinus ex Herodoto repetit, tyrannidem occupauit. Etsi autem tanta moderatio fuit huius tyranni in gubernatione, vt nec ordinem magistratuum & legum à Solone institutum turbaret, nec amplius quam vicesimam partem fructuum, id est, de centum modijs quinque exigeret; tamen bis in exitium pulsus est & partim fraude partim manifesta vi tyrannidem recuperauit. Cum enim à Megacle & Lycurgo de statu deturbatus esset, paulo post Megacles filiæ suæ nuptias Pisistrato detulit, simul promittens ac recipiens, se perfecturum esse, vt ille quasi iure postliminij in pristinum locum restitueretur, quod quidem hac ratione perfectum est: Virgo quædam formæ

Æolus rex ventorũ dederat dono Vlyssi vtrem, in quo erant inclusi venti, ac dederat ad hunc vsum, vt eligeret sibi, quemcunque ventum vellet &c. Vter significat Rempublicã in qua sunt inclusa diuersa ingenia, quæ sunt tranquilla, donec coercentur disciplina & ordine legum.

formæ dignitate præstans & pulcherrimè ornata sedens in vehiculo a quatuor mulis in arcem trahebatur. Hanc affirmabant Megacles & eius socij esse Palladem & hoc præconium addebant, Palladis concessu & beneficio reuocari ab exilio Pisistratum.

Postea vero cum Pisistratus à consuetudine filiæ Megaclis abhorreret, pater omnē potentiæ suæ conatū in perniciē Pisistrati parauit, nec prius conquieuit,

Quomodo differunt dignitas & venustas formæ.

Venus efficit in corporibus venustatē, Iupiter benigno aspectu efficit dignitatem, quæ magis viros decet. Venustas est cādoris & ruboris continua tēperatio. Dignitas formæ est lineamētorū iusta proportio. Ein fein mānlich ansehen.

quā generū loco mouisset. Sed Pisistratus adiutus à Thebanis & Eretriensibus armis potestatē tyrannicā recuperauit, eamq; quasi iustam & legitimā hæreditatē duobus filijs Hippię maiori natu & Hipparcho tradidit. Hipparch9 neglecta muliebri cōsuetudine in mares incēsus erat, puerorū fœdatus amorib. ac libidinibus. Cum autē Harmadium adolescentē formosum & familiarē Aristogitonis ad libidinē pellicere vellet, effugit ille vim hominis impurissimi & suo familiari Aristogitoni, cū quo sanctissimū fœdus amicitię iunxerat omnem rē ordine narrat. Ambo igitur cōmunicatis consilijs insidias struunt tyrāno ac sæpe deliberant, qua ratione Hipparchus è medio tolli possit. Postea additur noua iniuria ad priorē, q̄ placidum quoq; ingeniū accēderet. Nā soror Harmodij accersita à filijs Pisistrati, vt esset gestatrix statuæ in pompa ignominiose repulsa est, prætextu ignobilitatis. Hęc noua iniuria magis irritauit animos Harmodij & Aristogitonis, qui cū scirent, se nō posse effugere periculū prętertim in tanta frinlcitudine hominū, tamen impetu facto Hipparchum trucidarunt. Hippias maior natu, qui tyrānidem mortuo patre tenebat, asperius imperare cœpit. Etenim multos honestos ciues ꝓpter futiles quasdā suspiciones affectatę libertatis ad necē rapuit. Quamobrē Athenienses tyranno in exilium pulso sese in libertatem

Lysander dixit tyrānos esse inductos duabus pellibus Vulpina & Leonina.

& priſtinam vindicarunt dignitatem. Hæc hiſtoria de filijs Piſiſtrati, quorum alter fuit tyrannus, alter flagitioſe impurus, nos admoneat, vt cogitemus de cauſis, quæ afferunt mutationem imperijs. Sunt enim tres præcipuę, propter quas omnia imperia diuinitus euertūtur. Prima eſt idololatria; altera tyrannis; tertia confuſio libidinum. De his cauſis & alijs legant ſtudioſi quintum librum Ariſtotelis de Repub. vbi nominatim exemplum de filijs Piſiſtrati recitat, vt declaret, propter tyrannidem & libidines potiſſimum mutari imperia.

Quæro, Vtrum Solon recte fecerit ſimulans furorem?

Omne mendacium eſt à Deo prohibitum
Simulatio eſt mendacium.
Ergo ſimulatio eſt prohibita, & per conſequens non recte fecit Solon ſimulans furorem.

Reſpondeo: Maior eſt vera de vanitate & Sophiſtica directa ad nocendum, ſed non debet accommodari ad officioſam occultationem, cuius finis congruit cum fine veritatis apertæ & manifeſtæ. Vt enim is qui aperte & ingenue quod res eſt dicit aut oſtendit, hunc finem ſpectare debet, vt alijs prodeſſe poſſit, communicatione veræ ſententiæ: ita vtens officioſa occultatione ad eandem metam refert ſuam orationem & geſtus.

Solon compoſuit carmen centum verſuum, cui nomen dedit Salamis. Argumentum eius carminis fuit adhortatio ad recuperandam inſulam. Mulierculæ Athenienſes celebrarunt ſacra Eleuſinia in inſula Salamina, & quidem in littore. Megarenſes accepta fama de celebratione Eleuſinorum mox inſtrūxerunt claſſes vt caperent mulierculas. Inſigne fuit Stratagema Piſiſtrati.

Ita Megarenſes ſuis dolis.)

Struens alteri malum ſuo epati malum ſtruit; vel incidit in foueam quam alijs fecit.

Candor verſatur inter duo extrema, videlicet quorum alterum eſt ſtulta credulitas, alterum calumnia. Demoſthenes in ſecunda Philippica, Multa inquit magno

sumtu ędificantur atque extruuntur ad muniendas ciuitates, vt aggeres, mœnia, fossæ, &c. sed nullum est certius præsidium aduersus tyrannidem quam ἀπιστία, id est, diffidentia, quæ opponitur stultæ credulitati,

Deus tres insignes victorias Græciæ suo munere ac beneficio concessit, non certe ob aliam causam, nisi vt in Græcia feliciter defensa aduersus exterarū gentium impressionem Respub. legibus bene constituta temperati, & studia optimarum artium ab optimis ingenijs coli earumque semina ad posteritatem transmitti possent. Etsi enim Deus aliter gubernat ecclesiam suam, quæ est hæreditas ipsius æterna, quā regit spiritus S. ad vitam æternam, quæ actio vocatur actio specialis: tamen etiam Politijs extra ecclesiam Deus adest & suam præsentiam ac bonitatem, quæ Politias honestas complectitur, multis euidentibus signis declarat. Vult enim Deus colligere sibi æternam ecclesiam, ideo seruat Politias bene constitutas & moratas, qualis fuit Attica. Quare non est existimandum, ob aliam causam seruatam esse Græciam, quā ob hanc, vt maneret aliqua posteritas, custos literarum & disciplinæ honestæ, quæ est pædagogia ad Christum.

DE PVGNA MARATHONIA.

MARATHON est campus non procul ab Athenis distans, equitatui maxime accommodatus. In hunc campum ex Eubœa Hippias deduxit peditū centena millia & 10000. equites. His tantis copijs occurrunt Athenienses duce Miltiade cum parua manu, hoc est, cum myriade suorum ciuium & chiliade Platæensium, qui propter crebras contentiones cum Thebanis se totos in potestatem vrbis Atticæ tradiderant. Quāquam enim Athenienses petiuerunt auxilium à Lacedæmonijs ad cōmune incendiū Græciæ extinguendum: tamen Lacedæmonij superstitiose obseruantes discrimina dierum ante plenilunium copias educere noluerunt. Tanta autem virtus fuit Atheniensium, quæ diuinitus adiuuabatur, vt cum octo stadijs ab hostium castris abessent,

Octo stadia faciunt milliare Italicum.

essent, citato gradu in Persas impetum fecerint, nec plures ducentis amiserint, cum hostium mille, quadringenti cæsi sunt, reliqui in fugam versi. Estque hæc victoria diuinitus donata Græciæ die 6. Augusti, vt scribit Plutarchus in Camillo: sed dolendum est, Atticam ciuitatem adeo ingratam fuisse, vt mercedem anguinam duci optime merito reddiderit. Cum enim Miltiades re infeliciter gesta in Paro insula multatus esset 50 talentis, id est, 30000 coronatis, nec tantam pecuniæ vim numerare posset, in carcere pene vsque ad mortem detentus est. Hoc exemplum boni viri considerent, ac placide ferant, hanc gratiam inter homines rependi summis meritis, vt beneficijs affecti mala retribuant.

Vltimo anno Darii.

Talentum Atticũ valet sexcentos coronatos.

Plutarchus in vita Thesei.

Themistocles dixit, Trophæa Miltiadis sibi somnum eripere. Hæc vox significat laudum immensam cupiditatem.

Vrit mature quod vult vrtica manere.

Cynegiri.)

Exemplum fortitudinis & amoris erga patriam.

Truncus vocatur stipes arboris nudatus ramis, est metaphora ab arboribus sumta.

Cynegirus frater Æschyli poeta.

Ducenta millia.)

Sunt sex millia & ducenta, non sunt ducenta millia.

Hippias fuit tyrannus & aspere imperauerat ciuibus suis, quos pater fraude ceperat. Postea pœnas suæ tyrannidis persoluit.

Quo diutius versamur in lectione historiarum eo maior campus maiorque varietas rerum sese nobis offert. Nam quæ hactenus de Cyro, Cambyse & Dario & tribus regibus Persicis dicta sunt, tantum initia & præludia quædam videri possunt; si conferantur ad eas res, quæ in historia Xerxis quarti regis Persarum, & Artaxerxis Longimani ac cæterorum, quæ deinceps sequuntur, gestæ sunt. Xerxes IV. rex Persarum, infert Græcis, qui sunt in Europa, inprimis autem Atheniensibus bellum, tanto cum apparatu & hominum copijs, vt nisi à scri-

à scriptoribus bonæ fidei hæc essent recitata, vix fidem haberem, sed turpi fuga vix elapsus demum redijt Xerxes, ac sese totum libidinibus dedidit. Cœpit enim amare coniugem fratris sui & eiusdem filiam: his sceleribus addidit multa parricidia; quare ad extremum ab Atrabano interfectus est. Græci duabus victorijs ornati Salaminia & Platæensi inter sese intestinis odijs dissidere cœperunt, atque inflammarunt bellum vniuersæ patriæ, in quo primum Athenæ, secundo Sparta, tertio Thebæ conciderunt, & omne pristinum decus amiserunt. Has tantas mutationes, quæ longe maiores sunt superioribus, deinde Deo adiuuante audiemus.

Discernatis autem initio reges Persarum. Primus Cyrus fuit bonus & Heroicus princeps, qui nihil à patre distabat. II. Cambyses fuit fœdissimus tyrannus. III. Darius fuit quæstor. IV. Xerxes fuit magnus fatuus,

Non fuit in toto corpore mica salis.

Fuit enim Xerxes arrogantissimus & vanissimus homo, qui omnia recta & salutaria consilia est aspernatus & repudiauit contumaciter. Cum enim Artabanus ei dissuaderet susceptionem belli aduersus Athenienses, non modo ille non obtemperauit; sed etiam vix cruentam manum ab ipso abstraxit. Item fuit homo mollis, delicatus, effœminatus, libidinosus & fatuus. Cum enim fatuum nomino, complector multa adiacentia fatui. Cernetis in hac historia insigne exemplum incõstantiæ & fragilitatis rerum humanarum. Adducit in Græciam septies centena millia, sed magna parte exercitus amissa ipse vix in parua cymbula vectus per Hellespontum elabitur, & is, qui initio expeditionis propter incredibilem multitudinem copiarum exiccauerat fontes & flumina, in fuga sine vllo honore, sine comitatu vix saluus & incolumis acceptis duobus vuulneribus in Persiam reuertitur.

DE XERXE.

MORTVO Dario contentio fuit inter duos fratres Artemenen & Xerxē de iure succeſsionis. Nā plurimi Perſarum Artemeni tanquam maiori natu ſucceſsionem regni tribuebant: Alij vero nō pauciores Xerxem pronuntiabant regem eſſe oportere, propterea quod Artemenes à Dario præfecto, Xerxes à patre rege & matre regina filia Cyri ſuſceptus eſſet. Artemenes igitur ex Medis in Perſiam deſcendit, non hoſtili more ſed placide & tranquille iudicium permiſſurus delectis principibus. Xerxes humanitatę certans cum fratre coronam regiam de capite deponit, & fratri obuiam procedens, eum muneribus ornat & tali oratione alloquitur; Hęc, inquit, frater tuus dono tibi offert, quod ſi paulopoſt iudicum ſententia rex fuero declaratus, proximum locum à regia dignitate tenebis. Ad hæc Artemenes reſpondit: Munera quidem volens, lubensque accipio, ſed hæreditatem regni ad me pertinere arbitror, quæ ſi mihi decreta fuerit, moriens eam Xerxi fratri longe cariſſimo de manu in manum tradam. Collatis igitur vtrimque rationibus de iure ſucceſsionis Artabanus frater Darij Xerxem regem renuntiat. Quo audito mox Artemenes ad fratris genua velut ſupplex procumbit eumque in regio tribunali collocat. Tanta autem

Narratur hęc hiſtoria à Iuſtino, item ab Herodoto in principio libri 7. ſed nulla huius facti deſcriptio mihi magis placet quàm ea, quę apud Plutarchum extat in libello de fraterna beneuolentia.

DariusHyſtaſpis ante mortem Cambyſis cum eſſet tantum præfectus Perſicus & quaſi priuatus, & tunc in matrimonio habuit filiam Gobryæ & ex ea ſuſcepit filium Artemenen, poſtea Darius creatus rex duxit in matrimonium filiam Cyri Atoſſam, ex qua ſuſcepit Xerxem.

Xerxes non fuit ut Hannibal, qui primus fuit in prælio & ultimus castris excesſit.

tem fuit beneuolentia Artemenis erga fratrem, vt in pugna Salaminia pro salute Xerxis pulcram petiuerit per vulnera mortem. Simile exemplum nostra ętas vidit cum de iure testamenti esset disputatio inter duces Bauariæ Wilhelmum & Lodouicum. Nam pater in formula testamenti Lodouicum non ducem sed comitem duntaxat & haberi & nominari iusserat. Etsi igitur hanc extenuationem nominis moleste ferebat Lodouicus; tamen sine acerbitate arbitrium rei Maximiliano Cæsari permisit, qui testamentum inofficiosum emendauit, & nomen ducis Lodouico imposuit. Post hanc dimicationē fratres inter se fraternam beneuolentiam & fraterna officia diligenter conseruarunt. Hæc exempla declarant honestissimam esse & plenissimam humanitatis disputationem forensem. Primum enim quod non omnia diiudicantur vi vt inter beluas, sed ratione & sapientia dirimuntur controuersiæ, id vero dignissimum est hominis natura. Deinde honesta est rationum collatio, veritatis inquisitio & iustitiæ explicatio. Nihil enim præstantius, nihil melius est, quam veritatis & iustitiæ cognitio. In foro autem omnium vitiorum ac virtutum ratio inquiritur. Postremo etiam illa virtus egregia est & vtilis vitæ obedientia, quod litigator velut cedit de re sua eiusque arbitrium iudici, hoc est, legi permittit, atque ita fatetur, legem magis esse dominam rerum nostrarum, quam nos ipsos.

ORATIO ARTABANI DISSVADENTIS SVSCEPTIONEM BELLI, ADuersus Græcos.

VOTIS in senatu principum non dicuntur contrariæ sententiæ, nullus haberi potest delectus rationum, sed omnes suffragātur vni sententię, quę magna auctoritate proposita est. Cū autem rationes consiliorum inter se pugnantes audiuntur, ipsa collatio ostendit, cuius consilium

ſilium ſit optime cogitatum, perinde vt auri bonitas tum facilime noſcitur, cum alteri auro comparatur. Dicam igitur quod ſentio, etiamſi alij fremant & indignentur, & futura ex præteritis ratiocinatione minime colligam abſurda. Cum pater tuus Darius bellum aduerſus Scythas ſuſcepturus eſſet, magnopere ei hortator fui, vt de hoc conatu deſiſteret, quod Scythæ incertis ſedibus vagari ſoleant & hoſtes ſuos præter opinionẽ eludant: ſed & conſilio meo repudiato, ſperans ſe hos barbaros domiturum eſſe, bellum ipſis intulit, non ſine inſigni clade noſtrorum hominum. Tu vero ô rex cogitas de bello inferẽdo Græcis, qui & claſſem inſtructiſſimam habent, & terreſtri prælio Scythis antecellunt. Etſi autem ſcio, hanc orationem tibi ingratam eſſe: tamen conſiliarium iuſta dicere oportet. Quòd ſi exercitũ per Helleſpontum in Europam traduxeris, nihil dubitans adfirmo fore, vt in tuam cladem ruas, quam præpoſteris conſilijs vltro tibi accerſis. Quanta enim virtus ſit Græcorũ ex pugna Marathonia æſtimari poteſt, in qua ſoli Athenieſes Artaphernẽ & alios duces Perſicos vicerunt; ac ſi iterũ victores fuerint prælio nauali, haud dubie in Helleſpontum nauigabunt, & pontem à te ſtructum intercipient, cum maximo detrimento tui exercitus. Neque vero admiratio propriæ ſapientiæ me in hanc ſententiam ducit, ſed memoria & recordatio eorum, quæ patri tuo acciderunt. Cum enim Darius vtramq; ripam Iſtri ponte iunxiſſet & ſuas copias per eum in Scythiam traduxiſſet, parum abfuit, quin cuſtodes pontis Dario reditum intercluderent, niſi Hiſtiæus tyrannus Mileſius Ionas in officio & fide retinuiſſet. Quamobrem ſi ſapis nolites Perſicas ſine cauſa neceſſaria in diſcrimen adducere, ſed rediu multumque deliberata, ſtatue, quid tuo regno maxime conducat. Nam deliberatione iuſta & legitima nihil neque melius neque præſtantius inuenio. Etſi enim optima conſilia ſępe à fortuna ſuperantur, perinde vt ars gubernandarum nauium vi tempeſtatum nõnunquam vincitur; tamen conſcientia recti conſilij præcipua in ærumnis conſolatio eſt, ſin autem conſilium à norma iuſtitiæ diſcrepat, turpitudo conſcientiam vellicat, etiamſi optatus euentus conſequatur. Quemadmodum

Bonum cõſilium ſimile eſt pomo aureo in lãce argẽtea.

Ouid. in Epiſt.
Eſt aliquid magnis crimen abeſſe malis.

dum igitur res ipsa ostendit, non parua animantia aut ædificia, sed grandes bestias & celsas turres fulminis ictu obnoxias esse. Solet enim Deus omnia sublimia frangere & debilitare, ita sæpe numero fortissimi exercitus à parua manu dissipantur ac profligatur, postquam diuini pauores eis [illegible]cussi sunt. Quid quod in festinatione plurima insunt errata, quæ magnas calamitates hominũ generi afferunt, contra vero paruæ moræ ingentia commoda habent, quæ etsi non statim apparent, tamen diuturnitate temporis percipiuntur. Hæc fere summa est meorum consiliorum, quæ ad regis salutem pertinere arbitror. Nunc ad tuam orationem venio Mardoni, in qua nimium abijcis Græcos & hac extenuatione hostium regem ad bellum inflammas. Multa quidem sunt, quæ iustitiæ è diametro aduersantur, sed nulla res magis cum iustitia & iure pugnat quam calumnia. Nam is qui alterum calumnia deformat, afficit iniuria absentem, qui non potest suæ formæ patrocinium suscipere. Deinde non minus peccat auditor, qui calumniæ assentitur, altera parte non audita. Postremo absens duplici iniuria afficitur, partim quia calumniator falsa de ipso sparsit, partim quia auditor erroris opinionem concipit, quia existimat eundem esse malum. Hinc perspicuum est, tres personas calumniæ implicari, duas quidem iniuria lædentes, vnam iniuria læsam. Sed si omnino tibi certum deliberatumque est Græcis bellum inferre, age, rex noster domi maneat & nos liberos quadam vicissitudine permutemus, ea quidem lege, vt re bene feliciterque gesta mei liberi vna mecum interficiantur: sin autem ea euenerint, quæ à me dicuntur, tu & liberi tui eadem pœna mulctentur. Ad extremum videor mihi audire quendam nuncium acceptæ cladis, talia narrantem: Mardonium postquam maximis calamitatibus Persas implicasset, a canibus & auibus laceratum esse & suo exemplo regem monere, ne deinceps Athenienses aut Lacedæmonios irritet. Hæc dixit Artabanus vir consilio & fide præstans, cui Xerxes iratus ad hunc modũ respondit: Nisi ego haberẽ rationẽ cognationis, qua meo patri & mihi iunctus es, eam mercedem tibi rependerem pro licentia orationis, qualis solet rependi a potentioribus.

Reprehensio præcipitātia in capiendis cõsilijs.

Duæ res maxime aduersantur consilijs; Ira & Festinatio.

De

DE AMORE ERGA patriam.

HONESTISSIMÈ apud Platonem dicitur, magis amādam esse patriam quam matrē, quia patria sic numen quoddam. Nam bona quæ appellatione patriæ continentur, sunt haud dubie rés diuinæ, vt doctrina religionis, ordo legum, propagatio ciuium, institutio iuuentutis. Verba hæc sunt in quinto de legibus: θεραπεύειν δὲ τὴν πατρίδα δεῖ μειζόνως ἢ μητέρα παῖδας. διὰ τὸ δέσποιναν θεὸν αὐτὴν εἶναι, colere patriā oportet magis quā matrem liberos, cum ipsa sit Dea domina, id est, cum sit quiddam diuinum. Quare cum omnibus amicitijs anteferenda sit ea coniunctio, quæ nobis cum patria est, laudanda est Demarati exulis virtus, qui non pluris fecit Xerxem amicum, quam patriam, & patriæ iniuriam tanquam senis parentis delirium moderate tulit. Sic Aristides in exilium pulsus tantam felicitatem patriæ à Deo precatus est, vt ciues suos elatos fortunæ fauore Aristidis caperet obliuio. Cōtra vero detestanda est Coriolani impietas, qui patriæ bellum nefarium intulit. Cum igitur nos vnam patriam omnium laudatissimam & vere diuinam ecclesiam habeamus, quæ est templum Dei & cœtus membrorum Christi; hanc amare debemus & eius vtilitati & tranquillitati plurima condonare.

Vt liberi debent ferre deliria senum parētum, sic gubernatorib. multa erranta condonāda sunt.

DE IIS QVÆ PVGNAM ad Thermopylas antecesserunt.

CVM Xerxes Sardibus moueret copias, interdiu cœlo sereno Sol terris & hortendis tenebris obscuratus est, quæ subito noctis imaginem attulerunt, & stellas cœlo hærentes conspicuas reddiderunt. Hoc portento territus Pyrhius V. filiorum pater, vnius vacationem à rege petiuit. Rex quem vellet eligere permisit, deinde quem pater elegerat, in partes duas distractum ab vtroque viæ latere posuit; & hac victima lustrauit exercitum. Habuit itaque quem debuit exitum.

Exemplum immanitatis.

Victus

Victus enim & late longeque fusus ac stratam vbiq; ruinam suam cernens medius inter suorum cadauera incessit. Porro cum in vrbem Hellesponti Abydum venisset & in specula sedens vniuersum exercitum contemplatus esset, lacrymas tenere non potuit, causam vero quærenti Artabano respondit, se vehementer moueri consideratione vitæ humanæ, cuius tanta sit fugacitas, vt nemo ex hoc numero centesimum ætatis annum cõfecturus sit. Artabanus ne ἀσύμβολος videretur, hanc sententiam regi subiecit. Multa accidunt homini quæ lõge sunt acerbiora ipsa morte. Etsi enim huius vitæ curriculum breue est, tamen nemo omnium tam beatus est, quin sępenumero malit mori quam viuere. Nam morbi & cæteræ calamitates tanto impetu in nos irruunt, vt hæc fugax vita longissima esse videatur, & mors non aliter quã perfugium & portus optatus à calamitosis expetatur. Age vero, inquit Xerxes, ne semper humanas miserias cõsideremus, sed animum ab his ad præsentia negotia trãsferamus: quid tibi de mea ex peditione aduersus Græcos videtur? an adhuc perseueras in ea sententia, quam initio exposuisti? Artabanus ingenue & aperte constantiam sui consilij declaraturus inquit, si quis negat tuam classem instructissimam esse & tuas pedestres cõpias probe contra hostem paratas armatasque esse, hunc ego delirare iudico. Sed duæ res me potissimum terrent, quæ tuis conatibus aduersa fronte repugnabunt, mare videlicet & terra. Nullus enim portus reperietur, qui orta tẽpestate in mare naues vniuersas recipere possit. Quod cum ita sit, ipsa experientia te conuincet, vt fatearis, calamitates esse dominas naturæ humanæ, nec quenquã esse, qui vim fati effugere queat. Deinde terra tantam multitudinem diu sustentare non poterit, sed absumtis commeatibus horrenda fames sequetur. Sic igitur statuo, eum virum esse optimum, qui futuras tempestates prospiciens, timide ad dandum consilium Reipublicæ accedat, postea vero in rebus gerendis sit fortis. Xerxes vt homo θρασύδειλος Artabano respondit, si quis futuros casus nimis exigue & exiliter ad calculos reuocare velet, huic nihil omnino in vita agendum erit. Est autem lõge melius agentem aliquid periclitari, quam omnia metuentem

Per quæ quis peccat per eadem punitur.

Mors est vltimũ malum sed non est summũ.

Mors calamitatis est lucrum.

Imago Thrasonis pulcerrime hic pingitur.

Quicquid agis prudẽter agas & respice finẽ.

Regula vitæ.

Vera est hæc sẽtẽtia in actionib. necessariis & a Deo mãdatis.

entem ignauo otio languere. Res quidem Persicæ non aliter nisi agendo creuerunt, quod si omnes consiliarij regum Persicorũ ita affecti fuissent, nequaquam ad hoc fastigium potentiæ Cyrus & eius successores ascendissent. Tu igitur, Artabane, bono animo sis & in patriam reuersus domi Rempubl. administra, donec Europa domita victores in curru triumphali redeamus. Hactenus colloquium Xerxis & Artabani ex Herodoto recitaui.

Inter alia portenta, quæ cladem Persarum significarunt, illud etiam ab eodem Authore commemoratur: Equus in castris Persarum leporẽ edidit, quo partu haud dubie fuga Xerxis velut in imagine picta est. Sed tot tantisque portentis non potuit Xerxes de proposito deduci, quo minus Græciæ bellum inferret, atq; exemplo suo veteres versiculos cõprobauit, qui a Lycurgo citantur in oratione contra Leocratẽ: Ad pœnam iratus Deus si quos trahit, eripere mentem talibus prius solet, vt furenter suas in clades ruant, sibi quas noxijs accersiuerunt vltro consilijs mali.

Neq; vero silentio prætereundum est aliud colloquium Xerxis & Demarati, quod declarat, quanta vanitas fuerit regis Persici elati fiducia suæ potentiæ & quantum decus sit grauitas, quæ iusta & necessaria constanter dicit & facit, & omittit non necessaria & non conuenientia personæ. Sic enim Xerxes Demaratum interrogat. Quid de meis copijs terrestribus & naualibus existimas? an putas fore, vt Græci impressionem mei exercitus sustineant? Certe mihi persuadeo, idque exploratum omnino duco, vniuersas gentes, quæ sunt in Europa, si vnum in locum congregarentur, non posse impetum mearum copiarum perferre ac sustinere, sed tamen cupio cognoscere, quid tu de mea expeditione sentias? Demaratus respondet hoc in primis scire volo, malis ne vera an iucunda audire? Cum rex affirmasset, se veritatem delectationi anteponere, nec minus sibi gratum fore Demaratum pronunciata vera sententia, quam si aures demulceret. Demaratus hac oratione vsus est: Dicam igitur vera & rebus consentanea, ne paulo post mendacium ruborem & verecundiam mihi afferat. Ita se res habet.

Definitiõ grauitatis.

bet. Græcis paupertas vna cum libertate insita & quasi innata est. Virtus vero comparata studio sapientiæ & obedientia erga leges. Quare vtrumque malum paupertatem videlicet & seruitutem præsidio virtutis à se depellere conantur. Etsi autem omnes Græci sua laude digni sunt, tamen nunc de Lacedæmonijs tantum dicam, qui primum legatos tuos petentes terram & aquam repudiabunt. Deinde armati tuo exercitui occurrent vel soli vel cum alijs Græcis, nec tu de numero illorum disputes, siue enim mille sint siue pauciores, non dubitabunt cominus tecum congredi. Hæc audiens Xerxes Demaratum effuse risit. Haud sane intelligo, qua fiducia mille viri tam instructis legionibus hostiliter occurrere ausint, an tu, qui rex quondam Lacedæmoniorum fuisti, cum 10. Persis manus conserere audes? Bene sciebam, inquit Demaratus, fore, vt vera dicendo animum tuum offenderem; sed quoniam tua auctoritate in hunc sermonem ingressus sum, facere aliter non potui, quin congruentia rebus ipsis dicerem. Etsi enim Spartani me omni honore & dignitate spoliarunt, tamen eos naturali beneuolentia complector. Nam, vt alia decora meæ patriæ omittam, quis non iure miretur, Spartanos sanctissimis legibus ita obtemperare, vt malint pulchram petere per vulnera mortem, quam aciem turpi fuga relinquere. Sed quoniam videor tibi nugas dicere, deinceps nullam harum rerum mentionem faciam, ac spero te mihi veniam daturum, quod aliqua fortasse ingrata dixi; vt tuo mandato obtemperarem. Interea dum Xerxes per Thraciam & Macedoniam inde vsque ab Hellesponto ad Thermopylas ducit exercitum, Athenienses seruatores Græciæ post Deum mittunt legatos ad Apollinem Delphicum, qui consultus de belli exitu respondit: Athenienses potituros esse victoria, si ligneum murum suis ciuibus circumdarent, neglecto equitatu & peditatu. Cum autem de sententia oraculi variæ ac discrepantes essent coniecturæ, Themistocles, in quo fuit admirabilis & incredibilis ac pene diuina ingenij sagacitas, ligneũ murum de re nauali interpretatus est, ac censu-

Paupertas est nutricula libertatis.

Lata res est honesta paupertas.

Petere terrã & aquam id est, petere iura societatis.

censuit in naues iuuentutem bello idoneam imponendã esse. Erant enim tunc in promtu naues ducentæ, quas Athenienses aduersus Æginetas instruxerant. Idem in cõuentu Græciæ auctor fuit ciuitatibus, vt oblitæ priuatarum dissensionum omnes vires atque neruos ad defendendam patriam coniungerent. Hoc consilio adducti Æginetæ cum Atheniensibus, a quibus antea diffidebãt, fidem fœdusque iunxerunt. Postea communi consensu missi sunt legati ad Argiuos & Gelonem tyrannum Siculum petentes societatem & belli suppetias cõtra Xerxem. Sed Argiui cum nuper magna clade affecti essent, in qua sex millia ciuium corpora bello abiecerant, pulcramque petiuerant per vulnera mortem, negarunt se quicquam conferre posse ad publicam defensionem. Itaque legati re infecta Argis discesserunt, & recto cursu in Siciliam profecti sunt. Quo cum venissent, admissi in conspectum regis, tali oratione vsi sunt: Miserunt nos Lacedæmonij & horum socij Athenienses, petentes à te auxilia contra Xerxem. Non enim ignoras, Persicum regem omnia in Græciæ perniciem parare atque meditari. Etsi autem hanc speciem præ se fert, quasi solis Atheniensibus exilium machinetur; tamen re vera vniuersam Græciam seruitute Persica opprimere conatur. Quare cum tu omnibus belli neruis abundes & sis Græcorum cognatus, decet te opitulari defensoribus libertatis, cuius non minima pars in te tuosque omnes redundabit. Si enim Græci suas copias coniunxerint, præclare aduersus impressionem barbarorum muniti erunt: Sin autem aliqui priuatæ tranquillitati consulentes communem defensionem neglexerint, metuenda est totius Græciæ ruina. Nec tu in eam opinionem incidas, vt existimes, Persas ad te non posse penetrare, etiam si ab ipsis Græcia domita sit, sed periculum impendens auerte, quod dum fiet rectissime, si nobis opem tuleris: nam consilijs honestis plerunq; respondent optati euentus.

Duæ sunt causæ bellorum: prima vocatur αἴτιον, altera est πρόσχημα, vel πρόφασις, id est, prætextus fictus & simulatus, sub quo vera causa occultatur.

Nam tua res agitur paries cũ proximus ardet.

Ad hæc Gelon rex Syracusanus respondit: Non possum satis mirari Græcæ gentis inæqualitatem, quæ nunc à me auxilia aduersus barbaros petit, cum quidem sciat, se nihil tale de me meritam esse. Cum enim bello Carthaginensi implicatus essem ac peterem à Græcis suppe-

tias

tias, nemo omnium fuit, qui mihi aliquid opis afferret. Quod igitur ad Græcorum auxiliares copias attinebat, iam pridem Syracusani in potestatem barbarorum venissent, sed Dei concessu atq; munere Sicilia in veterem libertatem ac dignitatem restituta est. Nunc postquam bellum Persicum magno impetu in vos irruit, Gelonis memoria & recordatio vestros animos subit. Quanquã autem à vobis in summo periculo versans desertus & relictus sim, tamen non committam, vt certamen inhumanitatis vobiscum suscepisse videar, ac promitto me Græcis suppediturum esse; non solum classem & legiones instructissimas, sed etiam commeatus necessarios ad bellum conficiendum. Volo autẽ meam promissionem, quæ satis ampla & magnifica est, cum hac exceptione intelligi, vt summa imperij consensu Græcorum mihi decernatur. Quod si hæc exceptio vestris hominibus displicebit, nec ipse veniam ad belli societatem, nec quenquã meorum in Græciam ablegabo. Hac responsione audita, legatus Laconicus inquit: Doleret Agamemnoni, sub terram abdito, si audiret summam potestatem à Lacedæmonijs ad Gelonem & Syracusanos translatam esse, aut certe cum ipsis communicari. Quare omissa mentione imperij, si ita libet Græcis manipularibus corpus & arma iunge; sin autẽ aliter constitutus es animo & cogitatione non magnopere petimus, vt te ad societatem defensionis adiungas. Gelon animaduersa commotionẽ Laconici legati moderate ei respondit: O hospes Spartane, an ignoras, quod conuitia bilem hominibus ciere soleant. Quanquam autem oratio tua plena fuit conuitiorum & vellicationis, tamen non hoc efficiet, atque assequetur, vt in respondendo fines modestiæ transijsse videar. Si enim vos tanta cupiditas imperandi tenet, nemo non opinor meam ambitionem reprehendet, cum longe maiorem classem, quam vos instruere possim. Sed quoniam omnis contentio disceptatioq; est de summa imperij, ex æquo inter nos hunc honorem distribuamus: ita quidem vt ego classi præsim, vos terrestres copias ducatis, aut contra ego terrestris exercitus imperator sim; vos ad gubernacula classis sedeatis. Ex his duobus alterutrum eligendum erit; aut abeundum sine spe nostræ

Exemplum humanitatis.

Exemplum insignis mãsuetudinis. Et faciles motus mens generosa capit. Nihil est magnum quod non sit placidum.

coniunctionis. Cum Gelon adhunc modum respondisset, Atticus Legatus Laconicum dicendo anteuertit: O rex non sumus huc missi ad accersendum imperatorem Graeciae: sed ad colligendū exercitum: tu vero nō obscure declaras, te summum locum in Grecorū exercitu appetere. Quod igitur ad rerum summam attinet, Laconicus legatus vtriusq; ciuitatis nomine tibi respōdebit. Quod autem ad classis gubernationē attinet, eā nos tibi minime concedemus, etiamsi Lacedæmonij hac in parte liberales esse velint. Nostra est enim omnis possessio gloriæ naualis, simulatque Lacedæmonij eam alijs concedere volent. Nam ita se res habet. Primum Athenienses quoad longissime mea mens repetere potest, semper alijs Græcis apparatu nauali antecelluerunt: deinde soli omnium Græcorum sunt indigenæ, quos mens Dei architectatrix ex Attica terra fabricauit: postremo antiquæ virtutis locupletissimum testem habēt Homerum, qui Menesthea ducem Atheniensium in bello Troiano sic laudat, vt ei scientiam rei militaris incomparabilem tribuat. Hæc cum vera sint, sine rubore & verecundia à nobis commemorantur. Gelon breuissimam responsionem legatis subiecit: quia vobis certum deliberatumque est nullam honoris partem ad alios transferre, sed omnes dignitatis gradus retinere, primo quoque tempore domum reuersi nuntiate Græcis: VER EX ANNO IPSORVM SVBLATVM ESSE. Quemadmodum enim ver pulcerrima & optima pars anni est, qua sublata reliquum anni tempus parum habet voluptatis: ita Gelon iudicabat suum exercitum plurimum momenti ad seruandam Græciam allaturum esse, & hoc auxilio destitutos Græcos nihil magna laude dignum gesturos esse. Quare non impetrato auxilio Gelonis legati in patriam reuersi sunt.

Dux absfuit.)

In exercitu Xerxis fuerunt multi homines, sed pauci viri, πολλοὶ ἄνθρωποι, ὀλίγοι ἄνδρες. Es seindt nit alle Köch die lange Messer tragen.

Epigram-

Epigramma trecentorum Lacedæmoniorum.

Dic hospes Spartæ nos te hic vidisse iacentes,
Dum sanctis patriæ legibus obsequimur.

DE IIS QVÆ INTER PVGNAM AD THERMOPYlas & pugnam Salaminiam acciderunt.

POST pugnam ad Thermopylas, in qua viginti millia Persarum & trecenti Lacedæmonij fortiter dimicantes pro patria interfecti sunt, Xerxes in concilium adhibuit Demaratum exulem, cuius fidē & beneuolentiam multis in rebus perspexerat. Demaratus huius consilij auctor fuit, vt rex classem trecentarum nauium ad vexandam Peloponnesum mitteret & reliquam Græciam pedestribus copijs domaret, affirmans hac ratione futurum esse, vt singuli Græci domestico bello implicati ad alios iuuandos & tutandos nihil momenti afferre possent. Achemenes vero Xerxis frater & præfectus classis præter omnē cōtrariā sententiā dixit: Video te, inquit, frater multū tribuere cōsilijs Demarati, qui nō solū inuidet tuæ felicitati, sed etiā in hanc curā præcipue incumbit, vt te ruaq; omnia Græcis prodat. Hæc enim natura est Græcorum ingeniorū, vt alienæ felicitati inuideant & potētiores oderint. Noli igitur tuas copias distrahere, sed quia virtus cōiuncta melior est, semper classi adiungito pedestrem exercitum, vt mutuas operas inter se tradere possint. Nam si alterum ab altero seiunxeris, illud efficies atq; assequeris, vt nec classarij milites, nec hi, qui in terra ducuntur, aliquid laude

In historijs sunt duæ formæ orationū & cōcionum, vna est directa in qua persona loquēs inducitur, altera est obliqua, quę in tertia persona ab ipso auctore exponitur. Vt autē prior illa plus habet copiæ & ornamentorum, ita hæc posterior ad breuitatem & celeritatem historiæ magis accommodata est. Græcæ vocantur illæ formæ δημηγορίαι.

laude dignum gerant. Sed Xerxes insigni vsus candore vtrique honestissima tribuit inquiens: Quod mihi dedisti de hac re consilium adductus fraterna beneuolentia & charitate, id volens libensque exequar. Quod vero Demaratum hoc nomine accusas, quasi meis rebus non bene faueat, id vt credam adduci non possum, præsertim cum fides ipsius toties iam spectata sit. Quare hoc mihi persuadeo, ingens discrimen esse inter ciuem & hospitē. Etsi enim ciues inter se odijs & inuidia certant, nec facile ex multis millibus vnum reperias, qui vicinum ornare ac prouehere studeat, tamē hospes beneficio affectus hospiti præclare de se merito nunquam inuidere, sed potius optima & precari & consulere solet. Iubeo igitur te posthac abstinere ab eiusmodi conuitijs, quæ aduersus hospitem bene moratum dicuntur. Multa sunt Xerxis vitia, quæ acerrime odisse maximeque detestari debemus; sed hæc virtus laude & imitatione digna est, qua cū fratrium hospiti conuenientia tribuit & candorem in approbandis aliorum voluntatibus præstat. Sapienter illud ab Hesiodo dictum est. Nunquam fratri parem facias amicum: quia monet discernendos esse gradus personarum & singulis Geometrica proportione conuenientia danda esse. Huic præcepto Xerxes obtemperans consilium fratris anteponit consilio hospitis non tam politice quam ethice; sed ne hospiti suum locum eripuisse videatur, candide voluntatem Demarati approbat illiusq; patrocinium aduersus fratris accusationem suscipit.

Primus honor debetur Deo. Secundus gradus debetur ecclesiæ & ministerio. Tertius patriæ & parentibus. Quartus cognatis. Quintus amicis. Sextus hospitibus & alijs hominibus.

Atque hæc quidem de Persis dicta sunt, nunc ad Græcos sese conferat & conuertat oratio. Cum inter Græcos duces magna contentio disceptatioque esset de summa imperij, modestissime Athenienses socijs cesserunt, pluris facientes vniuersæ patriæ salutem quam leuem ambitionem & gloriam fuco perfusam: non enim ignorabāt perituram esse Græciam intempestiuis certaminibus de exigui honoris prærogatiua. Est enim profecto verissimū, seditionem tanto maiorem perniciem rebus publicis afferre, quam bella, quæ ab exteris gentibus inferuntur, quanto bellum ipsum pace nocentius est. Hæc & alia multa considerantes Athenienses haud grauatim Lacedæmonijs de summa potestate cesserunt, & re comproba-

probarunt aureum dictum Euripidis: *Ille sapit ad communem utilitatem, qui amicis honestissima tribuit.* Victis vero Persis & seruata Græcia imperium Laconicum superbum atque insolens repudiarunt. Hoc exemplum & nos in defensione patriæ omnium laudatissimæ, id est, ecclesiæ imitemur, & priuatis cupiditatibus communem salutem anteferamus. Renunciato igitur imperatore classis Eurybiade Lacedæmonio, nauali prælio decertarunt Græci cum barbaris ad Artemisium, qui locus in Eubœa Dianæ sacer fuit. Etsi autem in eo prælio non de summa rerum dimicatum est: tamen principia bene se habuerunt & Græci hoc velut progymnasmate ad Epitasin futuri certaminis præparati sunt. Præclare ergo Pindarus de hoc congressu Græcorum & barbarorum dixisse videtur, Athenienses claram & illustrem aleam libertatis in eo iecisse, & in omni re suscipienda plurimum valere animi magnitudinem. Victus hoc prælio Xerxes in Græciam irrupit, & late omnia igni ac ferro vastauit, nec manus sacrilegas à templo Delphico abstinuit. Cuius quidem sacrilegij quantas pœnas persoluerit Iustinus luculente narrat. Athenienses percepta & cognita impressione hostili Xerxis in Bœotiam domus & mœnia relinquere maluerunt iuxta oraculi sententiam à Themistocle enarratam, quam barbaris turpiter seruire, propter breuem & momentaneam harum rerum possessionem. Ac liberos quidem vna cum coniugibus in Peloponnesum transtulerunt, vbi à Trœzenijs rara quadam hospitalitate excepti sunt. Nam Trœzenij non modo victum liberalem hospitibus præbuerunt, sed etiam liberis honestam institutionem publico stipendio procurarunt. Iuuentus vero nauibus imposita ad insulam Salaminem recto cursu contendit, quia oraculum Athenienslbus datum erat, fore eos victores barbarorum in angustijs maris inter Salaminem & Æginam. Cum autem naues Græcorum & Persarum paratæ atque expeditæ ad dimicandum essent, Aristides ostracismo iam pridem patria pulsus propter virtutis excellentiam ex Ægina noctu soluens ad Themistoclem venit & hac oratione vsus est: *Si sapimus,* inquit, *omissa inani & puerili æmulatione ambitiosè inter nos certemus vter plus momenti ad seruandam Græciam*

am afferre possit, tu quidem imperando, ego vero ministrando & consulendo. Non enim turpe duco cedere & ministrare aliis, qui omnes ingenii neruos contendunt, vt patria sit beata. Hæc cum dixisset, approbante Themistocle fortissimos viros sibi adiunxit & in paruam insulam vicinam Salaminię Psyttaliam, quę erat referta barbaris, impressionem fecit, ac hostib. partim trucidatis partim captis, insula potitus est, quæ res non minimum momentum ad victoriam attulit. Quis autem non iure miretur hanc Aristidis virtutem, qua & priuatas iniurias publicæ saluti condonauit & se infra Themistoclem abiecit: cum non minus quam ille prudentia in dandis consiliis rei publicæ valeret. Quanto igitur æquius est, nos in ecclesia versantes flectere animos ad mansuetudinem, obliuionem iniuriarum & modestiam, cum toties sacræ literæ de his virtutibus concionentur, ad Ephesios 4. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* & alibi dicitur, *vnusquisq; existimet alios sibi ante cellere.* Multi gubernatores & consiliarii metu priuati periculi vniuersam rempublicam in discrimen adducunt, sic Mardonius, qui fuerat auctor consilij de suscipiendo bello aduersus Græcos metuens ne propter infelicitatem consilii ipse priuatim periclitaretur, Xerxi hortator est, vt reliquias sui exercitus in nouum discrimen adducat.

HERODOTVS IN Vrania, id est, libro 8. de pugna Salaminia pulcerrime philosophatur inquiens:

PERSAS sine mente & ordine cœco & temerario impetu dimicasse & huius amentiæ atq; confusionis iustas dedisse pœnas. Contra vero Athenienses pulcerrimo ordine vsos esse in prœliando, & propter iustitiam causæ diuinitus adiutos esse. Hoc dictum Herodoti valde philosophicum est & dignum memoria. Docet enim mentis præcipuum opus esse ordinem, eumq; in omnibus rebus valere plurimum, sicut Xenophon in Oeconomico dixit: *Nihil neq; melius neq; pulcrius esse ordine.* Quare cum hic mundus pulcerrime ordinatus sit, nemo sanus dubitare potest, quin sit extructus atq; ædifi-

dificatus à sapiente architecto. Deinde & hoc memorabile est, quod diserte Herodotus pronunciat, Deum iustis consiliis fauere & plerumq; adiuuare iustitiam causę, sicut & Isocrates in oratione de pace dixit, Omnes bellorum exitus randem congruunt cum iustitia, etiamsi euentus antecedentes καὶ λαβροφὴν sint in magna varietate.

THEMISTOCLIS ADHORTAtio ad suos in pugna Salaminia ex Æschylo.

O filij Gręcorum ite & vindicate patriam in veterem libertatem ac dignitatem, asserite in libertatem vestras coniuges, liberos, templa Deorum, monumenta maiorum. Nam pro his rebus omnibus hoc tempore decertandum est. Hæc adhortatio monet, quæ causæ potissimum accendant fortitudinem in animis generosis, vt enim Alphonsus rex Hispanicus dixit, *Se omnia facere pro lege & pro grege*, ita sani homines monentur studio religionis discendæ ac propagendæ & libertatis retinendæ, vt corpora sua bello obiiciant & honeste cadant, si omnino cadendum est.

DE IIS, QVÆ VICTORIAM Salaminiam consecuta sunt.

QVEMADMODVM Epicurei voluptatem in summo gradu bonorum collocant & omnes neruos contendunt, vt voluptatibus suauiter fruantur: ita homines politici & generosi (welt Kinder) ignari Dei gloriam præcipue expetunt, & ad eam obtinendā omnia consilia & actiones referunt, cum nihil melius, nihil optabilius videatur, quam sermone & literis plurimorum celebrari, vt apud Xenophontem dicitur, *Dulcissimum carmen suam cuiq; laudem esse.* Etsi autem non reprehendo nec simpliciter abiicio veræ gloriæ appetitionem, quæ est testimonium conscientię rectę iudicantis & approbatio aliorum recte iudicantium de honestis factis, immo hoc decus necessarium esse arbitror, & vt discrimen virtutum & vitiorum conspiciatur, & vt multi bonis exemplis ad imitationem inuitentur: tamen eo ordine gloria appetatur, ne anteferatur *Gloria quid.*

Deo & virtuti, & animi hac sententia confirmati sint, vt studeat recte facere, etiamsi præmia humana nostris meritis non respondeant. Magna fuit gloria Themistoclis post victoriam Salaminiam, quam Plutarchus his verbis describit: Themistocli omnium Græcorum consensu primæ partes datæ sunt (jhm ist der Preiß geben) Cũ enim duces in Isthmo ad araconuenissent, vnusquisque primum calculum sibi seruauit, alterũ Themistocli tribuit: Lacedæmonij vero Themistoclem præmio summę sapientię dignum iudicantes coronam oleæ capiti ipsius imposuerunt, & Sparta discedenti trecentos satellites addiderunt; qui ad fines terræ Laconicæ hospitem deducerent.

Aiunt etiam in conuentu olympico.)

Primæ partes omnium bonarum actionum sunt tribuendæ Deo causę omnis boni in natura, sed nõ propterea excludenda est diligentia humana nec ita abijcienda, quo minus occurrat ad efficiendam bonam & salutarem actionem. Platoni tres sunt causæ gubernantes humanas actiones I. est Deus. II. Occasio. III. diligentia humana. Præconio Themistoclis nihil gloriosius homini tribui potest, huius vnius viri consilio & sapientia victos esse Persas & seruatam Græciam. Quid quod Græci neglectis ludis olympicis totos se ad contemplandum Themistoclem conuerterunt, & hospitibus hunc liberatorem patriæ magna cum admiratione monstrarunt: sed hanc tantam gloriam deformatam esse constat partim calumnijs & ingratitudine ciuium, partim ipsius Themistoclis petulantia & improbitate. Nam Leobotes homo obscurus atque ignobilis crimen proditionis Themistocli obiecit & ciuitas ingrata mercedem anguinã vulpeculæ liberatrici persoluit. Etenim Themistocles pulsus vniuersa Græcia ad Xerxem, siue vt alij narrant, ad filium Xerxis Longimanum confugere coactus est. Deinde Themistocles senio confectus adeo sibi indulsit, vt à quatuor nudis mulierculis in forũ trahi voluerit. O petulantiam tanta ingenij præstantia rerumque gestarum gloria indignissimam! Discamus igitur ex hac historia nullam virtutem & sapiẽtiam sine Deo perpetuo felicem

esse,

esse, & propter Deum recte faciamus, cum ingratitudo communis morbus sit fere totius generis humani. Cæterum Mardonius in Græcia relictus post fugam Xerxis Alexandrum Macedoniæ regem subornauit, vt profectus Athenas hac oratione vteretur: A rege Persico epistola ad Mardonium allata est, in qua rex omnes priores offensas Atheniensibus condonat, ac præcipit Mardonio, vt vobis non modò vestram terram restituat, sed etiam potestatem faciat quamcunque aliam eligendi, simul concedens omnia priuilegia antiquæ libertatis & instaurans templa, quæ in bello perierunt, ea tamen lege & conditione, si Athenienses cum rege societatem iungere velint. Hãc regis voluntatẽ decet vos amplecti & pacem honestis rationibus constitutam perpetuo bello anteferre. Qualis enim furor esset implacabili odio à tanto rege distidere, cum vana sit sine viribus ira. Considerate quæso potentiã regni Persici, cuius tantæ vires sunt, vt vno exercitu deleto mox alia expeditio longe instructior à Persis aduersus victores suscipi possit. Vestræ vero copiæ etsi nunc recenti victoria exultant, tamen eiusmodi sunt, vt semel fractæ ac debilitatæ vix vnquam recuperare pristinum decus possint. Quamobrem si vobis curæ est vestra libertas & vniuersæ Græciæ salus, nolite aspernari regis societatem, quam sine dolo & sine fraude vobis pollicetur atque defert. Hactenus mandata Mardonij vobis exposui, ac fines mandatorum diligentissime custodiui, deinceps igitur, quæ mea sit sententia de hoc negotio, breuiter exponam, idque faciam adductus ea beneuolentia, qua semper vos complexus sum. Summa autem consilij mei hæc est, vt Mardonio obtemperetis nec recusetis, quo minus ea conditione, quam vobis rex offert, viuatis, non enim video vos ijs neruis abundare, vt omni tempore cum Persis bellum gerere possitis. Et quidem frustra hæc mihi legatio suscepta esset, si ad sustinendam diuturni belli molem vos præclare instructos esse animaduerterem; sed vehementer solicitus de vestra incolumitate, metuo, vt vestræ exiguæ copiæ pares futuræ sint regis incredibili potentiæ, præsertim cũ nulla pars Græciæ magis exposita sit ad omnes casus subitarum incursionum quam Attica. Itaque ani-

Alexander, cuius hic fit mentio, nõ est Alexander Magnus, sed est septimus rex Macedoniæ ab Perdicca.

mo colligentes. quanta res sit, quod rex deleta præteritarum iniuriarum memoria societatem vestram expetit, vtraq; manu hoc quicquid est, quod certe maximum est, amplectimini, nec dubitate, quin fructum huius consilii longe amplissimum sitis percepturi.

Lacedæmonij cum fama & auditione accepissent, Alexandrum Macedonem Athenas missum esse, vt Athenienses Persis conciliaret, & valde metuerent, ne destituti coniunctione Atheniensium a barbaris ex Peloponneso vna cum reliquis Doriensibus ejicerentur, è vestigio legatos ad populum Atheniensium miserunt, qui cū in concionem admissi essent, ita locuti sunt: Missi sumus à Lacedæmonijs magnopere petituri, ne quid noui aduersus Græciam in animum inducatis, & ne barbarorū orationi fidem adhibeatis. Vtrumq; enim & à iustitia & à decoro alienissimū est, cum minime ignoretis, hoc bellum vestra culpa in Græciam attractum esse. Quare cum alias sępe libertatem Gręciæ defenderimus, nolite committere, vt per vos hoc tempore Gręcia in seruitutem venisse videatur. Et quoniā Lacedæmonij intelligunt, vobis non solum cōmeatus, sed etiam hospitia deesse, primum quidem ad societatem doloris vestri, quem ex hac difficultate capitis, sese adiungunt: deinde promittunt, se vna cum reliquis socijs curaturos esse, vt vestræ coniuges & liberi victū habeant, donec bellum ad exitum perducatur. Neq; verò Alexander doctis dolis & facetis fabricis glaucomata vobis ob oculos obijciat, vt insidias Mardonij non videatis. Nam tyrannus tyranno natura cognatus est, & mutuas operas inter se tradunt, vt liberas ciuitates imperij iugo insistant. Quāobrem si vobis cordi est cōis Græciæ libertas, hæc sentētia animis infixa sit, vt statuatis, oēs barbarorum actiones perfidiæ & insidiosarum occultationum plenissimas esse. Athenienses audita cōmemoratione vtriusq; legationis, Alexandro ad hunc modū fere responderunt: Nō sumus adeo rudes aut ignari cōis vitę vt non intelligamus, quanto Persarum potentia maior sit, quā nostra, itaq; ꝙ ad hanc rem attinet, nō valde desideramus tuam admonitionem, quę quasi quędam exprobratio est nostræ infirmitatis. Verum quoquo modo se ista habēt, nos libertatem pro virili tueri ac defendere conabimur, nec vnquā scientes ac volentes huius

Nullus murus firmior est ad depellandum seruitutem quam diffidentia tyrannorum.

ius tanti boni possessionem cum seruitute Persica commutabimus. Hæc igitur summa sit conclusionis, quam Mardonio nunciabis: Athenienses eo animo esse, vt tantisper, dum sol eundem cursum tenet, conatibus Xerxis obuiã ituri sint, & diis adiutorib. freti, quorum ille templa impio nefarioq; scelere violauit, aduersus barbaros fortiter dimicaturi sint. Etsi aũt nunc veteri iure hospitij mouemur, vt tecum bona venia dimittamus: tamen ne deinceps simile argumentum in concionem Atheniensiũ afferas, serio & familiariter monemus. Spartanis verò legatis in hanc sententiam responsum est: Quod Lacedęmonij in metu sunt, ne ad Persas deficiamus, id affectui magis quã iudicio amicorum tribuendũ videtur. Si.n. re diu multumq; cogitata in hanc opinionem discesserũt, nõ obscurum est, eos adhuc ignaros esse animi Atheniẽsium. Neq;.n. vllius auri aut terræ quantũmuis excultæ tanta vis est, q̃ nos permouere possit, vt ad Persas deficiẽtes Græciã prodere velimus. Ac multæ quidem & graues causæ sunt, quæ prohibent, quominus hoc inexpiabili scelere nos polluamus. Primũ ipsa templa Deorũ & priuatorum hominũ domicilia inflãmata a Persis acres stimulos defensionis nobis inferunt; deinde cognatio cum Gręcis & similitudo iudicij de maximis rebus, de religione, de ceremoniis, de morib. & legib. nos in hanc sentẽtiam ducunt, vt existimemus, nihil esse gloriosius, quã p̃ his rebus omnibus acerrimę aduersus barbaros dimicare. Si vobis hic sensus pietatis nostrę erga patriã ignotus fuerit, nũc res ipsa ostendet, nos nequaquã cessuros esse barbaris, dum vnus Atheniensium superstes fuerit. Postremo vẽstrã prouidentiam, qua nostris coniugibus & liberis in hac vastitate terræ Atticæ & comeatuũ inopia cõsulere vultis, grato pectore amplectimur, cumq; nullã gratiam hoc quidem in tempore vobis reddere queamus, in id tñ precipua cura incumbem⁹ ne vestros animos nostra culpa offendisse videamur. Hæc cum ita se habeant, primo quoq; tpe expeditionẽ in Bœotiã suscipite, vt hostẽ à finib. nostris arceatis, quia, nisi hoc fiat, haud dubie hostis irritat⁹ respõsione nostra ferro & igne Atticos fines populabitur. His auditis legati Laconici domũ reuersi sunt: Mardonius vero in Atticã irruens Atheniensib. q̃ tũ erãt in insula Salamine, p̃ p̃conẽ nũtiari iussit, se omnia funditus

ditus extirpaturum esse nisi de concepta sententia desisterent. Ibi vnus ex senatoribus Lycidas, vel, vt Demostheni placet, Cyrsilus, cēsuit, faciendam esse deditionē, nec omnia in discrimen adducenda esse. Et hanc quidem sententiam in senatu dixit, vel pecunia à Mardonio corruptus, vel, quod serio ita sentiret. Athenienses vero auctorem huius consilij lapidibus obruerunt. Fœminæ etiam Atheniensium simili pœna coniugem & liberos eius affecerunt, vt non sine causa ab Hesiodo dictū sit; *Malū consilium consultori pessimum.* Ac, ne plura commemorando vobis molestus sim, duo tantum exempla addam, vnum pietatis erga patriam; alterum moderationis eximiæ ac singularis. Cum enim oraculū affirmaret, Athenienses ita fore victores Mardonij, si in terra Attica hostem adorti essent, nec hostis vlla ratione ex Bœotia in Atticam retrahi posse videretur, propterea, quod muro quadrato, cuius vnum latus decem stadia continebat, exercitum suum probe munijsset; Platæenses amore patriæ victi Atheniensibus dominium suæ terræ attribuerunt, vt iuxta oraculi sententiam in proprio solo feliciter dimicare possent. Hanc virtutem adeo celebrarunt Græci, vt eius admiratione incensus Alexander Magnus mœnia Platæensium instaurarit, & hoc præconio Platæenses in ludis olympicis ornarit, se præmium reddere fortibus & bonis viris, qui in bello Persico Græcis de possessione suæ terræ cessissent, & omnibus in rebus ad bene merendum de patria prompti atque expediti fuissent. Vtinam vero singuli ciues laudatissimam patriam ecclesiam sic diligant, vt tunc arsit amore Græciæ pectus Platæensium, commoda patriæ sibi prima putantium, quod si fieret, haud dubie status ecclesiæ Dei beatior & tranquillior esset. Sed proh dolor nimis magna paucitas est eorum, qui de angusto & litigioso prædiolo cedere velint propter doctrinæ cœlestis & ecclesiæ cōseruationem. Orandus est igitur Deus, vt ipse senescentem ecclesiam, quæ à plerisque horribili ingratitudine laceratur, in aluo sua gestet & aliquorum mentes ad amorem ecclesiæ flectat.

Porro inter Athenienses & Arcades acris contentio extitit de collocatione, cum vtrique sinistrum cornu appe-

appeterent & ad id obtinendum vterentur collatione rerum à maioribus gestarum. Hanc controuersiam Aristides auctoritate sua diremit inquiens, non esse iam tẽpus disceptandi cum Arcadibus de nobilitate generis & virtutis præstantia, nec multum momenti ad virtutem in loco, quo quisque stet, positum esse: sed in hanc curam præcipue incumbendum esse, vt vnusquisque stationem suam ornet. Addebat etiam, non ideo conuenisse Græcos, vt inter se ambitiose de loco certarent: sed, vt cum hostibus cominus congrederentur. Itaq; omittendas laudationes intempestiuas maiorum, & hanc viam ad gloriam rectissimam esse, si vnusquisque suis factis famam extendere conetur. Hac ratione finis certamini ambitioso impositus, & sinistrum cornu Atheniensibus, dextrum Lacedæmonijs communi consensu Græcorum assignatum est.

Cice. in 2. Officiorum. Vnusquisq; studeat talis esse qualis vult videri.

DE PAVSANIA duce Laconico.

POST pugnam Platæensem non minor fuit Pausaniæ virtus quam felicitas. Vt enim Pausanias dux Laconicus victoria minime cruenta ingentem exercitum Persarum ante oculos miserabiliter prostrauit: sic ipsam victoriam castitate & modestia insigni ornauit. Cum enim mulier captiua Coa ad ipsum à militibus adducta esset, non modo ab eius consuetudine abstinuit, quæ duci victori cõcessa videbatur, sed etiam eam in patriã deduci iussit. Deinde cũ quidã Ægineta Lampo ei hortator erat, vt sæuiret in cadauera Persarũ, amputatis eorũ capitibus & in hasta circumgestatis, eamque rem affirmaret conciliaturam esse Pausaniæ singularem opinionem & gloriam; respondit Pausanias sapientissime & moderatissime, Barbaris hominibus huius consilij auctor esto: Græcos vero ad humanitatem assuefactos doctrinæ studijs & honesta disciplina auersari decet immanem crudelitatem. Quod vero ad gloriæ appetitionem attinet, scito me acquiescere in approbatione Spartano-

rum, quibus satis est me placere *Sancta faciendo & sancta dicendo*. Hæ duæ virtutes castitas & modestia, quam rara sint in victoria læta & fœlici & gloriosa; exempla aliorum ducum ostendunt, qui post victoriam fuerunt superbissimi & flagitiosissimi. Sed proh dolor, vt nulla virt⁹ sine Deo perpetua est, ita etiam Pausanias paulo post victoriam ex altissimo fastigio virtutis & gloriæ in deterrimas & acerbissimas calamitates præcipitatus est. Cum enim præfectus esset Byzantij, non solum consilia proditionis vniuersæ Græciæ, cum regibus Persicis agitauit, sed ét rapuit cujusdam nobilis viri Byzantini filiam eamque contaminatam interfecit. Quare Lacedæmonij conscij nefarij sceleris Pausaniæ concepti aduersus patriā & designati aduersus subditos, vt patriæ saluti consulerent & subditorum beneuolentiam retinerent, domū reuocarūt Pausaniam & iudicio damnatū propter scelus proditionis ac confugientem ad aram Deorum morte mulctarūt. Etsi enim metu religionis non audebant ab ara eum abstrahere, tñ sacellum obstruxerunt & custodia præclare cinxerunt. Ibi obambulans Pausanias nec vllum exitum prospiciens aliquoties dicitur in ore habuisse nomen Simonidis: O Simonide, O Simonide, interrogatus autem à custodibus, cur ita exclamaret, respondit, se in quodam conuiuio post pugnā Platæensem à Simonide poeta illis temporibus clarissimo, commonefactionem audiuisse μέμνησο ἄνθρωπος ὤν. i. memineris te hominem esse. Huius admonitionis nunc, inquit, recordor non sine summi luctus acerbitate, ac re ipsa comperio, hominem nihil esse destitutum præsentia & auxilio diuino. Tandem post aliquot dies fame necatus interiit. Discamus igitur ex hac historia, nullam virtutem sine Deo diuturnam esse, sed leui momento de suo gradu deiici, iuxta sententiam Christi Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere*, cum qua cōgruit vox ecclesiæ de spiritu sancto: *Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium*. Quare cum recitamus particulam orationis dominicæ, *Ne nos inducas in tentationem*, veniat nobis in mētem taliū exemplorū, quæ nos admonēt de humana infirmitate & de acerrimis insidiis Diaboli, quibus nulla humana sapientia aut virtus obsistere potest, nisi a Deo regatur & adiuuetur.

DE ARISTIDE.

Cũ in Theatro Athenis recitarentur Versus Æschyli:
Οὐ γὰρ δοκεῖν δίκαιος ἀλλ' εἶναι θέλει.
Βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος.
Ἀφ' ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα,

Id est, *non enim vult videri iustus, sed esse profundũ sulcum mentis, id est, sapientia fructificans, id est, agens vel ducens, ex qua, scilicet sapientia, optima, id est præclara & salutaria consilia promit*, Omnes spectatores mente & oculis in Aristidem intenti fuerunt, existimantes id quod res erat, verius hęc dici de Aristide quã d Amphiarao. Nã Aristides omnia sua consilia & actiones ad iustitiæ normam direxit, & commoda patriæ sibi prima putauit, nec vnquã permoueri potuit, vt honestis consiliis vtilia anteponeret. Quod cum ex aliis reb. permultis intelligi potest tum ex hac re vel maxime, quod vnius Aristidis arbitrio vniuersa Græcia censum institui voluit, quẽ quidem ille sic moderatus est, vt nullius reipublicę bona oneraret & res ipsa ostenderet, Aristidem non esse mercatorẽ propriarũ vtilitatum in gubernatione. Etsi enim multæ fuerunt præclaræ huius viri virtutes, quos recensere nimis longum esset; tñ paupertatis tolerantia præcipue in eo fulsit. Narrãt, cognatum ipsius Calliam, hominem locupletissimum, in iudicio accusatũ esse hoc nomine, quod nihil ad alendum & sustentandum, Aristidem conferret. Ibi Calliam Aristides hac oratione excusauit, Sæpe quidem Callias partem suorum bonorum mihi vltro detulit, sed ego in hac fortunæ tenuitate acquiescere malui, cum multos videre liceat abutentes diuitiis; paucos vero qui generose paupertatem ferãt. Hæc cum clara voce Aristides pronunciasset, audiente vniuerso populo nemo fuit, quin paupertatẽ Aristidis opulẽtiæ Callię anteferret. Est.n.illud a Seneca verissime dictũ: *Læta res honesta paupertas*. Apud Euripidẽ in Oreste laudatio moderationis extat, cuius exemplum illustre in Aristide conspicitur: Si vela nimium rẽdas, nauis mergitur, sed si relaxes, eadem vehitur tutius. Odit Deus nimis vehemẽtes impet⁹, odere ciues, gratior est moderatio Quemadmodum.n.in cœlo rapiditas primi motus temperatur leni aduersatione septem

tem errantium stellarum: ita Aristides placide occurrēs factioni hominum improborum aliquoties rempublicam seruauit. Cum enim ciues locupletes exhausti bellorum assiduitate alterutrum ex his duobus in pernitiem patriæ machinarentur, vt vel statum popularem dissoluerent, vel exercitum Græcorum ad Platæas Persis proderent; Aristides præcipuos auctores factionis prehendi iussit, ac duobus fuga elapsis reliquos sex periculo capitis liberauit, simul eis hanc commonefactionem proponens, bellum esse magnum iudicium, in quo fortiter dimicantes facile possent impium scelus aduersus patriam conceptum expiare. Eiusdem virtutis decus etiam in hoc facto lucet, quod in parietem inclinatum, vt Psalmus venustissime inquit, incumbere noluit. Etenim Cymone, Alcmenone & alijs permultis Themistidem atrociter accusantibus solus Aristides eam moderationem præstitit, vt nec felicitati Themistoclis inuideret, nec calamitate eius lætaretur, cum quidem grauioribus iniurijs ab eo affectus esset. Hanc excelsam animi constantiam, quæ non cedit affectuum ventis, admirari & suspicere debemus & à Deo petere, vt spiritum sanctum nobis largiatur, quo adiutore cum velimus tum possimus, iustum & moderatum vitæ cursum tenere. Etsi autem populus Atheniensis plerunque ingratus fuit erga optime meritos duces: nam & Miltiadem in carcere pene vsq; ad mortē detinuit, & Themistoclem exilio multauit alijsq; cōpluribus eam persoluit mercedē, qualis vetulo cani aut equo rependi solet; tamen mortuo Aristidi gratitudinem suam cumulatissime declarauit, quia filiabus singulis ter mille drachmas dotis loco dedit, & filio Lysimacho non modo centum minas argenti totidemq; iugera agri optimi donauit, sed etiam quatuor drachmas in singulos dies decreuit. Verū quoquomodo se ista habent, nos studeamus ꝑpter Deum recta facere, non propter mercedem humanā, nec frangamur animis, cum non respondent hominum studia & officia nostræ voluntati & nostris meritis.

DE CI-

DE CIMONE FILIO Miltiadis.

QVod de Hercule Euripides dixit, ἀκομψὸς μὲν ἀλλὰ τὰ μέγιστα ἀγαθός, hoc eodem modo de Cimone dici poteſt, qui, cum eſſet vir bonus & laude dignus, tamen non prorſus ſine labe fuit. Etſi enim fortitudine parem Miltiadem, ſapientia Themiſtoclem æquabat; vtrumque iuſtitia ſuperabat; tamen caſti pudoris decus in eo deſideratum eſt. Quare hanc noſtræ naturæ infirmitatem deploremus, in qua nemo mortalis tanta virtute prędıtus eſt, vt Diaboli inſidias effugere poſſit, & his exemplis ſummorum virorũ cõmonefacti petamus à Deo gubernationẽ & defenſionẽ aduerſus ſerpentem inſidiatorem, qui omnes homines variè ac horribiliter contaminare ſtudet. Sed omiſſa hac querela de virtutibus & rebus geſtis Cimonis aliquid dicamus. Primum in Cimone ſumma fuit erga patrem Mitliadem pietas. Cum enim Miltiades in carcere deceſſiſſet, Cimon filius, vt eum ſepeliret vicarium ſe pro patris corpore dedit. Laudatur pietas duorum adoleſcentum Catanæorum, qui parentes viuos ex incendio geſtarunt. Sed virtus Cimonis maiore admiratione digna eſt, qui erga mortuum patrem hunc ſenſum habuit, vt non dubitaret patris vincula ad obtinendam eius ſepulturam in ſe transferre. Deinde in Cimone humanitas tanta fuit, vt ſuauitate morum non minus rempubl. Athenienſem, quam armis auxiſſe videatur. Nam ſocij offenſi Laconica ſuperbia Pauſaniæ, & contra inuitati Cimonis moderatione, vltro Athenienſium auſpicia ſecuti ſunt. Quid dicam de liberalitate & magnificentia Cimonis, quæ multorum literis & ſermone celebrata eſt,

Seneca. *Nullus fuit vnquam vir magnus ſine aliqua mixtura dementiæ*, id eſt, nemo in hac infirmitate ita excellit omni genere virtutum, quin ei aliquid labis & maculæ aſperſum ſit.

Catana eſt ciuitas Siciliæ. Vide Virgilium in Aetna. Item Lycurgum cõtra Leocratem.

est. Cratinus certè comicus non obscure Cimonis in hoc genere laudē prædicat, Ego, inquit, sæpe optaui cum viro diuino & liberalissimo erga hospites & omnium Græcorum optimo vitam traducere, sed hanc spem cogitationum inopinatus viri discessus fefellit. Et Critias vnus ex 30 tyrannis à Deo precatus est opulentiam Scopæ, liberalem animum Cimonis, & Agesilai clarissimas victorias. Gorgias etiam Leontinus crebris sermonibus hanc sententiā vsurpauit, *Cimonem ita possidere opes, vt iis vti sciret, vsum vero diuitiarū huc referre vt esset in honore.*

[Scopas fuit nobilis & locuples vir in Thessalia, familiaris poetæ Simonidis.]

Narrat Plutarchus, Cimonem omnibus ciuibus & hospitibus potestatem fecisse vtendi fructibus suorū agrorum, eamq; ob rem omnia septa diruisse, quibus iam pridem fundi muniti fuerant, & quotidie apparasse cōuiuiū, ad quod singulis patebat aditus. Addit etiam, Cimonē habuisse comitatum adolescentū, qui exhaustis ciuib. aut pecuniam dare, aut vestem cum iis iussu & sumtu Cimonis commutare solebant. Etsi autem patria ingrata ostracismo hunc optimè meritū ducem multauit: tamen proæresin plenam pietatis erga patriā firmissimè retinuit, nec transuersum vnguem ab officiis patriæ debitis abscessit. Has virtutes pro nostra mediocritate imitemur, & quantū quisq; pōt ad tuendam & conseruandam patriam, id est, ecclesiam conferat.

Quid mihi fortuna si non conceditur vti.

Nunc de rebus gestis Cimonis quædam addamus, ne in corpore historiarum mēbrum iā insigne silentio prætertiisse videamur. Cimon cum socios iam sibi deuinctos haberet, exercitum in Thraciam duxit, quia fama & auditione acceperat, quosdā Persicos satrapas ad Strimonē fluuiū Græcis molestos esse. Hos prælio superatos in vrbē Eionen coegit, & obsessos ad tātam cōmeatuum inopiam redegit, vt præfecti desperatione fracti vrbē inflammarēt ac se suasq; res oēs in ignem cōiicerent. Quanquā igitur ex reliquiis vrbis nō magnum fructū capere poterat, tñ in loca vicina, quæ optimè culta erāt, colonias Atheniensium duxit. Pro quo beneficio ciuitas Attica tres statuas mercuriales Cimoni locauit, cū hac inscriptione: *Hanc mercedē Athenienses ducib. optimè meritis persolue-*

runt, & posteritas inuitata spe similium præmiorū non dubitet pro patria bene merata fortiter dimicare. Scyrum quoq; insulam, in qua Theseus ante annos quadringentos fraude Lycomedis interfectus fuerat, cepit, & ossa Thesei magno labore inuenta Athenas transtulit. Sed hæc tantum leuis armaturæ prima excursio fuit, postea cominus cum Persis congressus cornua Persici regni cōminuit. Nam Persis omnes prouincias minoris Asiæ ab Ionia vsque ad Pamphiliam ereptas, in potestatem Græcorum redegit, & hac quidem gloria longè reliquos duces superauit. Nam Miltiades, Themistocles, Aristides, contenti fuerunt defensione patriæ aduersus barbaros: hic verò non solum Persas fortiter ac feliciter à ceruicibus Græciæ depulit, sed etiam opimis spoliis patriam auxit, & locupletauit. Quamobrem iure ac merito in honore fuit; nec mirum est; habuisse eum maiorem inclinationem animorum in populo quam reliquos duces. Tantum verò à captatione munerum abfuit, vt cū quidam Persicus exul ad eum confugiens duo pocula referta auro & argento in vestibulo ædium ipsius collocasset, abire eum cum suis muneribus iusserit, affirmās, *Se malle esse amicum gratuitum quam patronum mercede conductum.* Posttremò Cimonis virtute perfectum est vt Græcia haberet Halcyonia quinquaginta annorum, vsque ad funestissimum bellum, quod Peloponnesiacum vocatur. Hæc autem Halcyonia Deus haud dubiè Græcis concessit; vt in pace studia philosophiæ illustrare & monumentis mandare possent. Quare quod nunc fruimur optimis monumentis Græcorum, Æschyli, Euripidis, Sophoclis, Herodoti, Hippocratis medici, & aliorum præstantissimorum scriptorum; eius rei non minima gratia post Deum Cimoni debetur, qui Græciam pacatam tranquillamque reddidit, quia profectò mediocri tranquillitate ad colenda doctrinæ studia opus est.

IN LIBRVM TERTIVM HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

ISOCRATES in oratione de pace ait, se spectatorem fuisse plurimorum bellorũ in Græcia: confecit enim annos ætatis suæ pene centum; sed re atq; vsu comperisse, omnium bellorum exitus tandem ad normam iustitiæ congruere. Quamquam enim euentus, qui antecedunt καταστροφὴν, tanta in varietate sunt, vt sæpe cogant homines dubitare, vtra causa sit melior: tamen finis declarat iustitiam causę victricem esse, & Deum oppressos iniustis modis vindicare in veterem libertatem ac dignitatẽ. Huius regulæ duo exẽpla euidentissima in hoc tertio libro extant, atque eminent: Vnum de bello inter Lacedæmonios & Messenios: alterum de incendio vniuersæ Græciæ, quod Peloponnesiacum vocatur.

Vetus consuetudo fuit, ædificare communia templa, atque in iis vesci rebus consecratis, quoties fœdera inter vicinos fiebant. Quare cum Lacedęmonij in Peloponneso vicini essent, communi templo extructo pacem inter se fœdusque extruxerunt. Sed quodam tempore adolescentes Messenij, iura diuina & humana violantes, regem Laconicum Teleclum ad communia sacra profectum, interfecerunt, & virgines Laconicas nobiles ad turpitudinem rapuerunt. Itaque Lacedæmonij iuramento sese obstrinxere, non ante domum se reuersuros, quam Messenam solo ęquassent, aut omnes certæ occumbere velle morti. Etsi autem diu anceps Mars fuit, & dubia belli fortuna; nam Aristomenes dux Messeniorum, qui habuit cor hirsutum, sua manu trecentos Lacedæmonios trucidauit: tamen Messena anno 19. à Lacedæmoniis capta & seruitutis iugo tristissimo oppressa est. Bellum verò Pelopponne-

ponnesiacum excitatum πολυπραγμοσύνη & pertinacia Periclis, quantum perniciem Athenis attulit? Suasit enim Pericles populo Atheniensi, vt Corcyreis auxilium ferrent, qui tunc à Corinthiis bello vexabantur, & insulam à re nauali optimè instructam sibi adiungerent. Hâc rem ægre ferentibus Corinthiis & Athenienses apud Ephoros accusantibus, Megarenses socij accusationis fuerunt, grauiter querentes, se præter ius gentium, præterque Græcorum fœdus omni commeatu ac portubus Atheniensium prohiberi. Cum igitur Lacedæmonij legatos Athenas misissent, exarsit bellum funestissimum, in quo pulcerrimæ vrbes Græciæ vastatæ sunt, & pestis, fames, seditiones, cędes, terræmotus, cæteraque mala, quæ bellum præsertim ciuile comitari solent, horribiliter grassata sunt. Quamquam vero Athenięses interdum victores fuerunt duce Alcibiade: tamen ad extremum à Lysandro duce Laconico Athenæ captæ, & ad cantum tibiarum mœnia deiecta sunt. Ex his perspicuum est, quā verè Isocrates dixerit: Omnium bellorum exitus tandem cum iustitia congruere. Cum enim sit prouidentia, fieri non potest, quin pœnæ comitentur delicta. Hæc igitur exempla pœnarū animo colligēres simus modestiores & errantes cupiditates fręno aureo coerceamus, vt aliàs sæpe dicitur.

DE ARTAXERXE LONgimano, quinto rege Persarum.

Xerxe bellum gerente in Europa, domi regnauit Longimanus, qui cum virtute & pietate excelleret, Monarchiam quassatam adhuc fulciebat, nec extra Europam multa Persis hoc regnāte ademta sunt. Postea secutæ sunt defectiones prouinciarum, Ægypti & aliarum. Secutum & bellum ciuile inter duos fratres, Cyrum Iuniorem & Artaxerxē Mnemonem, nec alius magis beneficus fuit erga populum Dei quam Longimanus. Nam hoc regnante, decretum de instauratione templi

renouatum eſt. Ac fuiſſe amplexum Longimanum doctrinam populi Iſrael de Deo; inde conſtat, quia præcipui gubernatores in aula fuerunt duo viri, verè colentes Deum & duces Iſraelitarum Eſdras & Nehemias.

Reſpondit igitur virtuti fortuna. Deus regem modeſtum, pium, benefacientem Eccleſiæ, protexit ac iuuit in gubernatione & defenſione regni, dedit etiam ei placidum exitum. Ab hoc rege impetrata poteſtate redeundi in patriam, acceptis item literis ad Iudeæ Satratrapas & muneribus ampliſſimis, Esdras cum magna multitudine Iudæorum Hieroſolymam reuerſus eſt, & à tota multitudine, quæ ante annos octoginta cum Zorobabel & Ieſu Sacerdote ſummo aſcenderant, primo anno Cyri, cum lætitia exceptus eſt, annis ante Chriſtum natum 457. quibus ſi addes ætatis Chriſti in carne 33. annos, habebis annos 490. qui efficiunt 70. Hebdomadas à Daniele prædictas; quas ideo aliqui ab hoc Eſdræ aduentu numerandas cenſuerũt. Regnauit autem Longimanus circiter 40. annos & huius tempore motũ eſt bellum Peloponneſiacum, quod durauit annos 27. Nam Thucydides lib. 4. diſerte ait, hunc regem ſeptimo anno belli Peloponneſiaci mortuum eſſe.

* *

Hic inſeratur Tabula ſynoptica, ſiue Catalogus interregum Laconicorum.

DE

iudic[illegible]
tis. Sed v[illegible]
cus est: ita Polydorus à quodam ciue Laconico Polemarcho interficitur.

G V M

DECLARATIO CATALOGI PROPOSITI DE REGIBVS LACONICIS.

PRincipio satis constat, reges Laconicos ab Hercule ortos esse. Nam Aristodemus, abnepos Herculis, in Peloponnesum armata manu descendens, Laconicam regionem, cuius caput est Sparta, iure belli occupauit. Huius vxor vno partu duos gemellos edidit, adeo similes forma, vt vix discerni potuerint, Eurysthenen & Proclen, à quibus duæ familiæ Spartanorum regum propagatæ sunt. Ac prius quidem de familia Eurysthenis dicam, postea de Proclis posteritate quædam ex Pausania reperam.

Hæc series vtriusq; familiæ extat in 6. 7. & 8. libris Herodoti, & apud Pausaniam in Laconicis.

Quatuor successores Eurysthenis vsq; ad Agesilaum nihil memoria dignum gesserunt. Agesilaus hac vna re notus est, quod ipso regnante Lycurgus Spartanam rempub. suis legibus astrinxit.

Teleclus nepos Agesilai, vt supra etiam diximus, interfectus est à Messeniis in templo Dianæ, quod erat in finibus Laconicis & Messeniacis ædificatum.

Telecło successit Alcamenes. Alcameni Polydorus, qui duas colonias in Italiam misit; vnam in Crotonem, alteram in Locros Epizephyrios, quorum legislator fuit Zaleucus. Hic Polydorus, cuius ductu & auspiciis primũ bellum Messeniacum confectum est, & Messena in seruitutem redacta, valde à Lacedæmoniis laudatur. Has enim virtutes ei tribuunt, quòd in vita priuata alienus fuerit ab omni violentia & contumelioso sermone: in iudiciis verò iustitiam temperarit suauitate humanitatis. Sed vt magnorum virorum exitus plerumque tragicus est: ita Polydorus à quodam ciue Laconico Polemarcho interficitur.

Eurycrate filio Polydori regnante, Messenij nimis onerati rebellarunt. Sed ab Anaxandro iterum victi, Peloponneso relicta nouas sedes quæsiuerunt. Qua de re infra in historia belli Messeniaci plura dicentur.

Eurycratide & Leone gubernantibus rempubl. Lacedæmonij infeliciter cum Tegeatis bellum gesserũt. Anaxandride vero duce, Tegeatas prælio vicerunt, cum prius ossa Orestis ex Tegea Spartam transtulissent. Nam oraculum affirmauerat, non posse vinci Tegeatas, donec ossa Orestis apud se reposita haberent. Hic Anaxandrides primus ex omnibus Spartanis duas vxores simul in matrimonio habuit. Cum enim Ariste nullam spem sobolis præferret, Ephori hortatores fuerunt regi, vt hac repudiata aliam duceret. Rex verò nolens Aristen dimittere, Ephoris approbantibus aliam ducit constante priore matrimonio, atq; ex his secũdis nuptiis Cleomenem suscipit. Porro Ariste, quæ sterilis aliquandiu fuerat, tres filios Doriea, Leoniden, & Cleombrotum ædidit. Hoc rege mortuo Cleomenem maximum natu filium, Lacedæmonij ad gubernacula reipub. collocarũt. Cleomenes initio regni suscepit expeditionem aduersus Argiuos eosdemque prælio vicit & fugauit. Erat autem in vicinia lucus Niobæ sacer, in quem Argiui circiter quinquies mille, more supplicum, confugiebant. Sed Cleomenes oblitus præcepti: *Noli supplices iniuria afficere: Sunt enim sancti & Deo dicati*: iussit ignem in lucum iniici, quo inflammato supplices Argiui vna cônflagrarunt. Etsi autem hic rex Athenienses pulso Hippia, Pysistrati filio, in veterem libertatem ac dignitatem vindicauerat: tamen posteà Isagoræ amico tyrannidem instaurare conanti opem ferre non dubitauit. Cumque hanc spem cogitationum & consiliorum varij euentus fefellissent, ira commotus Atticam vastauit; nec impias & sacrilegas manus à tẽplo Eleusiniæ Cereris abstinuit. Postea in Æginã discessit, vt pœnam sumeret de gubernatoribus colludentibus cum Persico rege Dario. Commorantem in Ægina Cleomenẽ, Demaratus collega natus in familia Proclis, coram populo Spartano accusat, eique crimina âtrocissima violationis supplicum, & machinationis nefariæ aduersus Atheniẽses obiicit. At Cleomenes simul atq; domum

mum reuersus est, præcipue in hanc curam incubuit, vt Demaratum loco moueret, idque hac ratione perfecit: Conduxit mercede Pythiam mulierem, quæ oraculum ex sententia Cleomenis edidit, affirmãs Demaratum nõ esse filium Aristonis. Subornauit etiam cognatum Demarati Leotychidem, qui sermonem quendam Aristonis calumniose referebat. Nam pater Ariston, cum septimo mense vxor Demaratum peperisset, inconsiderate negauit, hanc sobolem à se genitam esse. His calumniis illud assecutus est Cleomenes, vt Demarato in exilium pulso Leotychides succederet: sed vterq; suorũ scelerum graues iustasq; pœnas persoluit. Cleomenes quidem iuxta Homeri Versum Odyss. 10.

Ζεὺς δ' ἐπιτιμήτωρ ἱκετάωντε ξείνωντε.

id est, *Iupiter est vindex supplicum & hospitum*. Leotychides verò iuxta Demosthenis sententiam: *Regnum scelere partum non est diuturnum*. Nam Cleomenes paulo post furere cœpit, ac furens suum corpus sic lacerauit ferro, vt in maxima dolorũ acerbitate finiret vitam. Leotychides accusatus *δίκη δωροδοκίας*, quam actionem Latini ad crimen læsæ maiestatis referunt, non expectato iudicij die, Tegeam (oppidum Peloponnesi) sese contulit, atque ibi priuatus diem suum obiit. Cleomeni sine hærede extincto frater Leonides successit, qui 300. Spartanis Xerxi ad Thermopylas occurrens, pro patria mortẽ non dubitauit oppetere. De hoc Leonide & 300. qui in Thermopylis occiderunt, extat Simonidis Epigramma.

Dic, hospes Spartæ, nos te hic vidisse iacentes,
Dum sanctis patriæ legibus obsequimur.

Pausanias, filius Cleombroti, de quo supra dictũ est, non fuit rex, sed tantum dux Laconicus, cui in tutelam filius Leonidę Plistarchus traditus est.

Plistoanax, filius Pausaniæ, ducis Laconici, mortuo Plistarcho sine liberis successit, & filium Pausaniam, gerentem aui nomen, suscepit. De hoc rege memorabilis historia apud Pausaniam in Laconicis extat. Cum vrbs Athenarum duce Lysandro capta esset, mutata reipu. forma constituti sunt à Lacedæmoniis victoribus triginta gubernatores, qui facti sunt postea tyranni, cædibus & rapinis omnia vastantes, ita vt Atheniensium exulibus

tora pene Græcia repleretur, donec tandem vnus ex pulsis ciuibus Thrasybulus animum ad liberandam patriam adiecit, qui collecta manu ex miseris reliquiis dissipatæ vrbis tyrannos inuasit, eosque semel atque iterum victos à Spartanis auxilium petere coegit. Ad hos igitur motus comprimendos Pausanias rex Spartanus cum exercitu proficiscitur. Is commiseratione erga populum exulem, & tristi aspectū afflictissimæ vrbis motus, tyrannis ex vrbe pulsis, patriam miseris ciuibus reddidit. Tyranni verò præcisa spe auxilij Spartani, cum suis opibus bellum repararent, insidiis circumuenti trucidantur. Pausanias domum reuersus, in iudicium vocatus est propterea, quod tyrannos socios Lacedæmoniorum deseruisse videretur, & acta est hæc causa magna contentione, ac cognitione facta absolutus est Pausanias in iudicio, in quo pares calculi fuerunt eorum, qui absoluebant, quatuordecim, & totidem eorum, qui damnabant, quatuordecim, ac iudices, qui pro Pausania calculum tulerunt, rectè existimarunt, iniustam sæuitiam non esse adiuuandam. Alij, qui contrarium iudicarunt, haud dubiè in ore habuerunt illud Laconicum *Honestum habendum esse, quidquid Spartæ vtile esset.* Hic Pausanias duos habuit filios Agesipolim & Cleombrotum. Agesipolis tanta pertinacia cum Argiuis bellum gessit, vt terræmotu & fulminibus crebris copias attenuatas difficulter, nec nisi inuitus, ex hostium terra reduxerit. Tandem subito morbo in obsidione Olynthi extinctus est. Cleombroto fratre Agesipolidis regnante, pugna Leuctrica facta est, in qua tanta multitudo Lacedæmoniorum interfecta est, vt imperium Sparta amiserit, & pene funditus deleta sit. Estque hoc in primis consideratione dignum, Cleombrotum initio pugnæ occubuisse, cum alioqui vir bonus esset. Solet enim Deus duces optimè meritos eripere ex his miseriis, quoties magnæ & fatales mutationes impendent.

Cleombroti filius maior natu Agesipolis nihil magna laude dignum gessit. Cleomenes verò minor na-

tu, post fratris obitum regnum obtinuit, cumque liberos genuisset Acrotatum & Cleomenum, Acrotatus prior fato functus est quam pater. Mortuo Cleomene (scilicet patre) magna contentio de regno extitit inter Cleomenum, filium Cleomenis, & Area filium Acrotati. Hanc controuersiam diiudicantes 28. seniores pronuntiarunt, successionem regni ad Area, non ad Cleomenum pertinere. Cleomenus repulsam passus, implacabili odio patriæ arsit. Etsi enim Ephori variis modis eum ad lenitatem flectere conati sunt, tamen ad extremum patriæ bellum intulit, à Pyrrho, rege Epiri, auxiliaribus copiis instructus. Huius belli historiam integrè recitat Plutarchus in vita Pyrrhi.

Areo apud Spartanos regnante, Antigonus filius Demetrij Athenas obsidione cinxit. Venit autem classis ex Ægypto, duce Patroclo, opitulatura Atheniensibus, Spartani etiam in armis fuerunt, defensuri vrbem Athenarum. Quod cum nunciatum esset Patroclo, præfecto classis Ægyptiæ, misit Legatos ad Area regem Laconicum, petentes, vt ipse initium pugnandi faceret, simul promittens ac recipiens, se à tergo in hostes impressionem facturum esse. Lacedæmonij partim amore vrbis Atticæ, partim cupiditate gloriæ incensi, ad pugnandum prompti atque expediti erant: sed commeatum inopia eos domum redire coegit. Itaque post longam obsidionem Athenienses certis conditionibus cum Antigono pacem fecerunt, qui quidem præsidium in Musæo locatum aliquanto post in Macedoniam reuocauit. Huius Antigoni filius Demetrius, regum suæ ætatis florentissimus, venit Athenas, vt Eleusiniis initiaretur. Venit autem mense Martio, quo fieri Eleusinia non licebat, quibus attributi erant menses duo, Nouember & Augustus. Vt igitur regi mos gereretur, nec tamen sacra pollui viderentur, inuenta est bella ratio. Lex lata est, vt mensium nomina mutarentur

tarentur. Hinc intelligi poteſt, quantum leuitatis & Sophiſticæ in Græca gēte tūc fuerit. Areo natus eſt filius Acrotatus (ſcil. penultimus in familia Euryſthenis.) Huic vero Areus (poſtremus in eadem familia) qui cum octo annos ætatis confeciſſet, morbo graui & mortifero oppreſſus eſt. Huic ſucceſſit Cleomeni filius Leonidas, poſt quem vltimus rex Spartanorum Cleomenes, tempore Arati Sicyonij, in Ægypto mortuus eſt. Hoc modo defecit ſucceſſio primę familiæ, quę ab Euryſthene originem duxit.

DECLARATIO ALTERIVS FAmiliæ regiæ apud Spartanos, quæ à Procle orta eſt.

NArrat Ephorus Heraclides Euryſthenem & Proclem domitam à ſe Laconicam in partes ſex diuiſiſſe, & Spartæ regiam ſedem attribuiſſe, vicinosq; in ſocietatem ciuitatis cooptaſſe. Agin vero filium Euryſthenis regnantē Soo filio Proclis ius illud æquabile ſuſtuliſſe, mandaſſeq;, vt ſocij Spartæ tributa ſoluerent, ac cæteros quidem paruiſſe, Eleos autem rebellaſſe, eamque ob cauſam vi & armis ſuperatos in perpetuam ſeruitutem redactos eſſe. Nam domini horum mancipiorum ſic obligati erāt, vt ea nec libertate donarent, nec extra fines terræ Laconicæ vendere auderent. Huius belli aduerſus Helotas geſti ſæpe in hiſtoriis mētio fit. Eurypon Proclis nepos tantam gloriam conſecutus eſt, vt ab ea familia cognominata ſit. Videtur enim primus nimium faſtum regiæ poteſtatis minuiſſe ac beneficiis populi animos ſibi deuinxiſſe. Sed vt optimè cogitata ſæpe peſſime cadunt, ita hæc regum lenitas & moderatio vulgi licentiam auxit & confirmauit. Fuit enim diſciplina vrbis Spartanæ, vſque ad Lycurgi ætatem laxior & reuerentia erga magiſtratus minor. Nam vtraq; res ciuitatibus exitialis eſt, crudelitas & indulgentia. Eurypontis filius fuit Prytanus, quo imperante ſemina odij acerbiſſimi inter Argiuos & Lacedæmonios ſparſa ſunt. Eunomus duos filios Polydecten ex priore cōiuge, Lycurgum ex ſecundis nuptiis ſuſcepit. Hic dirimens

quan-

quandam rixam cultro culinario ictus occubuit, Polydectæ filio, qui erat natu grandior, relicto imperio: quo quidem & ipso mortuo omnium opinio erat, Lycurgum fore successorem regni, ac priusquam constaret fratris vxorem grauidam esse, regis officio functus est: postquam verò prægnantem esse animaduertit, posthumo regnum deberi affirmauit. Interea dum posthumus nascitur, tutoris loco Rempub. administrat. Hic vero exemplum rarissimæ virtutis in Lycurgo videre licet. Non enim tyranni præcepto obtemperauit, qui apud Euripidem Phœnissis, inquit, *Si violandum est ius, regnandi causa violandum est, in cæteris rebus pietatem colas*, sed regnum quod per scelus nancisci poterat, admirabili ac penè incredibili virtute repudiauit. Cum enim vxor Polydectæ de tollendo infante & futuris cum Lycurgo nuptiis verba faceret, Lycurgus & ingenium muliebre apud se detestatus est, & hac figura ad obtinendam posthumi salutem vsus est: Noli, inquit, medicamentis periculum tibi accersere: Mihi enim curæ erit, vt infans in lucem editus mox è medio tollatur. Hac oratione muliebrem animum tantisper deliniuit, donec tempus pariendi instaret. Quo appropinquante mulierculis imperauit, vt parturientem sollicitè custodiant, & si mas nasceretur, eum ad se deferant, quicquid rerum tunc ipse gereret. Accidit autem, vt mulier ipso cum principibus cœnante marem pareret, quem cùm ministri ad eum attulissent, exclamauit: Rex natus est nobis O Spartani; ac deinde Charilaum nominauit, quoniam, qui aderant, hilares omnes essent. Cum autem hæc tota commemoratio de regibus Laconicis, ideo tam altè repetita sit, vt de forma Reipub. Spartanæ commodius dici possit; tempus est, vt aliquando ad ea, quorum causa hæc assumsimus, veniamus. Etsi igitur multa à Lycurgo sapienter cogitata sunt ad retinēdos ciues in officio & confirmandam erga leges reuerentiam: tamen hoc in primis admiratione dignum est, quod non prius suis ciuibus leges tradidit, quam oraculi iudicio ac testimonio comprobatæ essent. Cum enim Delphicum Apollinem interrogasset, an Sparta Lycurgi legibus obtemperans futura esset beata, respondit Apollo, Spartam tantisper fore beatam,

tam, quo ad præceptis institutisque huius viri pareret & obediret. Hac sententia armatus Lycurgus maiore au-ctoritate leges condidit & non obtemperantes pronun-tiauit esse violatores pietatis, quæ diuina numini adhi-benda est. Neq; verò obscura esse potest huius consilij ra-tio, nam omnes sani homines metu religionis magis co-ercentur quam propositis exquisitis suppliciis. Voluit et-iam Lycurgus in hanc sententiam suos ciues ducere, vt existimarent, leges non tantum esse decreta hominum sapientum, sed etiam inuenta DEI, vt Demosthenes con-tra Aristogitonem inquit.

Sequar autem in recitatione legum Lycurgi eum ordinem, quem à Xenophonte obseruatum video. Is e-nim leges Laconicas in tres ordines distribuit; quorum primus continet leges de singulis ætatibus: alter de offi-ciis in tranquilla republica, tertius de disciplina mili-tari.

I. Ad primum ordinem hæ leges pertinent: Nemo nisi matura ætate coniugium contrahat. Pueri vna veste quotannis contenti sunto, in cibo eam moderationem præstent, vt ab omni repletione alieni paruo assuesce-re discant. Iuuentuti plurimum laboris imponatur ac minimum ocij concedatur. In via iuuenes manus sub pallio contineant & taciti ambulent, nec oculos cir-cumferant, sed ea, quæ ante pedes sunt, obseruent. A-dulti venientibus ad conuiuia publica portas mon-strent & dicant: Per hasce verbum nullum egrediatur. In conuiuiis dominentur, Ἀγαπητὸν κὴ ἐρωτηθὲν, id est, sincera conuiuarum beneuolentia & suaue collo-quium.

II. Ad secundum ordinem referantur hęc instituta: Quę-libet domus culmen quidem securi, ianuas verò serra duntaxat & nullo alio instrumento elaboratas habeat. Ignauus apud Spartanos infamia notetur. Liberi homi-nes nec peregrinationem suscipiāt, nec mercaturam ex-erceant. Agrorum possessio æqualis esto. Iumentorum v-sus tanquam inter fratres communis esto.

III. Tertij ordinis leges sunt: Hostibus semel tantum bel-lum inferatur, ne consuetudine durati bellicosi effician-tur. Miles purpuream vestem habeat & galeam æneam:

coma

coma alatur, vt hostibus terrorem incutiat. Acies instruatur figura circulari, nisi à tergo sit mons aut fluuius, aut murus sociorum. Rex fungatur munere sacerdotis erga Deos, & in exercitu ducis officium faciat, hoc est, consilio & manu promtus sit.

Hæ leges, quas recensui, magna ex parte probabiles rationes habēt. Sunt autem duæ ab eodem Lycurgo traditæ, quæ pugnant cum lege naturæ, seu cum iudicio rectæ rationis.

[Omnis lex habere debet has duas conditiones Primum sit honesta, id est, congruens cum lege naturæ, cū discrimine honestorū & turpiū. Deinde oportet legem esse probabilem, id est, extructam ex lege naturæ.]

Vna quæ permittit vt aliquis paciscatur, cum marito de ipsius coniuge: altera, quæ furta approbat tanquam ludos ingenij. In his duabus legibus plurimum inesse turpitudinis omnes sani intelligunt. His igitur exemplis admoniti agnoscamus & deploremus caliginem humanæ mentis, in qua non solum notitia discernens honesta & turpia obscurior, sed etiam assensio languidior est, & Deo grati simus, quod legem naturæ illustrauit, edito decalogo, ac certam vitæ normam nobis tradidit. Porrò, quoniam leges sine executione nihil valent, addidit Lycurgus suis legibus custodes viginti octo, quod hic numerus suis partibus æqualis post senarium perfectus sit. Annis verò centum & triginta post Lycurgum Ephori inspectores constituti sunt regnante Theopompo; quem aiunt ab vxore obiurgatum; quod esset humilius regnum filiis traditurus quam ipse accepisset, respondisse: Eo igitur maius tradam, quo diuturnius; nam insolentia cum inuidia sublata quid potest esse periculi? Fuit autem tanta in Ephoris dignitas atque amplitudo, vt non modo priuatos homines coercere, sed etiam magistratus ipsos loco mouere, & de regibus capitis sententiam ferre potuerint. Durauit autem forma Reipubl. a Lycurgo constitutæ annos quingentos, vsque ad Agidem filium Archidami. Agide verò regnante pecunia primum in vrbem importata

tata eſt,& ſimul cum pecunia,auri ſacra fames.Poſtremò Lyſander leges Lycurgi prorſus abrogauit. Hinc perſpicuum eſt,quod Plato ait: *Omnium rerum publicarum fatales eſſe conuerſiones*.Et quoniam in hanc commemorationem regum Laconicorum ingreſſi ſumus, quanta potero breuitate de iis regibus dicam, qui poſt Lycurgum, ad gubernacula reipub. ſederunt. Nicandro filio Charilai regnante,ea acciderunt,quæ ſupra aliquoties de Theleclo, alterius familiæ rege, recitaui. Theopompi, qui Nicandro ſucceſſit, infra fiet mentio in narratione de bello Meſſeniaco in ſecundo loco. Archidamus viuente adhuc patre Theopompo mortuus eſt, nec tamen ſine ſpe poſteritatis diſceſſit,ſed reliquit ſucceſſorem regni filium Zeuxidamum. Ab hoc ſuſceptus Anaxidamus, quo imperante Meſſenij iterum victi à Spartanis Peloponneſo exceſſerunt. Anaxidami filius fuit Archidamus, Archidami Agaſicles.Hi duo reges nullis bellis implicati placide vitæ curſum confecerunt. Agaſiclis filius Ariſton pactus eſt cum amico de vxore, atq; ex ea ſuſcepit filium Demaratum, de quo ſupra ſatis multa diximus. Leotychides ſucceſſit Demarato in exilium pulſo.Quas autem pœnas calumniæ dederit, in Catalogo alterius familiæ dictum eſt. Leotychidæ filius Zeuxidamus nondum regno potitus moritur ac hæredem relinquit Archidamum, quo duce Lacedæmonij in Atticam freti ſocialibus copiis ſexaginta millium impetum faciunt, illumq; vaſtato agro Athenienſes euocare ad pugnam conantur. Sed Pericles animos ſuorum ciuium pugnandi cupiditate incēſos hac oratione placauit: Cæſas arbores celeriter renaſci, homines verò interfectos non poſſe recuperari. Archidamus duos habuit filios, maiorem natu Agiden, & minorem Ageſilaum. De his infra in hiſtoria belli Peloponneſiaci dicendum erit. Archidamo filio Ageſilai regnante, Phocenſes templum Delphicum ſpoliarunt: qua ex re bellum ſacrum, quod Pauſanias in Phocicis deſcribit, exortum eſt. De Eudamida, Agide, & Eurydamida, Plutarchus in vita Cleomenis & Agidis luculente ſcribit. Omiſſa igitur longiore narratione de regibus Laconicis,ad Hiſtoriam belli Meſſeniaci veniamus.

DE

DE BELLO MESSENIACO.

CUM de causis belli Messeniaci supra aliquoties dictum sit, antequam ad descriptionem belli venio, de situ regionis Messeniæ & de tempore quo gestum est hoc bellum, pauca disseram. Nam circumstantiæ loci ac temporis præcipuum lumen historiis afferunt. Post Tenarum promontorium, quod Peloponnesum instar caudæ muris accuminat, hoc est, vt Græci dicunt, μυουρίζει, sequitur magnus sinus Messeniacus à Messenia regione appellatus, quæ ab oriente annexam attingit Arcadiam; ab occasu mare Ionium; à septentrione Elidem regionem; à meridie sinum, de quo diximus. Nonnulli Messeniam Laconicæ partem fecerunt. Sed Messeniorum & Lacedæmoniorum finem ac terminum Gerusiam, Pausanias in Messeniacis ponit. Cuius regionis præcipua vrbs fuit Messena, cuius murum his verbis laudat Pausanias: Messenam murus circundat ex pulcerrimo lapide; mœnibus pennisque elegantissime exornatur. Et paulo post addit; Babyloniorum vel Memnonis muros, in Susis non vidi, neque ex aliis, qui ipsi vidissent, quales essent audiui; eos qui in Rhodo sunt & Byzantio vidi, mea quidem sententia magnificos, sed Messenios & robore & elegantia præstantiores iudico. Haetenus de situ loci pauca annotaui: nunc de tempore eadem breuitate dicendum videtur.

Incoatum est igitur primum bellum inter Lacedæmonios & Messeniacos anno 2. nonæ Olympiadis, ac durauit annos decem & nouem. Et quoniam in mentionem Olympiadum incidi, quarum ingens in historia Græca vsus est, repetam pauca de initio Olympiadum ex tabulis Prutenicis Reinholdi; ne studiosos appellatio Olympiadis remoretur. Agona Olympicum ante bellum Troianum Hercules in honorem ataui materni Pelopis primus edidit. Quē diu intermissum ab excidio Troiano anno 408. Iphiclus tandem instaurauit deficientibus iam regibus Lacedæmoniorum & Corinthiorum, vt & Funccij Chronologia eruditè annotatum fuit, atq; hæc

fortasse occasio fuit, etsi alia multa insignia in eadē tempora inciderunt; vt natiuitas Romuli, qui fuit οἰκιστὴς vrbis Romæ, victricis postea orbis terrarum. Cum autem Græcorum annus esset ad Lunares menses propriè accōmodatus, vt perpetuò sibi constaret & aliqua ex parte simul ad solis cursum conueniret, desiderabat non solum mensem, verum ēt diem intercalarem. Quare sapiens antiquitas cum videret omissione diei intercalaris turbari totā anni & Nouiluniorum rōem, instituit hoc quadruplex certamen quarto quoq; anno, id est, sub exitum cuiusq; Olympiadis celebrandum, vt memoriam diei intercalaris ex quatuor quadrātibus collecti tam insigni spectaculo vniuersa Græciæ posteritas velut positā haberet ob oculos. Ac mensis quidem intercalatio facta est aliàs secundo, aliàs tertio anno, ita, vt & solstitia & ęquinoctia perpetuò intra certos dies, suorum quęq; mēsiū vltro citroq; oberrarent: Diei verò intercalatio quarto quoq; anno cuiusq; Olympiadis, vt initia mensium constanter Nouiluniis respònderent. Fuitq; initium anni Attici, ab æstiua conuersione solis ac primo Mense, cui nomen fuit ἑκατομβαιών. Etsi autem alij alia initia Olympiadum instituunt: tamen nos auctoritatem domini præceptoris Philippi hac in parte sequemur, qui ab anno 30. Regis Vsiæ patris Achæ & aui Ezechiæ numerat. Hęc in genere dicta de Olympiadibus ad nostrum exemplum accommodemus. Si enim constituerimus initium primæ Olympiadis in anno 38. Vsiæ regis, incidet annus 2. nonæ Olympiadis in annum 4. gubernationis Ezechiæ. Hinc facilè supputari potest, duratio primi belli Messeniaci. His expositis quæ ad tempus pertinent & locum, breuiter ex Pausania initia, progressiones & exitum huius funestissimi belli repetam. Lacedæmonij iuramento obligati, se non prius Spartam reuersuros quam Messenem solo æquassent, duce Alcamene filio Telecli cum exercitu in agrum Messenium irruunt, atq; in primo aditu capiunt oppidum Ampheam, situm in arduo colle, quod propter loci naturam & fontiū perennitatem satis accommodatum videbatur ad molē belli inde transferendam in reliqua oppida Messeniæ. Cum Ampheam destitutā excubiis & custodia cepissent, alios

quidem

quidem ciues in lectis deprehensos, alios è somno excitatos adq; aram confugientes, paucis duntaxat fuga elapsis trucidarunt. Messenij accepto nuntio de expugnata Amphea vnum in locum conuenerunt, deliberaturi de rõe gerendi belli. In hoc conuentu rex tali oratione vsus est: Non esse animũ abiiciendũ propter vnius oppidi expugnationem; quasi de summa rei dimicatum esset, neç nimis extimescendam esse Laconicam expeditionẽ. Etsi enim Lacedæmonij magno vsu hoc consecuti essent, vt arma tractate cum quadam dexteritate scirent, tamen Messeniis ipsam necessitatem defendendi acres stimulos virtutis inserere, ac Deum magis prouehere conatus eorum, qui illatam iniuriam repellerent, quã qui nulla re lacessiti pugnandi initium facerent. His capitibus consolationis & cohortationis recitatis concionẽ dimisit, & ad vsum armorũ exercitationemq; militarem suos ciues assuefecit. Lacedæmonij verò crebras excursiones leuis armaturæ sic moderabantur, vt prædam quidẽ ex fructibus aliisq; reb. mobilibus agerent; sed hostilem terram quam suam fore paulo post sperabant, nec ferro nec igni vastarent. Nam & arboribus parcebant & domos nullo insigni detrimento afficiebant. Messenij vicissim populabantur maritima loca terræ Laconicæ & agriculturam circa montem Taygetũ impediebant. Anno quarto post captam Ampheam rex Messenius cupiens explorare suorum ciuium animos, qui non solum cupiditate vindictæ ardebant, sed etiam mediocrem vsum armorum adepti videbantur, exercitũ in castra educit, comitãte turba seruorum, qui aggeres cumulare solent. Cum autem Spartani ab iis, qui in præsidio Ampheæ erant, certiores facti essent de hostium conatibus, ambo reges Theopompus & Polydorus contrariam aciem instruxerunt, ac sinistrum cornu Polydorus, dextrũ Theopompus, medium Euryleon tenuit. In exercitu Messeniorum è regione oppositi fuerunt, Theopompo quidem Euphaes & Antander; Polydoro Pytharatus, Euryleõti verò Cleomnis. Sed antequam cominus congrederentur exercitus, experirẽturq; si possent cornua hostium cõminuere, ambo reges suos milites ad virtutem cohortati sunt. Theopompus Laconica breuitate vtens suis in memoriam reuoca-

Exemplum humanitatis in hostibus.

 uit

uit iurisiurandi, quo sese obstrixerant, religionem, simul commemorans, quantum decus sit potentiam à maioribus quasi per manus traditam accessione optimæ terræ locupletare. Euphaes rex Messeniacus longiore oratione vsus est quam Spartanus, sed non plura dixit, quam tali tẽpore ad inflammandos animos maxime accommodata videbantur, ita enim disseruit: Nolite arbitrari, vos tantum pro terra Messeniaca & facultatibus, quas vnusquisque possidet, dimicaturos esse: Sed hoc vobis persuasum sit, idque exploratum omnino ducite, ignauis & timidis omnia impendere, quæ victi a superbis & insolentibus victoribus expectare coguntur. Nam coniuges & liberi seruitute perpetua maximeque miserabili opprimentur, iuuentus in lucro ponet mortem, qua sine contumelia afficietur, templa Deorum spoliabuntur, patria vniuscuiusque inflammabitur. Horum malorum specimen videre licet in capta Amphea. Ac longè quidem errat mea sententia, qui credit, hostes mitiùs secum acturos esse, vbi in eorum potestatem venerit, quàm cum ciuibus Ampheæ egerunt. Quamobrem satius est corpora obiicere bello pulcramque petere per vulnera mortem, quam seruili animo ferre hæc tanta mala, quæ recitaui. Signo igitur pugnæ vtrinque dato Messenij quanta maxima contentione possunt in hostem irruunt, nec obscurè declarant, se ad vitam profundendam paratos. Lacedæmonij vicissim Messeniis occurrunt, & magnam eius rei rationem habent, ne ordines militum in ipso cursu turbentur. Constat enim Spartanos nõ solum numero sed etiam scientia rei militaris superiores Messeniis fuisse. Porrò quanta cupiditas vindictæ in Messeniis fuerit, hinc intelligi potest, quod milites nondum læsi hortatores fuerunt sauciatis, vt mallent reliquum sanguinis inter dimicandum effundere, quam tantã morte consumi: contra verò sauciati & iam ex halãtes animam dimicantibus acclamarunt: non committite, vt nobis segniores fuisse videamini, sed perficite vt nostra mors patriæ salutaris sit. In Lacedæmoniis non fuit similis audacia, sed cum armis innutriti essent cõsilio magis quam cæco impetu prœliabantur. Vtrinque autem sic exarserant animi, vt vulnerati nec supplices fierent, nec pecuniam

Consilio multo maiora efficiũtur quam vi & armis.

niam pro vita redimenda promitterent. Hi etiam, qui cædibus grassabātur, à conuitiis & gloriatione abstinebant, cum nullam victoriæ obtinendæ certam persuasionem haberent. Sed omnium maxime mirāda fuit fortuna eorum, qui interfectos spoliare conati sunt. Aut enim telo vndecunque emisso sauciabantur, aut ab iis, qui semiuiui iacebant trucidabantúr. Reges denique ipsi infestis signis inter se concurrerunt: ibi pugna redintegrata est, & cohortes, quæ ductum regis Messeniaci sequebantur, oppositam aciem Spartanorum fregerunt, Theopompo in fugam cōuerso. Alterum cornu Messeniorum infeliciter pugnauit, quia interfecto duce Pytharato ordo aciei turbatus est, & animi militum languefacti sunt. Mediæ partes vtriusque exercitus æquo Marte dimicarunt. Tandem nox prælium acerrimum diremit. Postero die cum neutri pugnam redintegrare aut Trophea statuere vellent, datæ sunt induciæ vtrinque ad sepeliendos mortuos. Post pugnam multá aduersa Messeniis acciderunt, deficientibus neruis belli, & turba seruorum transeunte ad hostes, peste etiam atrociter grassante, quæ florem iuuentutis absumebat. Hæ difficultates in hanc sententiam Messenios duxerunt, vt existimarent arcem belli in monte Ithome ædificandam esse, desertis & relictis oppidis, quæ in plano sita erant. Est enim Ithome vnus de præcipuis montibus totius Peloponnesi habens difficilem aditum & natura præclarè munitus. Deinde cum Apollo in Delphis consultus de belli fortuna respondisset, Messenios victoria potituros esse, si virginem natam in familia Apyti diis immolassent, Aristodemus filiam suam volens exhibuit, vt pro salute patriæ victima fieret. Sed *Fatum*, vt Pindarus ait, *nec ignis nec aneus murus arcere potest.* Hanc enim spem consiliorum & cogitationum euentus inopinatus fefellit. Fuit Messenæ quidam adolescens captus amore filiæ Aristodemi, qui litem patri intendit, coram iudicio, affirmans virginem sibi desponsatam esse, eamque ob causam ex patris potestate excessisse. Verùm quia hac litis contestatione nihil efficere atque assequi poterat, alia via rem aggressus est. Nam constanter asseuerabat, sibi consuetudinem cum virgine fuisse, atque ex se illam grauidam esse, itaq; pater

Trophea tabulæ, in quibus scribebantur res gestæ, & erigebantur in columnis eo loco, vbi hostes erant cæsi.

Pecunia est neruus belli.

de sua mente & sanitate deturbatus filiam suis manibus interfecit & dissectæ corpus populo monstrauit, vt res ipsa calumniam sponsi refutaret. Etsi autem populus atrocitate spectaculi permotus ad pœnam rapere calumniatorem volebat, tamē rex Euphaes persuadens multitudini abundè satisfactū esse oraculo mactatione virginis, adolescentem seruauit. Anno sexto post occupatū montem Ithomen Lacedæmonij alterum prælium cum Messeniis commiserunt, in quo rex Euphaes interfectus est, vtrisq; pro corpore regio obtinendo acerrimè dimicantibus. Regnauit autē annos tredecim, & toto tempore gubernationis suæ bellū gessit. Huic successit Aristodemus, qui robur Messeniorū socialibus copiis Arcadū, Argiuorum & Sicyoniorum auxit, & anno quinto sui regni insigni clade Lacedæmonios affecit. Conseruati igitur Lacedęmonij mittunt legatos ad Apollinem, quibus Vlysseum oraculū datū est: Apollo iubet te, scil. ô Sparta, non tantum aperto Marte dimicare, sed quia dolus malus dominatur Messenæ, iisdem artibus capietur, quibus aucta est.

Aristoteles. Eadem est via compositionis & resolutionis.

Huic oraculo obtemperantes Spartani centum viros prætextu transfugarū in arcem Messeniacā miserunt exploraturos hostium cōsilia. Sed Aristodemus citò deprehendit Laconica Sophismata, de quibus apud Euripidem dicitur: *O dolosi homines Spartani, mendaciorum architecti, flexiloquas ambages captantes, aliud dicentes & aliud sentientes malè pereatis.* Cum aūt huic Vlysseę & vulpinæ sapientiæ euentus non respondisset, Lacedæmonij animos sociorū à Messenis abalienare conati sunt, sed Arcades legationē Laconicā re infecta dimiserūt. Porrò vt tempestatū certa sunt signa atq; indicia, sic fatalē mutationem reipub. Messeniacæ multa portenta antecesserūt. Ophioneus vates Messeniorum natura cœcus visum in summo capitis dolore recepit & rursum amisit. Duo arietes stantes ad arā tanquā futurę victimę cornib. inter se tam diu certarunt, donec vterq; extingueretur: Canes vnū in locum congregati totas noctes latrando cōsumserunt, & in castra Lacedæmoniorum transierūt, ad hæc portēta accessit triste somniū Aristodemi. Visus est. n. in somniis videre filiā a se interfectam, eripientē patri arma

Prouerbiū. Vulpes vetula difficulter capitur, sed tamen capitur.

Plutarchus. Quo non potest peruenire pellis leonina, ibi assumēda est pellis vulpina.

& tra-

& tradentē coronā auream cum veste alba. Ex hac specie somnij ratiocinatus est, sibi mortem denunciari, quia apud Messenios vsitatum erat viros claros atq; nobiles hoc modo in funere efferri. Quemadmodū igitur antea furens filiā interfecerat, ita tunc eodē furore sibi necē in tumulo filiæ consciuit, sperās se hac via & rōe patriæ cōsulturum esse. Hic cogitent studiosi, quāta miseria sit infelicitas hominis, qui tm̄ inani contentione frangitur, nec vllam rem sibi aut aliis salutarem consequitur. Nihil enim patriæ hi conatus profuerunt, sed tantū ipsi exitiales fuerunt. Regnauit autē Aristodemus annos 6. & menses 7. Post huius regis obitum cum menses quinq; obsidionē tolerassent Messenij, ad extremū fracti inopia cōmeatuū & ducum penuria anno vicesimo belli, hoc est, initio decimæ quartæ Olympiadis deditionē fecerunt. Lacedæmonij victores arcem belli solo æquarunt & reliqua oppida suo imperio subiecerunt, ciuib. in hanc formulā iurare coactis: Primum, ne vnquā à Spartanis deficerent aut nouis rebus studerent. Deinde vt dimidiam partem fructuum quotannis Spartanæ reipub. penderēt. Tertiò vt funera regum & aliorum magistratuum Laconicorum tanquam præficæ deducerent.

DE BELLO MESSENIACO secundo.

INitio huius belli duas imagines ex natura sumtas recitabo, quæ declarāt, subditos nimia seruitute oppressos, tandem ad sediriosa consilia decurrere. Plutarchus, in vita Cleomenis regis Spartani, narrat, ex tauris putrefactis nasci apes, ex equis crabrones, ex asinis scarabeos, denique ex hominum cadaueribus serpentes. Etsi autem venusta est significatio singulorum animantium, tamen hoc loco tantum dicam de scarabeis. Quemadmodum ex asinis putrefactis gignuntur scarabei, qui aquilis sunt infestissimi: ita cum vulgus nimia mole oneratur, degenerat in scarabeos, id est, in homines seditiosos, turbantes rempublicam, & inimicos imperiis.

Baptista Fulgosius fuit dux Genuensis in Italia, cumque esset pulsus in exilium totum se literis dedidit.

Altera imago venustissimè hanc sententiam pingens extat apud Baptistam Fulgosium, cum dux Mediolanensis Philippus certis quibusdam conditionibus populum Genuensem sibi deuinctū haberet, & fines obligationis transiret, Genuenses oratorem consilio & eloquentia præstantem Mediolanum miserunt, qui meditata oratione ducem intra metas officiorum reuocaret. Erat autem status & solennis dies Ioannis Baptistæ, quem dux Mediolanensis maximo apparatu conuiuiorum celebrauit. Quare cum legato Genuensi nullus ad ducem pateret aditus propter festi diei celebritatem, & res domi ita constitutæ essent, vt summam in conficiendis mandatis celeritatem desiderarent, mirabili arte legatus id, quod volebat, obtinet. Inclusit in ollam recentem ozymum seu Basilicam, eamque duci agitanti conuiuia offerri iussit. Dux accepta olla & conspicatus in ea herbam omnibus notam amicos interrogauit, quid sibi hoc munus vellet? cumque intellexisset, ab oratore Genuensi hoc, quicquid erat, transmissum esse, mox eum ad se accersi mandat. Orator vbi venit in conspectum & colloquium ducis interrogatus de significatione symboli, summam rei ad hunc ferè modum exposuit: Populus Genuensis magnam habet cum Ozymo seu Basilica cognationem & similitudinem: nam si Ozymum extremis duntaxat digitis attingatur, non ingratum odorem diffundit, sin autem tritum omnino ac pressum fuerit, fœtore suo natib. molestum est, deniq; ex succo Ozymi scorpiones nasci aiunt: ita populus Genuensis lene imperium & æquabile, quod non discrepat à formula obligationis ferre potest, iugum verò tyrannici imperij quacunque ratione potest excutit. Iaq; si tuis rebus consultum cupis & vis Genuenses in officio ac fide retinere, nulla inusitata onera nostris hominibus impones. Hac sapienti oratione non modò ducis animus ad iustitiam moderationemque reuocatus est, sed etiam res eò deductę sunt, vt populus Genuensis, qui domi tumultuabatur, audito responso oratoris sui omnia officia duci Philippo cum summa beneuolentia deinceps præstiterit. His in vestibulo secundi belli Messeniaci explicatis ad causas, à quib. hoc ingēs incendium conflatum est, veniamus. Cum Messenij intolera-

lerabili seruitute oppressi iacerent, nec quicquam sibi de dominorum clementia polliceri auderent, patientia tot tantisq; iniuriis læsa in furorem abiit, quo impulsi à dominis defecerunt, hortante potissimum Aristomene, qui Messeniis societatem Arcadum & Argiuorum conciliauit. Incidit autem hæc defectio in annum quartum Olympiadis tertiæ & vicesimæ, qui est annus tricesimus nonus à capto Ithome. Eo tempore apud Spartanos in familia Eurysthenis regnauit Anaxander Eurycratis filius, nepos Polydori, in altera familia Anaxidamus Zeuxidami filius. Ac primo quidem anno huius belli Spartanæ ciuitati oraculum respondit: Ita victores fore Lacedæmonios, si ab Atheniensibus ducem peterent. Etsi autem Athenienses vrebantur gloria Spartanæ vrbis, & manibus pedibusque obnixè omnia faciebant, vt ei incommodarent; tamen religione oraculi permoti ducem Spartanis miserunt hominem obscurum atque ignobilem, Tyrtæum videlicet Ludimagistrum, altero pede claudum, qui sua cohortatione ita confirmauit animos Lacedæmoniorum, vt vincerent, & suasor fuit exercendę iuuentutis, quod non solum tunc sed in posterum quoq; patrię profuit. Reliquit enim elegiâs, quibus erudiebantur ad fortitudinem, cumque cæteros poetas nō legant, huius tantum est studium, vt legem tulerit, vt in castris armati ciues ad regis tabernaculum conueniant, audituri poema Tyrtæi. Existimabāt enim hac incitatos cohortatione alacrius pericula propria adituros esse. Prodest autem hęc carmina audire, vt sciatis, quæ facta apud pud ipsos gloriosa existimentur.

Quando in Aegypto duplicantur lateres tunc venit Moyses.

Furor fit læsa sæpius patientia.

TYRTÆI POETÆ ATHEniensis Elegeia.

IN prima pugnantem acię cecidisse decorum est,
Seruantem patrię mœnia cara sua.
Nam miserum est patria amissa laribusque vagari.
Mendicum & timida voce rogare cibos.

Cum

Cum natisq; errare suis & coniuge mœsta,
Et cum matre pia cumq; parente sene.
Omnibus inuisus, quoscunque accesserit, exul
Semper erit, semper spretus egensq; iacet.
Nullus honos generi est & perdita gratia formæ est,
Cunctaq; tabescunt membra dolore graui.
Curat nemo vagos & lædere nemo veretur,
Non exul curæ dicitur esse Deo.
Intrepidi pugnate viri & profundite vitam,
Quam patriæ debet reddere quisq; suæ.
Nemo aciem linquens aliis sit causa pauoris,
Iunge maniplari corpus & arma tuo.
Ingentiq; ira flagrent audacia corda,
Nec vitæ nimius pectora frangat amor.
Nec iuuenile agmen pauidos ætate relinquat,
Corpora sunt quorum languidiora senes.
Indignum est aciem ante senilia fusa iacere
Corpora, iam iuuenum diffugiente manu.
Quam triste est lætis spectare iacentia passim
Nudata in campis membra cruenta senum.
Qui quanquam exhalant animas, meminere pudoris,
Quasq; decet partes occuluisse tegunt.
At superant formæ iuuenilia corpora flore.
In quibus & virtus gratior esse solet.
Inque acie iuuenem primo pugnare decorum est
Signa etiam decus est si cadat ante sua.

Ergo

Ergo tuo consiste loco pede firmus vtroque
Compressos dentes & labra morsa tenens.

HÆ cohortationes, vt inquit Lycurgus, ex quo ista decerpsimus, præclaræ & vtiles sunt iis, qui attentè eas audiunt, & considerant. Anno secundo cum & Messenij & Lacedæmonij a socialibus copiis instructi essent, ad signum apri, vt vocant, prælio decertare statuunt. Nam Messeniorum robur augebant sua accessione Elei & Arcades, Argiui item & Sicyonij: Lacedæmoniis vires addebant Corinthij. Locus autem, de quo dixi, est in Stenyclero Messeniæ, vbi quondam Hercules dissecto apro cum filiis Nelei fidem fœdusque iunxit. Cum autem vates pro salute vtriusque exercitus, Lacedæmoniorum quidem Hecarus, Messeniorum vero Theoclus ita sacrificassent, vt de victoria suæ partis certam persuasionem habere viderentur, maiore animo vtrinque ad pugnam properatum est, cumque in omnibus Spartanis ingens esset pro cuiusque ætate & viribus alacritas, tum vel maxima in Anaxandro rege Spartano conspiciebatur. At in Messenio exercitu longe aliis antecebat dux Aristomenes, qui 80. selectissimos milites ad custodiam sui corporis habebat, qui ob hanc ipsam causam acrius aduersus hostes dimicabant, quod ductu & auspiciis Aristomenis militarent. Nam animi imitatio atq; alacritas naturaliter insita generosis naturis admiratione imperatoris incenditur.

Dato igitur signo, Aristomenes cum suis delectis procurrit, & Anaxandro in fugam verso totam aciem hostium turbat & fugientes impetu heroico persequitur. Etsi enim vates Theoclus Aristomenem ex cursu domum reuocabat, propterea quod geminos fratres in pyro syluestri conspicatus esset, tamen Aristomenes effusis omnibus iratum habenis non audiuit acclamationem sui vatis. Itaque præteriens pyrum syluestrem clypeum amisit, quæ res Spartanis fugientibus salutem attulit, cum ille in scuto quærendo occupatus esset: Lacedæmonios verò post

acce-

acceptam cladem adeo consternatos, vt de conditionibus pacis cogitarent, Tyrtæus suis elegiis erexit, & confirmauit, simul persuadens vt in locum interfectorum mancipia substituerent. Porrò Aristomenes clypeum amissum, cuius insigne erat aquila, recuperauit, cum Delphico oraculo obtemperans in antrum Trophonij descendisset. Reuersus autem ex Bœotia noctu diripuit oppidum Laconicum, Pharin, & prædam domum remisit, quam cum ex insidiis Spartanus rex intercipere vellet, fortiter ab Aristomene repulsus est. Postridie Aristomenes in Spartam ipsam facta impressione spectris Helenæ & fratrum geminorum permotus de conatu destitit. Idem heros deprehensas virgines Laconicas ad templum Dianæ in quoddam castellum Messeniacum abduxit, cum sciret eas in claris & opulentis familiis natos esse, nec dubitaret, quin magnum ex eis operæ pretium facturus esset. Harum custodiam cum suæ cohorti commendasset, quidam vino & naturæ improbitate incitati, vim afferre virginibus conati sunt, sed hos à nefario scelere dux castitatis amans & virtute cum hostibus certás partim verbis partim facto ipso prohibuit. Nam eos, qui pertinaciter in proposito perstabant, ad vnũ omnes trucidabat, rectè existimans non modò famam suspicione libidinum obscurari, sed etiam felicitatem consiliorum atque actionum impediri violatione castitatis. Itaque virgines parentibus inuiolatas accepta ingenti pecunia reddidit. Erat autem in terra Laconica fanum Cereris, vbi feminæ statum & solennem diem celebrabant. In hunc chorum muliebrem Aristomenes & eius satellites impetum fecerunt, sed feminæ instinctu numinis arma templi arripientes fortiter se defenderunt, capto etiam Aristomene & satellitibus grauiter sauciatis. Verùm ea ipsa nocte vinculis solutus à sacrificula Archidamia, quæ ipsius amore ardebat, in patriam reuersus est. Tertio anno huius belli cum ambo exercitus ad Magnam fossam de summo rei cominus congressuri essent, ac periculum facturi, si possent cornua hostium comminuere, Lacedæmonij antiquæ virtutis obliti ad malas artes confugiunt, pecunia corrumpentes Aristocratem regem

Arcadum, qui sociales copias cum Messeniis coniunxerat. Ac primi quidem post homines natos hosti dona obtulerunt & victoriam venalem fecerunt, quæ antea semper in virtute militum & in Dei concessu atque munere posita fuerat. Videntur etiam Lacedæmonij easdem artes exercuisse in pugna nauali ad Ægos potamos corrupto Atheniēsium nauarcho Adimanto. Hanc perfidiam Deus statuto tempore Neptolomi pœna, vt Græci dicunt, puniuit. Quemadmodum enim Neoptolemus, qui altaria ad ipsa trementem Priamum traxerat, & in multo lapsantem sanguine nati trucidauerat, vicissim ab Oreste ad aram templi Delphici interfectus est, ita Lacedæmoniorum potentia iisdem artibus, quibus in immēsum aucta erat, fracta ac debilitata est. Nam eo tempore, quo maxime florebant res Laconicæ, post captas Athenas, & Agesilaus victricia arma in Asiam intulerat, nec multùm aberat, quin Sparta regno Asiæ opulentissimo potiretur, rex Persicus pecuniam Græcis ciuitatibus, vt verbi causa, Athenis, Corintho, Thebis distribuit, & bellum ciuile in ipsa Græcia excitauit. Quamobrem Agesilaus ex medio cursu domum reuocatus est, atque in dies singulos res Spartanæ ad interitum magis magisq; inclinarunt. Hoc exemplum insigne testimonium est de prouidētia, & confirmat regulam multoties repetitam: *Per quæ quis peccat per eadem punitur.* Etsi autem Aristocrates pecuniam à Lacedæmoniis acceperat, tamen insidiosè consilia proditionis occultabat, donec armatæ acies in procinctu starent, ibi suos milites, vt de proposito pugnandi desisterent, hortatus est, partim, quia in tātis locorum angustiis versarentur, vt victis nulla spes salutis reliqua esset, partim, quod sacra non ritè administrata essent. His de causis terga dare vnumquemque iussit. Quare cum Lacedæmonij infestis signis tanta vi in Messenios impetum facerent, vt eorum nemo consisteret, Arcades omnes conuersi non solùm loco excesserunt, sed protinus incitati fuga mediū agmen Messeniorum perruperunt. Hæc perfidia sociorum adeo perturbauit omnes rationes Messeniorum, vt præsentis periculi eos caperet obliuio. Alij ergo supplices obtestabantur Arcades, vt re comprobarent, quod verbis iam pridem

dem concepissent: alij conuitiis fugientes tanquam pessimos & perditissimos proditores insectabãtur, quapropter nihil tam facile fuit Lacedęmoniis quã hostes destitutos ope sociorum vincere ac profligare. Quanquã verò Messenij tantam plagam acceperint, ad Magnã fossam, vt & libertatis recuperandæ & salutis retinendæ spem omnino abiicerent: tamen Aristomenes palantes ac dispersos vnum in locum congregauit, ac populo persuasit, vt desertis oppidis mediterraneis arcem belli in monte Ira extruerent. Ea arce ædificata cum nullos haberent fundos præter Pylum & Methonem, non modo Laconicam regionem, sed ẽt suam tanquam hostilem populabantur. Ideo Lacedęmonij decretũ fecerunt, ne quis ante exitum belli cõsereret agros Messeniacos aut Laconicos, qui fines hostium attingebant. Sed hoc decretum causa fuit difficultatis annonę & motę seditionis in vrbe Spartana, quia ciues locupletiores moleste ferebant suos fundos sine cultura & sine spe reditus iacere. Hos autem tumultus Tyrtæus Poeta suis elegiis composuit. Ceterum Aristomenes imparibus copiis cum duobus regib. Spartanis congressus, viuus in hostium potestatẽ venit, & condemnatus sententia iudicij Spartani in profundissimum carcerem, quem ipsi Cæadam vocant, abiectus est. Vt aûtem heroici motus manifestum testimoniũ sunt præsentiæ Dei inter homines cõsulentis vtilitati hominum: sic etiam defensio heroicorum virorum miranda & penè incredibilis testatur homines Deo curæ esse. Narrant.n. hunc præstantem virum integrum atq; incolumem ad imum eius carceris peruenisse, sociis supplicij in medio descẽsu ad asperrima saxa allisis. Deinde tertio die aiunt ab eo vulpeculam conspectam esse gustantẽ cadauera damnatorum, qua ex re cum coniecturam faceret patere aliquem locum, per quem vulpes egrederetur, tantisper immotus iacuit donec ad ipsum quoq; vulpes propius accederet, appropinquantẽ verò prehendit & vesti inuolutam abire permisit, illiusque vestigia eo vsque consectatus est, donec & lucẽ & foramen, per quod vulpes irrepserat, oculis notaret, & quoniam foramen illud angustius erat, quam vt homini exitum præberet, manibus Aristomenis ita apertum & patefactum est, vt

per

per id elapsus preter omnium opinionem in patriam rediret.

Cum autem Lacedæmoniis de hac miranda liberatione Aristomenis allatum esset, non plus fidei ea narratio habuit, quàm si quis affirmet, aliquem ex morte reuixisse, sed paulo post ipsa re Aristomenes huic famæ fidem fecit. Cum enim Corinthij exercitum Lacedæmoniis obsidentibus arcem Messeniacam, de qua supra dictum est, misissent, & Aristomenes ab exploratoribus certior factus esset, milites Corinthiorum sine ordine & sine excubiis dispersos vagari, noctu in eorum castra impressione facta, non modò duces somno vinoque sepultos trucidauit, sed etiam bona hostiū diripuit, vt ipso euentu comprobaret, se in veterem locum restitutum esse. In eo prælio 100. Corinthij manu Aristomenis interfecti sunt. Neque verò id solùm, sed etiam in pugna ad Signum apri totidem sua dextra & aliis in excursionibus non pauciores, hic heros occidit. Quem numerum si quis in vnam summam colligere vellit, 300. ab Aristomene interfectos esse animaduertet. Lacedæmonij verò celebraturi Hyacinthia, quoties repellit ver hyemem, piscique aries succedit aquoso, cum Messeniis obsidione cinctis in arce Ira inducias fecerunt. Tali tempore liberius vagantem Aristomenem septem sagittarij Cretenses ex insidiis adorti vinculis implicarunt & vinctum in quendam pagum Messeniacum duxerunt, vbi habitabat virgo cum matre vidua. Hæc virgo per quietem viderat leonem captum à lupis, eundemque à se vinculis ereptum atque ita lupos dissipatos. Quare cum Aristomenes à Cretensibus captiuus duceretur, subiit mentē virginis recordatio eius somnij, cumq; à matre didicisset, quantus vir esset Aristomenes, consilium cepit, qua ratione iuxta somnij imaginem hunc virum liberare posset. Itaq; potu largiore Cretensibus dato vni ex dormientibus pugionē surripuit, eumq; ad incidenda lora, quibus ille constrictus tenebatur, adhibuit. Liberatus ergò Aristomenes Cretenses sagittarios trucidauit & virginē liberatricē suo filio Gorgo, vix dum nato annos octo & decem, in matrimonium tradidit.

Parua solet magnis rebus inesse fides.

Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxiū.

Ouid. lib. 10. metamorph. non procul ab initio.

Anno 11. obsidionis cum fatale esset arcem Iram capi & Messe-

& Messenios in extremam seruitutē redigi, Delphicum oraculum Aristomeni & Theoclo vati respondit, *Tragus bibit ex flumine flexuoso Neda. Quare non amplius Messenem liberabo. Est enim in propinquo ipsius interitus.*

Εἴ τε τράγος πίνῃσι νέδης ἑλικόῤῥοον ὕδωρ,
Οὐκ ἔτι μεσσήνην ῥύομαι. σχεδόθεν γὰρ ὄλεθρος.

Oritur autem fluuius Neda in monte Lyceo ac progressus labitur per Arcadiam & tandem ad mare contendens diuidit Messeniam ab Elide.

Discor. lib. 1 c. 4. à fine vocat fructus huius arboris ficos. vnzeitige Feigen.

Ac primū quidem Messenij oraculi sententiā ad maritos caprarum accommodatunt, metuentes, ne hi ex flumine Neda biberēt, sed longè aliter se res habebat. Nam arbor, quam Graeci ἐρίνεον siue ὄλυνθον, Messenij τράγον appellant, consita ad flumen Nedam non in cœlum assurgebat, sed in ripam inclinata foliis ipsum flumen sic attingebat, vt aquam gūstare videretur. Quemadmodum autem huius belli causa fuit libidinum confusio: ita similis turpitudo Lacedæmoniis facultatem prębuit occupandi arcem in Ira ædificatam, & finem diuturno bello imponendi. Etenim bubulcus Emperami ciuis Spartani adulterio cuiusdam feminæ Messeniacæ pollutus adulteræ indicio cognouit, qua parte arx Messeniorum excubiis destituta facilimè capi posset. Quare cum ingens & inusitata pluuia custodes Messeniacos loco excedere cogeret, bubulcus domino suo & cæteris Spartanis magnopere hortator fuit, vt se ducem sequerentur, nec dubitarent, quin ea nocte quantumuis opaca & pluuiosa arce hostium potituri essent. Quanquam verò difficile erat rem tantam moliri inter tot impedimenta noctis & tempestatum: tamē vicit iter durum pietas, quam debet patriæ reddere quisque suæ, nec conatus fuit irritus, sed scalis muro admotis in arcem ipsam peruenerunt. Messenij cum ex aliis rebus permultis, tum ex hac re vel maximè aduentum hostium cognouerunt, quod canes vehementius quam aliàs latrarent. Hoc igitur latratu excitati, quæ quisque potest, arma arripiunt, ac velut ad commune incendium patriæ extinguendum accurrunt, in primisque Aristomenes, & filius Gorgus, Theoclus item vates vna cum filio Manticlo & Euergetida, qui in matrimonio habebat sororem Aristomenis:

Ac

Ac tunc quidē alij, etsi non ignorabant se reti, vt dicitur, inclusos esse: tamen nihilominus spetabant, se ex his difficultatibus eluctaturos esse. Aristomenes vero & vates bene sciebant iam adesse tempus, quo iuxta oraculi vocem res Messeniacas frangi ac debilitari oporteret, nec vllum ex his malis effugium concedi, sed tamen, vt fortes viros decet, spem vultu simulātes & altum corde dolorem prementes suos ad defensionem patriæ horrabātur: verum noctu nihil vtrinque memoria dignum gestum est, quia Lacedæmoniis imperitia locorum & metus Aristomenis obstabat, Messeniis nullum symbolum à ducibus datum erat in tanta consternatione, & faces ac lychni vi tempestatis mox extinguebantur. Postquam autem dies illuxit & alij alios coram intueri potuerunt, ibi Aristomenes & Theoclus omnes eloquentiæ neruos contenderunt, vt suos ciues ad recuperandam patriam incitarent ac inter cetera commemorarunt exemplum Smyrneorum, qui Gygen regem Lydorum dominantem in capta Smyrna excusserunt, seque in libertatem vindicarunt. His auditis non solum viri in pugnam pro libertate ruebant, sed etiam feminæ ollis & saxis hostes petebant, suoque exemplo viris animum addebant, cum ipso euentu ostenderent, se malle in acie occumbere, quā captiuas in triumpho Lacedæmonem duci. Sed nemo hominum fati vim effugere potest, siue, vt Pindarus ait, *Fatum nec ignis nec aneus murus arcere potest.* Nam Deus pauorem Messeniis incussit, partim inundatione aquarum, partim cœlo tonante & fulgurante. Quibus ex rebus Lacedæmonij bonam spem conceperunt, interprete vate Hecato. Idem vates auctor fuit Spartanis, vt, quoniam militum numero abundarent, nec omnium vsus in tam angusto loco esse posset, nonnullis potestatem facerent fessa corpora cibo somnoque recreandi. Huius consilij sententia salutaris fuit Spartanis, quia per vices recreati milites integri atque incolumes manserunt. Contra Messenios debilitabant variæ calamitates, vt verbi causa, continuatio laborum, carentia quietis, vis tempestatum, fames, sitis, coniugum miseranda facies. In his asperitatibus rerum vates Theoclus Aristomenem cōpellat: Cur, inquit, tantos labores frustra suscipis,

Virg. Lib. 9. Aeneid. In pugnam Rutuli pro libertate ruebant.

Nulla aduersa pati, nusquam peccare Deorū est; Nemo hominum fati vim queat effugere.

cipis, an ignoras fatalem esse nostrorum hominum calamitatem, quam & Pythia sua voce prædixit, & arbor ἐρίνεος (der wilde Feigenbaum) paulo ante significauit. Me quidem Deus vocat in societatem malorum, quæ patriæ nostræ accidunt, tu vero permagnam rationem habeto, vt te ipsum & reliquias Messeniorum serues. Simulatque hæc dixit, in medium agmen hostium irruens pulcram petiuit per vulnera mortem; Aristomenes autem afflictas reliquias se duce plurimum confidere iussit, ac hostibus nutu capitis & hastæ vibratione signum dedit, se discessionem petere, quam quidem hortante Hecato facile impetrauit. Recte enim Lacedæmonij iudicarunt, victoriam non tantum debere iustam esse, sed etiam φιλάνθρωπον. Non dicam hoc loco pluribus verbis, quanta fuerit Arcadum hospitalitas erga exules Messenios, cum ad finem huius belli festinet oratio. Etsi autem hactenus multa recitata sunt, ex quib. heroica virtus Aristomenis æstimari potest; tamen, quę deinceps exponentur, euidentissime declarant, fuisse in Aristomene præter alias virtutes verum & ardentem amorem patriæ atque immensam laudum cupidinem, vt Virgilij vtar verbis. Quemadmodum enim generosus equus, etiamsi senio confectus sit, in periculo tamen non deficit animo, sed aures arrigit; ita Aristomenes in casu patriæ desperato omnes cogitationes & consilia huc refert, vt vel patriæ aliquod remedium adhibeat, vel à fortuna magis quam à virtute destitutus videatur, eaque ex re immortalis famæ decus consequatur. Nam certum ei deliberatumque erat cum quingentis Messeniis & trecentis Arcadibus Spartam nihil tale suspicantem opprimere & spoliis hostiũ, si fieri posset, exules Messenios locupletare. Sed has pręclaras spes sua proditione rex Arcadum Aristocrates incidit, qui misso nuncio Lacedæmonios de conatibus Aristomenis certiores fecit. Hac igitur spe frustratus Aristomenes oculos in terram defixit, largoque humectauit flumine vultum. Cognito autem scelere Aristocratis, Arcades non modo lapidibus proditorem obruerunt, sed etiam mortuum ex agro atq; finib. suis exterminarunt, ac ne huius exempli memoria deleretur, columnam in

Vincit amor patriæ laudumque immẽsa cupido,

templo montis Lycæi erexerunt, quæ hos versus continet:

> Πάντως μὲν χρόνος εὗρε δίκην ἀδίκῳ βασιλῆι
> Εὗρε δὲ μεσσήνης σὺν διὶ τὸν προδότην.
> Ῥηιδίως: χαλεπὸν δὲ λαθεῖν θεὸν ἄνδρ' ἐπίορκον.
> Χαῖρε Ζεῦ βασιλεῦ & σάου Ἀρκαδίαν.

Id est, *Tempus quidem de iniusto rege pœnam iustam sumsit, sed tamen non sine Deo patefecit proditorem Messena. Non enim fieri potest vt homo periurus diu lateat. Salue igitur, o Iupiter, & serua Arcadiam.* Capta est autem Ira & secundum bellum Messeniacum confectum est, anno primo octauæ & vicesimæ Olympiadis. Porrò nona & vicesima Olympiade Anaxilaus Rheginorum tyrannus exules Messenios in Italiam euocauit, & vrbem Zancleorum in Sicilia à se domitam eis attribuit, imposito nomine Messenæ. Postremo Aristomenes hac occasione in Rhodum peruenit, Damageto Rhodio, principi Ialysi consulenti oraculum Delphicum, cuius viri filiam in matrimonium duceret, Apollo mandatum dedit, vt duceret viri inter Græcos optimi filiam. Huic oraculo Damagetus obtemperans Aristomenis filiã duxit, cum neminem hoc viro præstantionem in Græcia reperiret. Venit igitur cum filia Aristomenes in Rhodum, atq; ibi diem suum obiit, cui quidẽ mortuo Damagetus & Rhodij magnum honorem habuerunt. Nobis certe Aristomenis historia pergrata & periucunda esse debet, cum pulcerrimarum virtutum illustria exempla proponat.

TABVLA χρονολογική *DE DVOBVS bellis Messeniacis.*

Primi belli Messeniaci initium, annus secundus nonę Olympiadis. Duratio, anni 19. Finis, primus annus 14. Olympiadis. Interuallũ inter duo bella primum & secundum, anni 39.

Secundi belli Messeniaci initium annus quartus 23. Olympiadis: Duratio, 18 anni. Finis, primus annus 28. Olympiadis.

TERTIVM BELLVM Messeniacum.

Præfatio in historiam belli Peloponnesiaci.

OMNIVM historiarum, quæ de rebus Græcis memoriæ proditæ sunt, haud scio an vlla extet maior & locupletior & his temporibus magis accommodata, quam historia funestissimi belli, quod Peloponnesiacum vocatur. Non solum enim est imago Reipub. nostri temporis, sed etiam insignia exempla monstrat, quæ nos admonent de nostra infirmitate, & hortantur ad modestiam, ne elati superbia ac fiducia nostri aut alia cupiditate impulsi res iniustas aut non necessarias suscipiamus. Ac primum quidem nihil dubitans affirmare possum, hanc historiam Græcarum ciuitatum tantam habere similitudinem cum iis, quæ partim nostra ætate acciderunt, partim impendent, vt non ouum ouo; neq; lac lacti, vt Plautus ait, magis simile esse possit. In hanc historiam qui inspexerit, is quemadmodum nostras facies in speculis contemplari solemus: ita huius seculi statum, conditionem, mores, studia, conatus, lucide & non obscure cernet. De hac ipsa historia, certiora & minus fallentia vaticinia promi poterunt, quam de vllis diuinatorum, & ariolorum scriptis. Deinde quæ exempla magis nos excitare possunt, ad modestam cogitationem de nostra infirmitate, quam tristissimæ ruinæ florentissimarum ciuitatum & vniuersæ Græciæ? Primum enim in hoc bello, quod auctore Pericle exarsit, Athenæ ceciderunt. Postea victrix ciuitas Sparta simili calamitate fuit. Mox & Thebæ ruere cœperũt: nec multo post tota Græcia seruitute oppressa est, irritatis Macedonum animis à Demosthene. Quid quod multæ tragicæ calamitates, quæ maiores sunt, quam vt verbis enarrari possint, has fatales conuersiones rerum publicarum vel antecesserũt vel secutæ sunt. Initio belli Peloponnesiaci grassata est tam sæua pestis in Attica, vt membra resoluta putrefactione à reliquo corpore deciderent, & in quibusdam,

Sparta in pugna Leuctrica amisit suas vires, quas nunquam postea recuperare potuit.

qui

qui ex morbo recreati sunt, tanta extitit obliuio, vt nec suos nec se ipsos agnoscerent. In seditione Corcyrea nulla non species fuit malorum. Filij trucidati sunt à parentibus, abstracti homines ab aris, imo ad aras iugulati, eo vsque processit cruentæ seditionis furor. Cum in Siciliam Athenienses duce Nicia misissent exercitum sexaginta milliū, tertia pars fame & peste intra paucos menses consumta est, reliqui circumuenti à Siculis, aut omnino trucidati sunt, aut abiecti in fodinas lapidum in iisque detenti sunt, vt vix nuntij eius cladis in patriam redierint. Quid dicam de sæuitia 30. tyrannorum, qui interfecto quodam Phidone, eius filias vocarunt, vt nudæ in conuiuio, in quo area patris cruore resparsa erat, saltarent. Sed hæ virgines tantam immanitatem reformidantes præcipites se ex alto deiecerunt. Hæ tantæ calamitates multis prodigiis denuntiatæ sunt. Nam initio huius belli conspecta est tanta solis Eclipsis, vt penè tenebræ nocturnæ in medio die existerent, & stellæ conspicerentur. Præterea miræ magnitudinis saxum ad Ægos flumen è cœlo delapsum est, & ante illius lapidis casum quinque ac septuaginta dies continuos cometa arsit. Hæc & alia multa cum legimus in historia belli Peloponnesiaci, deploremus horrendam iram Dei aduersus peccatum generis humani, & harum tantarum miseriarum cogitatione moueamur, vt deponamus superbiam ac fiduciā nostram, & vitemus πολυπραγμοσύνην & alias cupiditates, quæ hominem extra metas rapiunt, donec impingat. Postremo consideremus in hac historia discrimen personarum, quarum aliæ multipliciter patriæ nocuerunt, vt Pericles, Alcibiades, Cleon, Lysander, Critias, quos Pausanias appellat ἀνδροχειρας κὴ καταποσιλεας τῆς ἑλλάδος, id est, parricidas & oppressores Græciæ: aliæ eum cursum tenuerūt, quæ patriæ salutaris fuit, vt Thrasybulus, restituens exules Athenienses pulsis 30. tyrannis & sanciens ἀμνηστίαν iniuriarum. De hoc discrimine cogitantes ardenter à Deo petamus, ne nos abiiciat inter pestes generis humani: sed deligat nos inter organa salutaria Ecclesiæ.

Vide Thucydidem lib. 2.

Thucydides lib. 7. in fine. Item Plutarchus in Vita Niciæ.

Plutarchus in Vita Lysandri.

DE CAVSIS FVNESTISſimi belli, quod Peloponneſiacum vocatur.

Polybius eſt Graecus ſcriptor Romanæ hiſtoriæ.

SApienter à Polybio dictum eſt, aliud eſſe αἴτιον, id eſt, principalem cauſam belli, aliud ἀφορμὴν ſeu occaſionem. Etſi autem quenque ſuæ rapiunt ſcelerata in prælia cauſæ, vt poeta inquit: tamen bella ex his fontibus potiſſimum oriuntur, vel ex ambitione, vel ex inuidia, vel ex impatientia, vel ex πολυπραγμοσύνη. De primo fonte bellorum Salomon 13. Prouerb. ait, *Inter ſuperbos contentio.* Hæc cauſa accendit bellum ciuile inter Pompeium & Cæſarem, quia Pompeius nec parem nec ſuperiorem ferre poterat, iuxta verſiculum Homericum, quē ſemper in ore atque in animo habebat:

Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Id eſt, *Semper te ita geras, vt aliis antecellas.* Deinde multos æmulatio impellit, vt tranquillitatem Reipublicæ turbent, vt cum Marius vreretur gloria Syllæ, eumq; conaretur ſpoliare exercitu & prouincia, patriam implicuit crudeliſſimo luctuoſiſſimoque bello. Tertius fons bellorum eſt impatientia. Nam multi iniuriis irritati, labuntur cupiditate vindictę, vt diſcordias excitēt; vt Coriolanus irritatus iniuſta condemnatione, patriæ bellum intulit. Difficile eſt enim irato & ardenti cupiditate vindictæ cohibere ſe, quo minus extra metas irrumpat.

Plutarchus in Vita Coriolani.

Quartus fons eſt πολυπραγμοσύνη, id eſt, inquietudo naturæ, quæ ſemper nouis rebus ſtudet, & mouet res aut iniuſtas aut non neceſſarias. Hæc cauſa incendit Antonium, qui florentiſſimam Romani imperij partem tenebat, vt bellum non neceſſarium Octauio inferret, in quo victus cum ab irato victore vitam impetrare non poſſet, ipſe ſibi mortem conſciuit. Harum cauſarū quantum

[Sedulitas eſt virtus inclinans voluntatem ad facienda opera noſtræ vocationis cum quadam diligentia & aſſiduitate,

tum quæque valuerit ad excitãdum Græciæ incẽdium, si placet, videamus. Athenienses post victos Persas imperium Græciæ annos 50. tenuerunt. Hac possessione amplissimi honoris & potẽtiæ elati & insolentes, vt fieri solet in rebus secundis, non solum erga subditos, sed etiam erga socios & confœderatos fuerunt, quæ res cum alios socios, tum vel maxime Lacedæmonios incitauit, vt de mutatione præsentis status cogitarent. Sunt autem aliæ ἀφορμαὶ, id est, occasiones aliis propiores, à quibus quasi ventis excitati sunt hi fluctus. Remota ἀφορμὴ fuit controuersia Corinthiorum & Corcyreorum, de dominio Epidamni, quæ hodie Dyrrhachium appellatur. Eam cõtrouersiam cum neque iudicio neq; oratione, sed armis diiudicare vellent, Corcyrei ad populum Atheniensem sese conuerterunt, atque ab eo in societatem recepti sunt. Vicissim Corinthij Lacedæmoniorum copiis auxiliaribus se muniebant. Propinquæ ἀφορμαὶ fuerunt, pertinacia Periclis, nolentis abrogare decretum iniustum aduersus Megarenses propositum: item violatio induciarum, quæ cum essent triginta annorum, impressione à Thebanis facta violatæ sunt, anno 15. mense 6. videlicet sub initium veris.

cuius virtutis extremũ est in excessu πολυπραγμοσύνη.

[Hæc virtus versatur inter duo extrema quorum alterum est ignauia, alterum πολυπραγμοσύνη.]

[*Luxuriant animi rebus plerunque secundis.*

Nec facile est æqua commoda mente pati.

Es müssen starcke Bein seyn die gute Tage köndten ertragen.]

Res secundas decet superbia.

Si violandum est ius, regnandi causa violandum est, in cæteris rebus pietatem colas.

Platæa ciuitas se totam tradidit in potestatem Atheniensiũ.

Hæc cum legimus atque audimus, flectamus animos ad moderationem & ad regendos errantes impetus, nec accendi nos ambitione, æmulatione, iracundia, aut aliis leuibus causis, quibus ingentia pereunt, sinamus, vt extra metas officij prouehamur.

Eheu quam leuibus pereunt ingentia causis.

DE REBVS QVÆ PRIMO anno huius belli gestæ sunt.

CVM Thucydides accurate distinxerit tempora huius belli, nos quoque summa sequentes fastigia rerum, cuiusque anni historiam breuiter recitabimus. Anno primo funestissimi belli Cycladum media templo Apollinis & mercatu celebrata Delos, quæ motum terræ nunquam antea sensit, grauiter concussa est, quæ res significauit mutationes toti Græciæ impendentes, sicut etiam scriptura inquit, Psalmo 18. *Commota est & contremuit terra, quoniam iratus est eis dominus.* Eodem anno cum Pericles instructa ingenti classe à littore soluturus esset, in illo ipso articulo, cum in suam triremem ascendit, cõspecta est tanta solis eclipsis, vt pene tenebræ medio die existerent, & stellæ conspicerentur. igitur tanquam prodigio gubernator nauigare recusauit. Hic Pericles seu vere contemnens astrorum minas, seu simulans constantiam, ne lãguefaceret animos militum, pallio suo texit gubernatoris oculos, ac paulo post remoto pallio interrogat, num putet aliquid portendi, quod oculi exiguo tempore tecti fuerint, nec tamen læsi sint, cum respondisset gubernator de pallio nihil mali esse quod pallium paulisper admotum esset oculis: Ita, inquit, Pericles, nec soli nec naturæ rerum aliquid mali accidisse aut significari putes, etiamsi Luna in solem incurrens paulisper cõspectum eius hominibus

[Cyclades sunt insulæ sparsæ instar lapillorum in mari Ægeo, quod est inter Græciam & Asiã minorem. Sunt autem 50. & aliquot, vt Andros, Lesbus, Lemnus, Delos. Inter has media est Delos, patria Apollinis, & Aristoteles quærens Etymologiam huius appellationis, inquit, hanc insulam sic appel-

pellatam esse, quod ex mari prodiens atq; enascens subito apparuerit. Significat enim δῆλος manifestum, apparens, &c.] ademisset, ac soluere iubet & bellum Græciæ inferre, exitiale primum patriæ, deinde & vniuersæ reliquæ Græciæ. His prodigiis initio expositis deinceps ad cætera veniamus, quæ anno primo acciderunt. Lacedæmoniorum socij fuerunt, omnes Peloponnesij, qui Isthmo continentur, exceptis Argiuis & Achæis. Extra Peloponnesum socios habuerunt Megarenses, Locrenses, Bœotios, Phocēses, Ambraciotas, Leucadios, Anactorios. Ex his classem instruxerunt Corinthij, Megarenses, Sycionij, Elei, Ambraciotæ, Leucadij. Equitatum suppeditatunt Bœotij, Phocenses, Locrenses. Reliquæ ciuitates pedestres copias miserunt. Atheniensium socij fuerunt Chij, Lesbij, Platæenses, Messenij, Naupactum incolentes, Acarnanes plerique, Corcyrei, Zacynthij. Huc accedebant vectigales Atheniensium in Caria, Ionia, Hellesponto, Thracia. Item Cyclades omnes præter Melum & Theram. Ex his tem naualem adiuuabant, Chij, Lesbij, Corcyrei, reliqui peditatum & pecuniam conferebant, ac tantæ quidem sociales copiæ vtriusq; ciuitates fuerunt. Lacedæmonij vero antequam in Atticam impressionem facerent, legatum Athenas miserunt, sperantes fore, vt apparatu belli cognito Athenienses de sua pertinacia desisterent. Sed Athenienses concitati à Pericle, legatum nec in vrbem nec in concionem admiserunt, eodemque die suis finibus excedere iusserunt. Ac ne in vulgus aliquid sermonum spargere posset, ductores ei adiunxerunt, qui omnia ipsius dicta obseruarent. Vbi autem ad fines Atticos peruentum est, legatus reuertentibus ductorib. dixit: Hæc dies initium est maximorum malorum, quæ vniuersæ Græciæ impendent. Postea cum in castra Laconica reuersus nunciasset, se ab Atheniensibus repudiatum esse; Archidamus rex impetum in terram Atticam fecit, eamque ferro & igni vastauit. Etsi autem iuuentus Attica pugnandi cupiditate ardebat: tamen à Pericle hac oratione repressa est, cum diceret, Cæsas arbores celeriter renasci, homines autē interfectos nō facile reparari posse, ac quemadmodum

dum nauis gubernator, cum tēpestas in mari coorta est, non valde mouetur nauigantium lacrymis & nausea, sed suis consiliis obtemperat, omniaque ad vitandum naufragium necessaria disponit atque dispensat: sic Pericles clausa vrbe præsidiisque firmata, suo arbitrio iudicioque rem gerebat, clamores & offensiones hominum parui faciens, cum quidē multi amicorum precibus, hostes minis vrgerent, plerique virulentis conuitiis inueherentur in illius præturam, vt ignauam effeminatamque, & quæ res Atheniensium proderet hostibus. Sed nihil horum Periclem de sententia deducere potuit. Dum hæc in Attica à Laconico exercitu, qui erat 60000. geruntur, mittit Pericles classem 100. nauium ad vexandam Peloponnesum, vt hostes domum retraheret, & ipse pedestribus copiis agrum Megarensium popularetur. Hactenus primi anni res maxime memorabiles cōplexus sum. Sequitur vt de iis, quæ anno secundo acciderunt, disseram.

Plato. Difficile est nasci virum vere bonum, qui sit manibus pedibus & mente quadratus.

Descriptio pestis Atticæ.

INeunte æstate secundi anni, Peloponnesij & horum confœderati impressionem gemino exercitu in Atticam fecerunt, ductu & auspiciis Archidami regis Laconici. Cumque non multos dies in terra hostili commorati essent, tam sæua pestis in finibus Atticis grassari cœpit, vt nullum morbi genus post hominum memoriam atrocius extitisse videatur. Tanta enim vis mali fuit, vt nec medici, nec alij artifices oppressis hoc morbo opem ferre potuerint. Quid quod preces & ceremoniæ numini diuino adhibitæ inanes & irritæ fuerunt? Itaque homines miseri deiecti de spe salutis & vi morbi superati more pecudum animas exhalarunt. Extitit autem hæc lues initio in Æthiopia, vt multi affirmant, & peruagata Ægyptum, Lybiam ac regis Persici prouincias, subito in vrbem Atticam irruit, & primum quidem in Pyræo sua contagione magnam multitudinem læsit, non, vt aliqui existimant, fontibus veneno ab hostili exercitu corruptis, cum constet ibi nullos esse fontes; postea vero superiorem ciuitatem inuadens

Non est in medico semper releuetur vt æger Interdum docta plus valet arte malum.

uadens longe plures absumsit. Oro autem omnes doctos, & indoctos, vt candide exponant suas opiniones de causis, à quibus arbitrantur hoc ingens malum ortus sui principium habere. Cum enim ingenue profitear, me tanti mali causas ignorare, lucide & non obscure narrabo, cuiusmodi hoc malum fuerit, vt si futuris seculis simile quiddam incidisset, homines hoc exemplo admoniti, magis suæ saluti consulere ac prouidere possent.

Neque vero quisquam (ait Thucyd.) narrationi fidem deroget, cum & ipse eodem morbo conflictatus sim, & alios conflictantes viderim. Erat tempus anni saluberrimum & minime omnium morbis obnoxium, ac si quis reliquis anni partibus ægrotauerat, eo tempore ex morbo recreari solebat. Sed hæc temporis ratio non obstabat, quo minus homines sanos obscura de causa repente inuaderet vehemens capitis calor & oculorum rubor mixtus inflammatione & fauces vna cum lingua cruore suffunderentur. Ad hæc mala accedebat insolens & grauis anhelitus, sternutatio item & raucedo, nec ita multo post descendebat vis morbi in pectus, & crebra tussi expellebantur ea, quæ contraria sunt pulmonibus & arteriæ, sentiebantur etiam compressiones in orificio ventriculi, quibus adiunctæ erant vtriusque bilis euacuationes, quæ ingentem dolorem ciebant: multos præterea singultus agitabat, nequaquam à repletione ortus, quem comitabatur neruorum vehemens conuulsio. Ac si quis manum & oculos ægrotanti corpori admouebat, nec nimis calidum videbatur, nec pallore deformatum, sed rubicundum & atrum, paruis pustulis & vlceribus scatens, intus autem sic æstuabat corpus, vt omnia tegumenta à se reiiceret in primisque nuditatem expeteret. Neque vero quicquam ægrotantibus optabilius erat, quam aqua frigida sese perfundere, ac multos quidem destitutos excubiis & custodia sitis immensa impulit, vt in puteos insilirent, sed quo plus erant potæ plus sitiebantur aquæ.

Augebat etiam grauitatem morbi quietis carentia, & continuatio vigiliarum, qua in re illud admira-

mirατione dignum eſt, quod corpora non ſtatim conſumta ſunt, ſed aliquamtum ſæuitiæ graſſantis morbi repugnarunt. Itaq; aut nono ſeptimove die extincta ſunt, poſtquam immoderato calore arſerunt, aut translato morbo in ventriculum, atque ibi collecta teterrima fluxus materia miſerandum vitæ exitum habuerunt. Etenim ea vis atque natura fuit huius horrendi mali, vt à capite originem ducens toto corpore ſeſe diffunderet. Quod ſi quis maxima vitaret, impendebat huic correptio extremarum corporis partium. Nàm & verenda impetebat malum, & extremas manus & pedes, his partibus amiſſis aliqui conualuerunt, nonnullos ex morbo recreatos tanta omnium rerum obliuio cœpit, vt nec ſeipſos nec ſuos familiares agnoſcerent. Sed nullius eſt tãtum flumen ingenij, nulla dicendi aut ſcribendi tanta vis tantaque copia, quæ huius morbi atrocitatem ſatis explicare poſſit. Nam cum ex aliis rebus noua, inaudita, inuſitata ſæuitia huius luis percipi poteſt, tum ex hac re vel maxime, quod aues & quadrupedes aut omnino cadauerum contactum, quorum plurima paſſim inſepulta iacebant, reformidarunt, aut guſtatis iiſdem ſubito mortuæ ſunt. Ac vt de auibus non dicam, quas conſtat ex agro Athenienſium graſſante lue ſic exceſſiſſe, vt nec circa cadauera, nec vſquam alibi conſpicerentur; canes certe manifeſta ſigna atque indicia huius contagionis præbuerunt.

Morbus igitur in vniuerſum talis fuit, qualem deſcripſi, etiamſi in ſingulis plures vel pauciores acceſſiones habuit. Neque vero vllum genus morbi notum & vſitatum eo tempore homines contriſtabat, ſed ſi quid eius generis exiſtebat, in peſtem horrendam, de qua dixi, cõuertebatur. Etſi autẽ multi ob eam cauſam potiſſimum perierunt, quod omnis curationis expertes atque vacui eſſent, tamen non pauciores vi morbi ſuperati ſunt, quibus medica manus adhibita eſt, quia nullum in promtu erat remedium, quod ægrotantibus applicatum vnum idemque efficeret: ſed quod huic opem & ſalutem attulerat, alteri extremam perniciem afferebat. Nullum præterea diſcrimen erat inter corpora robuſta & infirma, ſed omnes ſine exceptione graui & mortifero morbo oppri-

opprimebantur, nec victus ratio accurata quicquam momenti ad arcendum hoc triste malum habebat.

Porro cum multa fuerint in peste Attica veris lacrymis deploranda, tum illa duo in primis lugenda videntur, consternatio videlicet animorum & sæua contagio. Nam initiis morbi notatis & animaduersis homines de spe salutis deiecti omnia remedia aspernati sunt & respuerunt, deinde alij alios sua contagione læserunt, quæ res morbi sæuitiam in immensum auxit. Hanc contagionem plerique fugientes & reformidantes illud effecerunt, vt miseri homines destituti aliena ope tanquam pecudes morerentur, & totæ domus in solitudinem redigerentur: alij vero posthabita ratione sui periculi ad amicos accedentes aut statim læsi sunt, aut ceremoniis funerum confectis eodem morbo laborare cœperunt. Tanta vis mali in corporibus ægrotantium hæsit; vt vel vmbra sua sanis obessent. Nonnulli qui mortem effugerant, sensu alienæ calamitatis afficiebantur, eamque omni officio mitigare studebant, propterea quod persuasum haberent, se iam in portu, vt dicitur nauigare. Etenim recidiui procul à periculo mortis segregati erant. Quam ob causam & ab aliis felices prædicabantur, & ipsi non solum ex præsenti recreatione lætitiam capiebant, sed etiam futuræ incolumitatis spem non dubiam concipiebant. Cæterum huic morbo non exiguas vires addidit commigratio agricolarum in vrbem. Cum enim agricolæ destituti melioribus domiciliis humiles casas habitare cogerentur, & quidem alienissimo anni tempore, fieri aliter non potuit, quin sordium & squaloris abundantia fomitem pesti præberet. Itaque videre licebat cadauerum molem non modo in priuatis ædibus, sed etiam in plateis & circa fontes semimortuos inexplebili cupiditate aquæ ardentes. Deniq; quod omniū maxime miserandum est, in templis passim cadauera ante oculos prostrata iacebant.

In hoc tristissimarum calamitatum concursu multi in eam opinionem inciderunt, vt existimarent religionem resque diuinas nihil esse nisi inane nomen. Sublata autē pietate erga Deos perturbatio legum de sepultura & magna confusio secuta est. Nam vnusquisque neglecto

ctolegum ordine, vbi poterat, amicos sepeliebat: multi etiam destituti sumptib. quos sepultura desiderat, summa cum temeritate & impudentia mortuos sepeliebant. Cum enim alij rogum construxissent, & impositum cadauer inflammassent, hi tetre ac impie in alienum rogum cadauera, quæ gestabant, coniecerunt. Hinc primum extitit violatio legum, quæ erãt nerui ciuilis societatis in vrbe Attica. Etsi. n. in florenti Reipublicæ statu multos pœnarum metus coercebat, quo minus extra legum metas erumperent: tamen in hac subita rerum conuersione, in qua post obitum nobilissimorum & locupletissimorum hominum, alij quidam obscuri & ignobiles eorum bona possidebant, & omnia exiguo momento duratura videbãtur: magna pars hominum corporis voluptatibus se dedidit, eorumque se quasi ministrãm præbuit, impulsuque libidinum voluptatibus obedientium Deorum & hominum iura violarunt. Virtutis quidẽ studium adeo languefactum erat, vt nemo hoc decus per ærumnas appeteret, præsertim cum viderent, studiosos virtutis in medio spatio frangi & corruere, & ante in ipso cursu obrui quam portum conspicere possent. Quamobrem vnusquisque summa contentione voluptates & eorum instrumenta quærebat; neque hunc impetum tendentem ad vitia frænabat, aut timor Deorum, aut reuerentia erga leges humanas; sed quia res atque euentus ostendebat, opprimi pariter bonos & malos ingentibus calamitatibus, omnis religio cultusque diuini numinis prorsus ex animis exciderat. Postremo delictorum pœnas nemo extimescebat, sed ita persuasum habebant omnes, prius se vitam cum morte commutaturos esse, quam iudicis tribunal subirent. Quod si sententia iam pridem à iudice lata erat aduersus improbos & sceleratos: tamen nemo erat, qui eam exequeretur.

Seneca. Tamen per ipsas lucet ærumnas decus.

Aristoteles. Pulchritudo virtutis nusquam ita eminet vt in ærumnis.

Ex quo intelligi potest Athenienses vno eodemque tempore maximis malis circumuentos fuisse. Nam & in ipsa vrbe ciues peste absumebantur & agros suos ab hostibus vastari non sine ingenti luctu cernebant. Cœpit autem hic morbus grassari vt supra etiam dixi, Peloponnesiis in Atticam irruentibus, & quod memoria di-

gnissi-

gnissimum est in Peloponnesum non penetrauit, sed Athenas potissimum & alia quædam oppida incolis referta vexauit. Hactenus ex Thucydide descriptionem pestis Atticæ recitaui, cuius recordatione omnes sani ita moueri debent, vt securitatem emendent & de causis humanarum miseriarum attentius cogitent.

Eodem anno Athenienses interceperunt legatos Lacedæmoniorum, euntes ad regem Persicum, vt eum sibi adiungerent contra ciuitatem Atticam.

[Sic argumentor: In iure ciuili extat lex de non violandis legatis; Legati principum aut ciuitatum in itinere non violentur, quia iure gentium prohibita est legatorum violatio. Ergo Athenienses non recte fecerunt intercipientes legatos euntes ad regẽ Persicũ. Respondeo: Lex intelligenda est de ea sententia, de quà principaliter loquitur. Loquitur autem de legatis, qui nulla mandata nostræ Reipublicæ nocitura perferunt: quod si certis signis & coniecturis animaduerti potest, illos aliquid meditari in perniciem nostræ patriæ, nequaquam prohibetur interceptio legatorum. Simile exemplum apud Liuium lib. 3. Decad. 3. vbi Hannibal mittit legatos ad regem Laconicum, vt eum sibi adiungeret.

De tertio anno huius belli.

HOC anno mortuus est Pericles, cum annos 40. post fugam Themistoclis ad gubernacula Reipublicæ Atheniensis sedisset, quem Thucydides his verbis laudat: Nam ille cum & dignitate & consilio antecelleret, & iudicaretur fide tanta præditus, vt pecunia corrumpi posse non videretur, ita populum tenuit, vt volens pareret, neque tamen ipse à populo regebatur, sed potius populum

regebat, eo quod potentiam nacto bonis artibus nihil opus erat ad gratiam dicere, sed poterat propter auctoritatem etiã aduersari. Quando igitur sensit, eos temeritate aliqua confidentiores esse, reuocauit eos & metum incussit: rursum vero cum vidit sine causa consternatos esse, erexit & confirmauit eos. Quanquam autem forma liberi status non erat mutata, tamen re vera ab vno viro Respublica gerebatur. Sed qui post eum præfuerũt Reipublicæ, cum pares essent & ambitione inter se certarent, cœperunt non vera ratione sententias dicere, sed ad affectus populi flectere, vt gratiam mererẽtur, quæ res causa fuit magnarum calamitatum. Idem Pericles gloriatur apud Thucydidem in quadam oratione, cum se esse, qui alteri nulli cedat, cum in necessariis rebus prudenter excogitandis, tum eisdem diserte pronunciandis, & addit sententiã luculentam, quod sapiens destitutus copia disertæ orationis væcordi & incogitanti similis sit. Etsi autem Pericles hanc tantam ingenij vim tantamque dicendi copiam in perniciem patriæ conuertit, & auctor fuit funestissimi belli, quo tota Græciæ conflagrauit: tamen hæc sententia nos admoneat

[Quemadmodum in cœlo duo sunt motus, vnus est primi mobilis, rapidissimus ac celerrimus; cui nisi obuiam iretur, omnia secum raperet per auras & omnium nascẽtium vires impediret: sed alter est motus planetarum, qui oblique per Zodiacum ab occasu versus ortum aduersatur leniter, atque ita temperat raptum primi motus, vt sit accommodatus ad maturationẽ frugum: sic, inquit, vulgus habet cæcos & stolidos impetus, quib. omnino obuiam est eundũ, sed hoc opus, hic labor est, prudenter eis aduersari. Hanc vero artem aduersandi leniter necesse est omnes gubernatores tenere, quam si non tenent, sæpe magni & tristes tumultus existunt.]

neat de necessaria coniunctione sapientiæ & eloquentiæ, quarum altera sine altera lucem habere nequit.

[Salomon Prouerb. cap. 20. *Vt oculus videat, & auris audiat, vtrumq; facit dominus*, id est, vt gubernator excellat auctoritate & habeat populum obtemperantem sua sponte, necesse est hæc tria cócurrant. 1. Heroica sapenitia & prudentia in dandis consiliis. 2. neruus auctoritatis, virtus eximia & singularis. 3. felicitas in rebus gerendis.]

[Eloquentia sine Philosophia est tantũ inanis garrulitas & sæpe perniciosa, quæ dat sine mente sonum. Cicero: Oratio cui nulla res subest, nihil habet nisi inanem sonum & puerilem delectationem.]

Eodem anno obsidione cincta est vrbs Platæarum à Peloponnesiis, quos nulla causa ad eam rem impulit, nisi odium, quod aduersus Athenienses conceperant, in quorum fide & tutela Platæenses annos 90. inde vsquè à pugna Platæensi fuerant. Durauit autem hæc obsidio vsque ad annum 5. belli Peloponnesiaci, nec virtute hostium, sed fame honestissima vrbs tãdem expugnata est, vt infra suo loco dicetur.

De quarto anno belli Peloponnesiaci.

INitio huius anni Peloponnesij & eorum socij duce Archidamo rege Laconico tertiam impressionem fecerunt in Atticam, cumque prædam ex agris egissent & aliquot velitationibus cum equitibus Atticis congressi essent, copias suas singuli domum reduxerunt. Post hanc impressionem Peloponnesiorum in Atticam, Lesbos insula ab Atheniensibus deficit, & cum Pelo-

[Græci incoarunt annum à solstitio æstiuo: Iudæi exorsi sunt annum ab æquinoctio verno: Asiatici homines, vt dissiderent ab aliis, quadam inani superbia discesserunt

 pon-

à reliquorum consuetudine & incoarunt annum ab æquinoctio autumnali.] ponnesiis societate eiusdem fœderis sese coniunxit: quâ ex re postea optimorum ciuium cædes consecuta est. Eadem æstate Athenienses classem triginta nauium instruxerunt, quæ loca Peloponnesi maritima vastauit. Etsi autem hæc initia non ita multum momenti habere videntur: tamen quod de lite Virgilius inquit, hoc eodem modo de seminibus huius belli dici potest:

Parua metu primo mox sese attollit in auras.

Nam ex his paruis initiis, quæ non dissimilia sunt ranarum & murium pugnæ, paulo post ingens incendium excitatum est, cuius fumus veras non fictas lacrymas, vt Aristophanes inquit, omnibus Græcis expressit.

De quinto anno.

INeunte æstate Peloponnesij cum in Lesbum classem 42. nauium misissent, quartam irruptionem in Atticam fecerunt, vt gemino bello distracti Athenienses, & peste iã pridẽ exhausti nihil laude dignũ gerere possent. Fuit autem huius irruptionis dux Cleomenes, patruus & tutor Pausaniæ, filij Plistonactis, qui propter ætatem nondum satis ad has gerendas accommodatam domi manserat. Narrat etiam Thucydides, hanc quartam irruptionem maximam perniciem Atheniensibus attulisse. Quicquid enim post illas superiores irruptiones aut ex terra natum erat, aut singulari fortunæ beneficio remanserat, id omne vastatum & direptum fuisse in hac impressione idem auctor affirmat. Itaque inopia commeatuum Peloponnesios terra Attica tandem excedere & quemque domum redire coegit. Cum autem multa recitentur exempla calumniosarum interpretationum, in quibus verba contra communem consuetudinem enarrantur: tum illud in primis insigne & memorabile est, quod Thucydides historiæ huius quinti anni intertexit. Paches dux Atticus cum cinxisset obsidione Colophonem, euocauit præfectum præsidij data fide, se eum incolumem in vrbem remissurum esse. Cum igitur ex vr-

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

be egressus esset, retinetur in castris. Paches interea oppugnat vrbem, quia absente duce præsidij facilis erat expugnatio, postea capto oppido Paches reducit Arcadem in oppidum, & ibi eum interfecit. Sed hic Paches post ea in ipso iudicum consessu Athenis sua manu sibi mortem consciuit. Porro cum Paches Mitylenem & reliquam Lesbon recuperasset, misit Athenas mille ciues Mitylenæos, vt de eis tanquam auctoribus defectionis supplicium sumeretur, quibus in conspectum populi adductis ita exarsit vindictæ cupiditas, vt populus ira commotus censeret non tantum hos mille viros interficiendos esse; sed etiam reliquos Mitylenæos trucidandos esse simul in seruitutem redactis impuberibus & feminis. Mittitur ergo triremis in Lesbum perferens hæc crudelia edicta ad Pachetem; qui quidem executor decretorum fuisset; nisi quorundam intercessione populus permotus eandem sententiam mitigasset Nam Diodorus & alij quidam populo suadebant, ne in omnes sine discrimine animaduerterent, sed in eos duntaxat, qui faces huius defectionis fuissent. Huic moderato consilio populus obtemperans alium

[Apud Xenophontem extat historia de Theramene & Critia, qui erãt præcipui viri ex triginta tyrannis. Inter hos 30. gubernatores ita conuenerat, vt neminem liceret interfici indicta causa; cuius nomen esset scriptum in Catalogo. Cum igitur Theramenes Critiam & reliquos collegas sæpe reuocaret ad moderationẽ; Critias ægre ferens hunc concionatorẽ struxit ei insidias. Vocauit eũ in iudicium tanquam proditorem reliquorum collegarũ. Theramenes petebat se audiri iuxta pactũ de Catalogo: Huic petitioni respõdit Critias, Delebimus tuum nomen ex Catalogo: ita lex nihil ad te attinebit. Ita interficitur bonus vir Theramenes.]

Exercitus amisso duce est similis Cyclopi amisso oculo, qui tantum erat vnicus in media fronte.

Mitylena præcipua vrbs in insula Lesbô.

Propertius: *Impedit ira animum, ne possit cernere verũ.*

aliam triremem retractatem priora edicta ablegauit, ac tantum de mille viris, quorum paulo ante mentio facta est, supplicium sumsit. Contra vero Cleon ciuis in Republica inquietus, turbulentus, πολυπϱάγμων, crudelis, veterator, sycophanta, architectus pra[v]orum consiliorum, & arte aliorum animos præparans & occupans, hortator fuit populo, vt in ea sententia, quam semel tulisset, perstaret, nec quicquam de summi iuris asperitate remitteret. Et quoniam in huius monstri mentionem incidimus, videtur pauca quædam ex Aristophane repetenda esse, quibus Cleon exagitatur, vt iuniores discant odisse πολυπϱαγμοσύνην & tyrannidem coniunctam πλεονεξίᾳ & aliis turpissimis moribus. Vt Piscatores, inquit Aristophanes, non capiunt anguillos, nisi prius agitato & turbato stagno: ita Cleon quoties inconcessam aliquam vtilitatem aucupatur prius turbat ciuitatem.

Salom. Proverb. 24.

[Cum seditiosis ne commiscearis, quia cito veniet eorum interitus. Nemo se coniungat cum factiosis hominib. qui turbant Rempub. motibus nō necessariis contra leges & ordinariam potestatem, quia cum deus sit custos magistratus, non sinit diu grassari seditiosos; sed paulo post eos reprimit, & ad pœnas rapit.]

Hunc eundem Cleonem pingit in concione ouium balenæ specie præsidentem, & dictantem sententiam perterritis ouibus ituris in suffragium. Hunc ipsum Cleonem alibi dicit alterum pedem in castris, alterum in curia habere. Sed ad seriem historiæ redeat oratio. Platæenses, de quibus supra etiam dixi, fracti diuturnitate obsidionis & commeatuum penuria deditionem fecerunt, sperantes fore, vt Lacedæmonij victis propter maiorum virtutem parcerent. Nam ante annos 90. eorum maiores, quia oraculum responderat non posse Mardonium profligari nisi in terra Attica, suos fundos in potestatem Atheniensium pro salu-

[Cleon Bizantius fuit præfectus Lacedæmoniorum in vrbe Byzantio, quæ hodie voca-

vocatur Constantinopolis. Is cum fuisset diuturna obsidione cinctus ab Atheniensibus & annona facta fuisset angustior, nec diutius posset sustentare milites, fecit deditionem, postea domi accusatus respondit: Ego cum hostib. bellum gessi quoad potui, sed cum natura ipsa belligerari nec debui nec potui.

te totius Græciæ obtinenda scientes ac volentes tradiderant. Sed Lacedæmonij natura superbi & crudeles obliti tantorum meritorum in miseros Platæenses sæuierunt & ad vnum omnes videlicet ducentos & 25. crudelissime trucidarunt, denique ipsam vrbem solo æquarunt, quam Alexander Magnus, vt supra in historia de pugna Platæensi dictum est, instaurauit.

DESCRIPTIO SEDITIONIS CORcyreæ conuersa à domino Præceptore P. Melanchthone.

Corcyræi mutua cœde inter sese grassabantur, priuatis odiis publicam causam prætexentes, quod pœna afficiendi essent auctores noui status in Republica, sed plerique propter priuatas simultates occisi sunt, nonnulli etiam propter creditas pecunias ab ipsis debitoribus necati sunt. Denique nulla non species suppliciorum ob oculos erat, ac non solum vsitata tali tempore fiebant omnia, sed etiam atrociora: Filij trucidabantur a parentibus, abstrahebantur homines ab aris, imo ad aras iugulabantur. Bacchi sacellum obstructum est, vt, qui eo confugerant inclusi fame ibi morerentur, eo vsque processit cruentæ seditionis furor, quæ quid in eo visa est terribilior, quod tunc prima fuit. Postea enim exarserunt vbique seditiones in tota Græcia, cum populi duces accerserent Athenienses. Optimates vero Lacedæmonios: Cumque in pace deesset occasio accersendi socios, deliniebant & extimulabant cupidos rerum nouarum.

Omnis mors est mortalibus misera acerba & in-

suauis, sed fame mori omnium tristißima & acerbissima mors est.

nouarum, vt ortis tumultibus belli prætextu auxilia quęrenda essent, & cum alterutris facienda societas, quod eo consilio fiebat, vt priuatis inimicis singuli nocerent, & sibi ipsis potentiā circundarent. Multa igitur in ciuitatibus acciderunt atrocia, quæ & fieri solent & fient semper, donec eadem erit hominum natura, seu crudeliora, seu mitiora, sed specie non nihil mutata, vt causæ motuum & tempora ferent. Nam in pace & rebus secundis homines publice & priuatim modestiores animos habent, quia non cogit eos subita aliqua vis violenta consilia quærere. Bellum vero diminuens quotidiani victus copiam violētus magister est, & multorū impetus ad præsentes occasiones incitat. Erāt igitur plena seditionū omnia, & subinde posteriora facta, cū sumsissent exēplū à priorib. tū id longe superabāt nouitate, calliditate cōsilij & crudelitate: & ars erat vocabula mutare, vt turpissima scelera iuris specie excusarentur. Audax & impudens vocabatur fortis & fidelis soci⁹: cōsiderata cūctatio dicebatur timiditas: modestus reprehēdebatur tanquā nec acer nec pugnax esset: prouidus vero & pericula præmetiens habebatur pro ignauo: vehemēs & petulās vir magnanimus habebatur: diligentia in eligēdis tutiorib. cōsiliis dicebatur esse prætextus tergiuersantis & receptū prospiciētis: incendens odia, fidelis: contradicens, suspectus: cui struenti insidias respōderat euētus, astutus: multo vero astutior qui structas insidias præsentiens eluserat; qui vero securitati ciuiū consulens, nec moliri insidias, nec cauere volebat, dicebatur amicorū dissolutor, & hostes expauescens: laudabatur & qui alios nocendo anteuertere poterat & qui erāt hortatores. Gratiores erāt in partib. alieni quā cognati, quod illi

[Aristoteles: Bonū quo communius eo melius; econtra, Malū quo est cōmunius eo est nocentius, &c.]

Ieremias. *Prauum est cor hominis & ærumnosum & inscrutabile.*

[Status Reipublicę Atheniensis fuit Democraticus. Status vero Lacedæmonicus fuit Aristocraticus.

Regula.

Eadem fabula semper in mundo agitur à principio vsq; ad finē mutatis duntaxat nominibus, personis & aliis circumstantiis.]

Ouidius. *Et mala sunt vicina bonis errore sub illo. Pro vitio virtus crimina sæpe tulit.*

sine recusatione omnia facere & pati magis auderēt quā ꝓpinqui, fiebātq; hæc fœdera nō iuxta leges cōis vtilitatis cā, sed contra leges, vt suæ qsq; iniustæ cupiditati præsidiū pararet: nec fœdera religione inter se seruabant, sed deuincti scelerū societate recta cōsilia aduersariorū admittebant, non veritatis cā, sed, quatenus ipsis proderāt. Cupiditas tanta vindictæ erat, vt gratius esset vicē reddere q̄ nūquā affici iniuria: induciæ valebāt tātisper, dū nihil esset auxilij: sicubi vero creuerāt vires, multo erat iucūdius alterum imparatū & pp inducias nihil expectātē hostile, opprimere, quā apte præmonitū adoriri, & quia hoc tutius existimabatur, & qa laus erat ingenij fraude supare. Facilius.n. inter multos imꝓbi vocātur industrij: quā tardiores vocātur boni. Nā tarditatis pudet, astutia vero gloriātur hōes, ēt in scelerib. Horū tantotū malorū cā erat appetitio imperij, tū ex ambitione tū ex aliis iniustis cupiditatib. orta. Hinc factiones extiterūt & partium cōtētiones & rerū gubernatores turpissimis reb. honestas cās ptexerunt. Alij se ęquū ius ceu libertatē populi; alij maiestatē principū defendere se simulātes, verbis quidē Rēpu. iactabāt, reuera aūt de priuatis cōmodis dimicabāt, audētes atrocissima & pœnas infligētes maximas, quas nec iure nec vtilitate publica sed voluptate sua metiebantur, & vel iniquis suffragationib. ciues tollebant, vel vi opprimebant, vt aliis morem gererent. Neutri igitur vero studio ac religione quicquā faciebant, sed illa laus q̄rebatur quā maxime, pmere alios honesta specie. Medij ciues ab vtrisq; lacerabantur, vel q̄ nollent adiuuare partes, vel quia ceteri eis incolumitatem inuidebāt.

[Sophocles in Oedipo coloneo: Oēs quia recte volūt consulere Reb. pubis, ad quarū gubernacula collocati sunt, summo studio vitare debēt implicationes fœderum, quia fœdera plerūq; fiunt non cōis vtilitatis cā, sed vt suę quisq; iniustæ cupiditati & vtilitati inseruiat.]

Martialis. *Nulli te facias nimis sodalem, Gaudebis minus & minus dolebis.*

Ennius. *Omnis cura viris, vter esset induperator.*

Salustius. *Publicum bonum simulantes, priuatum captantes.*

Æschines. *Cauete ab illis oratoribus, qui crebris sermonibus vsurpant nomē Republica. His enim verbis homines facilime decipi possunt.*

Solon legislator Atheniensium hanc legem probabili ratione tulit, qua sanxit, ne quis ciuium suorum in seditione aut in dissensione ciuili esset neutralis. Quæ autem

tem ratio sit huius legis, venustissimum dictum Alphonsi docet: Neutrales esse similes iis, qui in medio tabulato domus habitant, hos enim aiebat a superioribus perfundi lotio, ab inferioribus vexari fumo. Sed est alia ratio grauior huius legis, de qua supra. Amicitia est æqualitas, quia est species iustitiæ. Est autem iustitia æqualitas. Debet igitur inter ciues esse æqualitas commodorum, & incommodorum, nec debent singuli magis consulere suæ tranquillitati, quam publicæ saluti. Quare, nę quis propter mercaturam priuatarum vtilitatum sese iudicaret vacuum esse oportere cura rei utriusque publico, sanxit Solon, neminem debere esse neutralem. Ita proter seditiones omne scelerum genus grassabatur, & simplicitas, quæ magis existit in generosis naturis, cum deridere-tur, prorsus extincta est.

[*Candor est virtus approbans alienas voluntates probabili ratione nec habens maleuolentiam, & ambigua flectens in bonam partem, ac de omnibus bene sentiens, nisi contrarium euidenter in oculos incurrat, & tamen intelligens mutabiles esse voluntates hominum & posse hominem errare, cum non penitus perspici possent latebræ humani pectoris.*]

[Cicero 1. officiorum: Sunt quidam aperti & simplices qui nihil ex insidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici.]

Idq; magnæ laudi ducebatur, diffidere inter sese, suspicari, intentos esse tota mente in alterutros, & ad mutuam perniciem consilia dirigere, nec excogitari vllæ tam explicatæ compositiones, nec vlla tam sancta fœdera poterant, quæ diffidentiam animis eximerent, & offensiones sanarent. Cumq; singuli suspicarentur, nulla fore durabilia fœdera, anteuertere hostes malebant, quam eis fidem habere, ac sæpe hi, qui minus pollebant consilio, superiores erant, quia conscij sibi inscitiæ suæ & metuentes astutiam aduersariorum citius & rabiosius arma capiebant, econtra con-

Sæpe etiam tardus assequitur velocem.

temtu horum alteri etsi prospiciebant periculum, tamen quia consilio potius quam armis certare volebant, imparati opprimebantur. Denique talia multa iam fiebant Corcyræ, qualia faciunt hi, qui, cum petulanter iniurias intulerunt, postea vero succumbentes se rursus vlcisci conati sunt, seu qui diuturna se inopia liberare cupiunt, seu qui vt inuadant in aliorum facultates, iniusta decernunt, seu qui non auaritia sed odio & ira incensi & tanquam libertatem suam propugnãtes furenter in aliquos impetum faciunt, & crudelitatem exercent, nec placari possunt. Turbato enim statu ciuitatis natura hominum victrix legum ostendit se libenter eas violare, cum sit impatiens iræ, nec reuereatur iustitiam, ac sit inimica præstantioribus, ideoque vindictam religioni & lucrum iustitiæ anteponit & potentiæ innoxiæ inuidet.

Vulpecula difficulter capitur, sed tamen capitur.

Porro sub initium hyemis anni quinti iterum grassata est pestis in Attica, sed mitius quam antea. Etenim ea pestis, de qua supra diximus, totum biennium durauit, hæc vero recidiua annum duntaxat tyrannidem suam exercuit. Vtraque autem quater mille & quadringentos milites ex ordinibus & trecentos equites absumsit, non sine insigni detrimento Reipublicæ Atheniensis, quæ tot viris fortibus alienissimo tempore orbata est. Ad hęc mala accesserunt terræmotus, quibus concussa est Attica, Eubœa, Bœotia & omnium maxime Orchomenus Bœotica.

Plato. Lex est tyrannus cogens homines multa facere contra naturam. Hoc dictum verum est de facto.

De anno sexto.

CVM autem post solstitium æstiuum, à quo Græci annum suum incoant, Peloponnesij & eorum socij duce Agide, filio Archidami, in Atticam impetum hostilem facturi essent, & ad Isthmum vsque peruenissent, multitudo terræmotuum tantum eis pauorem incussit, vt de proposito desisterent, & re infecta quisque domũ rediret. Nam, vt alia exempla terræ motuũ omittam, in Orobia certe Eubœę vrbe mare à littore discedẽs & maiore impetu refluens partem vrbis inundatione obruit, partem humiliorem effecit, adeo vt nunc mare

cernatur, vbi quondam terra fuit. Multos etiam hæc vis aquarum oppressit, qui non ascenderunt in suprema ædificiorum tabulata. Similis inundatio facta est in insula Atalanta, quæ est opposita Locris Opuntiis, vbi cum duæ naues Atheniensium eodem tempore veherentur, altera ex his fracta est. Sic & in Peparetho insula mare nouis & inusitatis fluctibus agitatũ est, nec tamen in vllam terræ partem redundauit. At terræmotus partem muri, & curiam & nonnullas domus euertit. Cuius rei causa hæc est, quãtum ego, inquit Thucydides, existimare possum, quod cum terra vehementissime quassatur, mare soleat furẽter discurrere atq; ita inundationem efficere, quę mihi quidem sine terrę motu non videtur fieri posse.

Eodem anno Heraclea à Lacedæmoniis condita est, quæ cum in Trachiniis sita sit, quadraginta stadiis à Thermopylis abest, & viginti à mari. Moueor autẽ vicinia montis Oetæ, in quo Hercules sibi rogum struxit, vt credam Lacedæmonios eam vrbẽ in honorem Herculis cõdidisse, à quo reges ipsorum propagati esse dicuntur.

Narrat præterea Thucydides circa finem anni sexti Ætnam montem in Sicilia eructasse ignium torrentes, qui Catanam oppidũ ad radices Ætnę situm inflammarunt. Affirmat etiam quinquagesimo quoquo anno hos flammarum globos, qui Gręce ρύακες appellantur, ex Ætna erumpere, idque ter ait accidisse inde vsq; ab eo tempore, quo Græci Siciliam incoluerunt.

De anno septimo.

HOC anno quinta irruptio Peloponnesiotum in Atticam duce Agide filio Archidami, facta est, & negocium in Pylo ab Atheniensibus hortante Demosthene susceptum est. Est autem Pylus antiqua sedes Nestoris in Messenia, distans à Sparta 400. stadiis, natura magis quam arte munita. Hanc arcem opportuno loco sitam milites Attici incredibili alacritate animorum intra dies sex præclare munierunt. Cum enim instrumẽta architectonica & vasa eis deessent, magnum delectum lapidum habuerunt, reiectis iis, qui ad ordinem ædificij non quadrabant, & lutum in humeros sublatum gestarunt, quod ne decideret de tergo gestantium duabus ratio-

tionibus perfecerunt, partim proni terram spectantes, partim manus post terga complicantes. Hæc autem munitio Pyli causam præbuit Peloponnesiis, vt post dies 15. terra Attica excedentes domum properarent. Cum igitur de oppugnāda Pylo cogitarent, non solū præsidia in insula Sphacteria, quæ est è regione Pyli & in continenti collocarunt, sed etiā sexaginta naues ex Corcyra accersiuerunt: Ecōtra Demosthenes naues Atticas 40 ex insula Zacyntho aduocat, & suos milites, quib. potest armis instruit. Commisso igitur nauali & terrestri prælio, Lacedæmonij non parua clade affecti sunt, eamq; ob causam induciis cum Demosthene factis, legatos de petēda pace Athenas miserunt. Etsi autem breuitatis causa hactenus nullas conciones Thucydideas nostræ narrationi intertexui: tamen hanc legatorū orationem vtcunq; cōuersam recitare libet, & quia plena est grauissimarum sententiarum, & quia his temporibus maxime accommodata est.

ORATIO LEGATORVM LACOnicorum in concione Atheniensi.

SVmus huc missi à Lacedæmoniis, vt de viris 400. qui sunt in insula Sphacteria, vobiscum agamus, nec dubitamus, quin hæc actio cum vestræ Reipublicæ vtilitatem, tum nobis præsertim in hoc statu rerū versantibus laudem decusq; allatura sit. Neq; vero præter gentis nostræ morem longis verborum ambagibus vtemur, sed eum dicendi modum tenebimus, qui nobiscū natus esse videtur. Nam si causa eiusmodi est, vt breui oratione cōfici possit, pauca duntaxat & necessaria loqui solemus. Sin autē ipsius negocij magnitudo & dignitas longiorē explicationē desiderat, præcipue in hanc curā incumbimus, ne à natura rei & personarū & locorū ordine discedamus. Quamobrem à vobis petimus, vt nos differentes de rebus notis, quarum cogitatio optimam & rectissimam consilij sententiam gignere potest, sine fastidio & morositate audiatis. Magnum profecto bonum est & dignū, quod omnib. votis a Deo petatur, felicitas: sed longe maius & melius est, præsenti fortuna moderate vti, & in ma-

in maximis successibus eum cursum tenere, ne elati fortunæ fauore ruamus & nobis atque imperiis te[illegible]is conuersiones accersamus. Huius moderationis exercendæ occasio minime repudianda nunc vobis offertur. Nam eam felicitatem, quæ vobis diuinitus concessa est, ita collocare potestis, vt & imperij vestri possessionem integram atque inuiolatam retineatis, &, quod maius regno decus est, gloriam virtutis ad posteros propagetis. Etsi autem hi, quib. præter opinionem aliquid boni obiicitur, effrenes & immoderati esse & inani spe concepta maiora appetere solent: tamen alij, qui crebras fortunæ mutationes & rerum humanarum inconstantiam experti sunt, plerumque modestiores & constantiores sunt, nec rebus secundis nimium confidunt. Hæc ita esse cum alia multa, tum vel maxime exempla declarant. Quanquam enim paulo ante non postremum locum dignitatis & auctoritatis inter Græcos tenuimus & multo magis ad dandas quam ad accipiendas conditiones pacis accommodati fuimus: tamen magnitudo calamitatum, quibus nunc premimur atque exercemur, in eum locum res nostras deduxit, vt a vobis conditiones pacis petere cogamur. Neque vero opes ac vires nostræ adeo fractæ sunt, vt conscientia imbecillitatis & penuria neruorum belli ad pacem petendam adducamur, sed considerantes varietatem fortunæ, in qua cuiuis contingere potest, quod cuiquam potest, pacem bello anteponimus. Credimus etiam, vos in eadem sententia esse, nec propter præsentem felicitatem, qua nihil incertius, nihil fallacius est, omnia in discrimen adductoros esse. Eos enim prudentes & modestos appellare possumus, qui nec rebus secundis efferuntur, nec aduersis franguntur, sed vtramque fortunam sic moderantur, ne quid vel insolentia vel dolore impulsi contra iustitiam aut alias virtutes fecisse videantur. Quod si quis ea leuitate & iactatione est, vt existimet, omnes bellorum euentusn non à fortuna, sed a suis consiliis pendere, is in summo errore versatur atque in maximarum rerum ignoratione: Econtra vero rectissime rebus suis consulit & prouidet, qui, dum fortuna splendida est, belli telam abrumpit, & fructum quietis præcipue expetit. Quare cum vobis nunc occasio

detur

detur ad eandem normam consilia dirigendi, non modo sine periculo, sed etiam cum præclara opinione potentiæ & sapientiæ, nolite in proposito belli conficiendi odiose perstare, sed de pace inter nos firmanda cogitate, ne si fortuna mutetur, hanc occasionem à vobis neglectam esse doleatis. Etenim Lacedæmonij vos ad inducias & reconciliationem inuitant, simul deferêtes pacem coniunctam societate & omnium officiorum liberali communicatione. Petunt etiam, vt bona cum venia eos viros, qui sunt in insula Sphacteria dimittatis, statuêtes quod res est, longe tutius esse vtrique parti omittere periculorum susceptionem. Nam quoquo modo res cadet, siue illi à fortuna & armis adiuti mortem effugiant, siue expugnati ea facere & pati cogantur, quæ victor iubet, non sine insigni detrimento vtriusq; Reipublicæ cadere poterit.

Qua autem via & ratione reconciliati possint partes capitali odio dissidentes, de eo breuiter nostram sententiam exponemus. Ac summa quidem conclusionis nostræ hęc est: Eũ non recte consulere suæ tranquillitati & stabilitati imperij qui, cum bello superior sit, malit inferiores vi adhibita in ordinem redigere, eos denique in officio neglecta iuris æquabilitate retinere, quam refrænata potentia ad æquitatem & moderationem sese conuertere. Nam is, qui nulla necessitate cogête in gratiam cum hoste rediit, nequaquam in id incumbit, vt vindictę cupiditatem expleat, sed, vt pro virtute virtutem reddat: deniq; pudore quodam ingenij coercetur, ne extra metas officij sui erumpat. Quod si in leuioribus inimicitiis hæc vsitata sunt, possumus ne dubitare, quin eadem fieri soleant, posteaquam de maximis rebus dimicantes in antiquam gratiam restituti sunt? Omnibus enim hoc insitum & quasi insculptum est, sponte parere & obedire iis, qui suauitate humanitatis gubernationem temperant, insolentibus vero aduersa fronte repugnate, etiam si contumacia cum periculo coniuncta sit.

Ac si fuit tempus vllum concordiæ inter nos constituendæ accommodatum, nunc profecto est, cum nondum incidit malum, quod animos vtrinque insanabili vulnere sauciare possit. Quapropter decet vos hanc occasio-

casionem amplecti & acquiescere in conditionibus vltro delatis, quæ & vobis gloriam coniunctam amicitia nostra conciliabunt, & nobis non paruam vtilitatem afferent. Quod enim ad nos attinet, omnibus triumphis pacem anteponimus, & reliquos Græcos ex his tantis malis, quæ bellum præsertim ciuile comitantur, recreare studemus. Cuius quidem rei gloria in vos potissimum redundabit. Nune enim Græci de auctore huius belli varias habent & discrepantes sententias, & vtriq; parti succensent: facta autem reconciliatione, quæ magna ex parte à vestra voluntate pendet, haud dubie agnoscent, se plurimum vobis debere.

Cicero. *Iustissimo bello iniquissima pax anteferenda est.*

Quamobrem cogitate, Lacedæmonios hoc quidem in tempore ex hostibus amicos fieri posse, quorum fidem tum vel maxime perspicietis, cum amicitia magis quã vi eos vestræ Reipublicæ adiungetis, &, quantum in hac re boni insit, attentis animis considerate. Nam, si reliqua Græcia animaduertet, nos honestis rationibus in mutuã gratiã rediisse, sua spõte nobis subdita erit, & vera animi reuerentia & subiectione nos colet & obseruabit. Hoc cum legati dixissent, sperantes fore, vt Athenienses, qui iam pridẽ induciarum cupidi fuissent, pacem vltro à Lacedæmoniis oblatã vtraq; manu amplecterentur; Cleon homo turbulentus & ad sensum vulgi accõmodatus hãc spem cogitationum præscidit. Nam populo persuasit, vt responderet, se nõ facturum esse pacẽ, nisi 400. viri, quorum iã sæpe mẽtio facta est, se totos in potestatem Atheniensiũ traderent, & Lacedæmonij restituerẽt Mniseam, Trisenẽ & Achaiã, q̃ oppida non bello capta ab hostib. sed ab Atheniensib. circũuentis inopinata calamitate in formula fœderis iã pridẽ dedita essent. Hoc responsum pp absurditatẽ legati Laconici silẽtio pterierũt, simul petentes dari sibi arbitros, qui cãm accuratius cognoscerẽt & pacis negotiũ æqualiter transigerẽt. Ibi Cleon nactus occasionẽ calumniandi in pessimã partem legatorũ petitionẽ rapuit: Ex hoc vno, inquit, vel maxime percipi põt, Lacedæmonios omnia ex occulto atq; insidiis agere, q̃ causæ suæ cognitionẽ a populo ad paucos transferre voluerint. Si. n. fraudis inimici essent, profecto lucem popularis iudicij minime defugerent.

Hinc

Hinc perſpicuū eſt, quā vere & venuſte Ariſtophanes hunc pacis turbatorē depinxerit in comœdia, quæ inſcribitur εἰρήνη. Fingit. n. cœtum agricolarū ſtare eo in loco, vbi pax abdita latebat, & conari admotis machinis eam inde extrahere & velut ab orco reuocare. Cum aūt læti ſpe pacis recuperādæ immoderate exultarēt & vociferarentur, Trigæū quendam ſic loquentē facit: Nolite, inquit, πρᾶγμα κάλλιστον διαφθείρειν διὰ τὰ σχήματα, id eſt, bonam rē male agendo corrumpere, & cauere ne veſtros clamores Cerberus ille (ita.n. Cleonē appellat) exaudiēs, hoc præclarū inſtitutum educendi ex latebris dearum optimam impediat. Meminerint aūt ſtudioſi hanc pulcerrimā imaginē, atq; in eam intuētes diſcant odiſſe & exectrari turbulēta cōſilia, quib. animi incitētur, vt paci bellū anteponant, & in mutuas clades furēter ruant: ecōtra amēt & magnifaciant moderata conſilia, q̄ animos diſſidentes capitali odio cōciliant, & obliuionem iniuriarum ſanciunt. Sed ad hiſtoriæ ſeriem redeamus.

Poſt reuerſionē legatorū induciæ ſuū finē & terminū habuerunt & vtrinq; omnia ad bellū inſtaurata ſunt. Cū aūt Athenienſes, qui Pylū pſidio tenebant, inopia rei frumentariæ & aquę penuria cōflictarētur, illiusq; rei fama Athenas allata eſſet, populo ingēs pauor incuſſus eſt, cœpitq; accuſare Cleonē, qui pacis repudiandæ auctor fuerat. Sed Cleō, vt populū offenſum atq; irritatū placaret, nō dubitans cōfirmauit ſe armatum certo numero militū intra dies 20. aut viuos adducturū eſſe 400. Lacedæmonios in inſula Sphacteria, aut ibi ad vnum omnes trucidaturum. Etſi autem hæc promiſſio inanis atq; veridēda omnib. videbatur, cum nemo ignoraret, Cleonē ψα-σύδειλον eſſe: tn̄ re atq; euentu comprobata eſt, iuxta peruulgatum dictum: *Audaces fortuna iuuat*. Nam intra 20. dies 400. viros ſecum adduxit: ea res omniū maxime pręter opinionē accidit in hoc bello. Cæterum in fine huius anni mortuus eſt rex Perſicus Artaxerxes Longimanus, de quo ſupra in exordio lib. 3 plurib. verbis dictum eſt.

De anno octauo.

PRincipio huius anni, hoc eſt, calendis Iunij, ſol obſcuratus eſt, & paulo poſt eodem menſe terra ingenti motu quaſſata eſt. Sed hæc triſtia ſigna non deterrue-

fuerunt Athenienses, quo minus in insulam Cytheram cum sexaginta nauibus impetum facerēt. Est autem Cythera è regione terræ Laconicæ opportuno loco inter duo maria Siculum & Creticum sita, in quam Lacedæmonij colonias deduxerunt, vt haberent aliquid præsidij contra piratas Ægyptios & Libycos. Hanc insulam cum Athenienses vi & impressione hostili cepissent, Asinen & vicina loca septem dierum spacio populati sunt. Inde soluentes ex agro Epidaurio prædam egerunt, hinc rursus ad Thyream se conuerterunt, quæ est in finibus Argolicæ & Laconicæ terræ sita, eamque vi expugnatam incenderunt & direptis ciuium facultatibus Æginetas, qui Thyream incolebant captiuos tanquam in triumpho Athenas duxerunt. Ea res ingentem consternationem Lacedæmonijs attulit, qui metuentes similem vastationem reliquæ terræ Laconicæ, ac ne imparati opprimerentur, passim suis oppidis præsidia imposuerunt.

Eadem æstate Hermocrates Syracusanus in conuentu totius Siciliæ celeberrimo orationem συμβιβαστικὴν habuit, qua Siculis ciuili bello tumultuāribus persuasit, vt obliti priuatarum iniuriarum de communi defensione patriæ cogitarent, & suas copias coniungerent ad depellendos Athenienses, qui Siciliæ insidiabantur. Vsus est autem tribus argumentis, quibus & nos in simili causa vti possumus. Primum argumentum manat ex fonte honestatis. Ego vos natura, non tantum lege cognatos esse iudico. Turpe igitur fuerit, vos tanquam leuissimos ex vulgo inter vos rixari. Alterum argumentum ducitur ab vtilitate concordiæ. Concordia paruæ res crescunt, discordia magnæ dilabuntur. Quare vt præsentem statum & libertatem Siciliæ tueri possitis, consociatione & mutua beneuolentia opus est. Tertium argumentum sumitur a possibili. Non dubium est, quin coniunctis animis & voluntatibus nullo negotio exteros hostes arcere possitis.

Xenophon lib. 1. de rebus Græcis tribuit Hermocrati tres pulcerrimas virtutes, quarum primam vocat ἐπιμέλειαν, alteram φιλανθρωπίαν, tertiam κοινότητα. Has appellationes videtur Seneca expressisse in dicto, quod omni-

omnibus notum est. Philosophia tria præstat hominibus, primo sensum communem, secundo humanitatem, tertio congregationem.

Cæterum hoc anno & sequenti Brasidas Lacedæmonius expeditionem in Thraciam suscepit, & quasdam ciuitates, quæ erant in potestate Atheniensium doctis dolis & facetis fabricis ad defectionem inclinauit, vt verbi causa, Acanthum Andriorum coloniam, Stagiram Aristotelis patriam, Scionem, Amphipolin, Atheniensium coloniam. Nonnullas vi occupauit, vt Toronem & Olynthum, quæ à Potidæa 60. stadiis distat. Vt autē Cleon pacis inimicus fuit, quod metueret, in pace sua scelera minus occultari posse: sic Brasidas suæ vtilitatis causa bellum paci anteposuit. Fuit igitur vterque fax belli, & furia ex inferis emissa ad turbandam Græciam. Sed paulo post ad Amphipolim dimicātes pœnas inquietudinis persoluerunt. Nam Cleon in fuga, à quodam milite Laconico interfectus est. Brasidas ex vulnere, quod pugnās acceperat, mortuus est.

Sub initium hyemis anni 8. Athenienses Delium Apollini sacrum in Bœotia munierunt, quo facilius vniuersam Bœotiam bello vexare possent, sed hanc spem cogitationum & consiliorum inopinatus euentus fefellit. Nam Bœotij ingenti manu collecta Delium obsidione cinxerunt, quod cum vi cepissent, 1000 Athenienses præsidiarios interfecerunt. Hæc clades adeo fregit & debilitauit animos Atheniensium, vt belli fortunam nō amplius tentandam esse existimarent. Augebat etiam hanc opinionem tot ciuitatum in Thracia defectio, de qua paulo ante diximus.

De anno nono.

TOto igitur pectore pacem expetentes, cum nullam bello salutem viderent, Lacedæmonios ad faciendas vnius anni inducias inuitarunt, ad quas Lacedæmonij eo propensiores fuerunt; quod magnam rationem haberent salutis 400. qui tum Athenis captiui tenebantur. Fuit autem hic gustus tranquillitatis adeo gratus & iucundus Atheniensibus, vt passim in conuiuiis

hæ voces sonarent; Vtinam hasta mea iacens iners & ignaua quam diutissime, atque araneorum telis operiatur, & eos, qui in pace somnum capiunt, non tubarum strepitus, sed gallorum excitet cantus.

Cum deinde ingressuri simus in commemorationem plurimorum fœderum, quæ ab anno 10 huius belli vsque ad annum 15. inter Græcos facta sunt, explicanda videtur quæstio, quæ ab omnibus sapientibus agitatur: Quid de fœderibus existimandum sit, & an liceat Christianis inngere cum aliis fœdera. Sed antequam ad huius quæstionis explicationem accedo, pauca de natura, speciebus & causis fœderum dicam.

Fœdus. Est igitur fœdus societas non à natura vel à legibus facta, sed à voluntate instituta, obligans confœderatos ad certorum officiorum communicationem. Vt autem Græci discernunt inter συμμαχίαν & ἐπιμαχίαν: ita Iurisconsulti duas species fœderum recensent, quarum vna vocatur fœdus offensiuum: altera, fœdus defensiuum.

Συμμαχία seu fœdus offensiuum est societas, à qua ab omnibus confœderatis, iidem aut amici aut hostes iudicantur sine disputatione de iure. Ἐπιμαχία seu fœdus defensiuum est societas obligans ad certam speciem, videlicet ad defensionem sociorum, in causa iusta, quæ à legibus approbatur. Si enim causa sociorum iniusta est, ἐπίμαχοι nequaquam deuincti sunt ad iuuandos & tutandos confœderatos.

Causa efficiens omnium fœderum, quæ vrbes vrbibus, reges regibus deuincit, est appetitio conseruationis suæ, cum vnius manus, vt Euripides ait, sit imbecillis pugna. Vt enim rectum est, in via comites contra latrones habere: ita cogitat ratio iustum esse, quam plurimos & firmissimos socios ad pericula propulsanda deuinctos habere. Materia, circa quam fœdera versantur, est voluntas humana, qua nihil est incertius, nihil obscurius, nihil fallacius, iuxta dictum Ciceronis in prima Epist. ad Q. Fratrem. *Multis simulationum inuolucris tegitur vniuscuiusque natura, & quasi quibusdam velis obtenditur frons, vultus, oculi, persæpe mentiuntur, oratio vero sæpissime.* Causa formalis fœderum est ipsa obligatio

tio sociorum inter se cōfirmata iureiurando, & aliis vinculis, quæ hominum iudicio arctissima videntur. Sed nimis verum est, quod Lysander dixit: *Pueri ludunt astragalis, reges iuramentis & fœderibus.* Causæ finales seu effectus sunt vtilitates, quas singuli se ex coniunctione sociorum capturos esse sperant. Alius enim confidit, se tutiorem fore munitum præsidiis confœderatorum: alius sibi potentiam quærit, spe auxilij sociorum. Sed non possunt numero comprehendi vtilitates, quarum vnusquisque mercator est in faciendis fœderibus.

Cognata fœderum sunt pax & induciæ, quæ variis nominibus apud Græcos appellantur. Nam à continendis manibus ἐκεχειρία; ab attollēdis hastarū cuspidibus ἀνακωχή; à libatione σπονδαὶ dicuntur. Item ξύμφασις, id est, compositio & conciliatio partium diffidentium.

Pugnantia. Fœderibus aduersantur sophismata cruenta, quibus eluduntur formulæ fœderum, vt cum Critias Theramini imploranti formulæ auxilium, respondet, formulam loqui de iis, quorum nomina essent in catalogo, se autem iam Theramenis nomen in catalogo delere. Item perfidia sociorum, vt in fabulis vulpes pollicetur leoni, eo se deducturam asinum vbi facile à leone comprehendi posset, vicissim promittit leo, se aliquid de asino capto vulpeculæ impertiri velle. Ibi dum per inuia loca syluarum asinum circumducit vulpes specie societatis, etiam ipsa adhærescit & impeditur. Tum leo vulpeculam prius deuorat, atq; ita asino ociose solus potitur. Hæc methodica explicatio aliquid lucis addit quæstioni, quam initio proposuimus. Nunc in arcem causæ inuadamus, experiamurq;, si possumus, de proposita quæstione rectam, veram, simplicem & vtilem vitæ sententiam in medium afferre.

SIT IGITVR HAEC PRIMA hypotesis.

SIcut Euangelium non abolet nec improbat politicas ordinationes: ita non damnat legitima bella & fœdera. Nam Euangelium non tollit neruos ciuilis societatis, nec interdicit Christianis vsum politicarum

ordinationum, ſed colligit Deo æternam Eccleſiam in genere humano, & accendit in cordibus piorum lucem & agnitionem veram Dei, iuſtitiam & vitam æternam. Pellantur ergo è medio furores Anabaptiſtarum, qui prætextu Euangelij magiſtratus, imperia, legitima bella & fœdera, & alia vincula humanæ ſocietatis conuellunt & labefactant.

Conſtituta hac hypotheſi, deinceps quærendum eſt, quæ fœdera ſint iuſta & legitima, cum multi ſe inconceſſis ſocietatibus implicent. Non difficilis iudicatio eſt, cōſiderato diſcrimine συμμαχίας & ἐπιμαχίας, quod paulo ante expoſui. Cum enim συμμαχία obliget non ſolum ad defenſionem, ſed etiam ad offenſionem innocentum, à quibus nulla iniuria læſi ſumus, nemini dubium eſſe debet, quin fœdera offenſiua ſummo ſtudio, curaque fugienda ſint. Nemo enim ignorat conciones Chriſti & Apoſtol. ſæpe repetitas & inculcatas de officiis dilectionis & vitādis occaſionibus iniuriarū & offenſionum. Quid iam porro indignum magis eſt Chriſtiani hominis perſona, quam beſtiarum more, non oratione & ſapientia controuerſias dirimere, ſed viribus corporis abuti ad explendam cœcam & temerariam cupiditatem. ἐπιμαχία vero conſtituta cum ſociis de vera doctrina conſentiētibus, & manens intra metas neceſſariæ defenſionis, non eſt reprehendēda, cū defenſio ſit iuris naturalis, & legum voce approbetur. Sed hiſtoriæ & quotidiana exempla ſatis oſtendunt, quam rara ſit ſocietas ad hanc formam congruēs. Aut enim blaſphemi cooptantur in ſocietatem, aut non cuſtodiuntur fines, quos ἐπιμαχία habere debet: miſcentur & aliæ peſtes fœderibus, quæ ſua contagione res bonas & ordinatas horribiliter corrumpunt. Nam maxima pars fœderum oritur à diffidentia animorum, quia non cernunt Dei præſentiam, quærunt humana præſidia ſeu conceſſa ſeu inconceſſa. Sic Achas cum diffideret Deo, petit auxilium ab Aſſyriis, cum quidem Deus prohiberet externa auxilia attrahi. Ad hanc diffidentiam accedit ſtulta credulitas, & fiducia humanorum præſidiorum immoderata, quæ confidit ſociorum voluntatibus, tanquam demonſtrationibus immotis, & putat eſſe certa & immutabilia præſidia,

& ſpe

& spe auxilij res magnas & nō necessarias mouet. Quid? quod omnis historia plena est exemplorum, quæ declarant, fœdera esse λυκοφιλίας, in quibus socij à sociis sæpe deseruntur, vt ille in Tragœdia exclamat: φίλων ἔρημος ὦ τάλας ἀπόλλυμαι. De hac vsitata perfidia grauissime apud Sophoclem Oedipus concionatur. O carissime fili Ægei, solus Deus immortalis est, & nunquam senescit: alij vero res omnes suam habent senectam. Nam & terra paulatim fit infirmior, & corpora humana robur & vires amittunt. Quid dicam de fide, quæ mortua est, & de perfidia, quæ vbiq; floret & dominatur? Amor certe, quo se inuicē nō solum priuati amici, sed etiam ciuitates fœderibus deuinctæ complecti debebant, admodum languidus est, & leui momento mutatur. Quæ enim nunc grata & iucunda sunt consociatis, paulo post acerba & ingrata videntur. Est & illa Martialis vox vera, non modo de sodalitiis priuatis, sed multo magis de fœderibus;

Nulli te facias nimis sodalem,
Gaudebis minus & minus dolebis.

Nam hi, qui se arduis fœderibus implicant, sæpenumero nolentes & inuiti rapiuntur in negotia iniusta & perniciosa. Interdum etiam ruina vnius confœderati opprimit reliquam multitudinem sociorum. Denique vsitatissimū est, socios dimicare inter se de diuisione spoliorum, vt quōdam Græca nobilitas cum Meleagro de exuuiis apri Caledonij dimicasse dicitur. Sic Augustus & Antonius domito orbe terrarum & punitis Cæsaris interfectoribus de summa imperij non iudicio, sed armis disceptarūt. Ex his, quæ dixi, perspicuum est, quid de fœderib. existimandū sit. Etsi.n. fœdera per se & suo genere sunt politicæ ordinationes, eamq; ob causam non simpliciter dānanda videntur: tamē cum tot & tam multis personarum vitiis contaminentur, & raro ad normam à legibus præscriptā congruant, haud dubie sapientes, qui consilio Respubl. regunt, eodē modo de faciendis fœderibus, & de susceptatione bellorum iudicabunt. Vt enim iusti & moderati, etsi non improbant aliqua bella; tamē propter mala, quæ bellum comitari solent, pacis auctores sunt: sic illi ipsi non dubitant dissuasores esse fœderū,

quę plus fellis habent q̃ mellis. Ac si tales consiliarij doctrinam fidei tenent, hortatores erunt suis magistratibus, vt primum petant, & expectent à Deo auxilium & defensionem: deinde vtantur mediocribus copiis hominum de vera doctrina consentientium, & Deum cum ipsis rectè inuocantium, & sciant, Deum adesse in acie, & præcipuum ducem & propugnatorem esse. Sed hæc, quæ de fœderibus dixi, fient illustriora consideratis historiis, quæ deinceps exponentur.

De anno 10. & 11.

Quemadmodum bona valetudo gratior est iis, qui ex morbo conualuerunt, quam qui nunquam ægro corpore fuerunt: sic Athenienses & Lacedæmonij carendo didicerũt, quam cara res sit pax, quæ certè, vt Poeta inquit:

——. Est optima rerum,
Quas homini nouisse datum est.

Itaque percepto melleo gustu induciarum vnius anni, omnia consilia huc retulerunt, vt pax diuturna æquis conditionibus constitueretur. Horum consiliorũ principes fuerunt Plistonax, Rex Laconicus, & Nicias Atheniensis. Primum igitur induciæ annorum quinquaginta inter populum Atheniensem & Laconicum factæ sunt, his conditionibus, vt ciuitates iure belli occupatæ suis dominis redderentur, & captiui in veterem libertatem & dignitatem restituerentur. Postea etiam fœdus, quod Græci συμμαχίαν vocant, totidem 50. annorum inter eosdem magna religione iurisiurandi constitutum est. Sed vt omnes res humanæ facilius mutantur, quam muscæ, quantumuis celeriter volantes: ita etiam hoc fœdus annos duntaxat sex, & mẽses 10. durauit, quia neutri integre præstabant, quæ in formula induciarum & fœderis continebantur. Etsi autem Athenienses quadringentos viros Laconicos nobilitate & opibus præstantes in libertatem vindicauerant: tamen Amphipolis à Lacedæmoniis non reddebatur. Hac igitur perfidia sociorum irritati Athenienses Pylum petentibus Lacedæmoniis restituere noluerunt. Cum autem Corinthij

Dictum Simonidis poetæ sapientissimi.

rinthij & reliqui Peloponnesij improbarent fœdus, factum inter Lacedæmonios & Athenienses, & meruerent eorum potentiam, cum Argiuis se coniunxerunt, qui vires integras habebant, propterea quod neutrales in bello Peloponnesiaco inde vsque ab initio fuissent. Etsi autem in formula fœderis inter Athenienses & Lacedæmonios constituti, expresse cautum erat, ne aut hæc aut illa Respubl. sine consensu alterius nouos socios sibi adiungeret: tamen Lacedæmonij clandestinum & singulare fœdus exclusis Atheniesibus cum Bœotiis fecerunt.

De anno 12. & 13.

EA res vehementer offendit Athenienses & suspicionem iam pridem de Lacedæmoniis conceptam in immensum auxit. Hanc occasionem nactus Alcibiades natura ambitiosus & inquietus, & certans æmulatione cum Nicia, quem dolebat sibi à Lacedæmoniis præferri, mirabili arte suorum ciuium animos irritauit. Etenim legatos Argiuorum accersens, vt fœdus cum Atheniensibus facerent, magnopere eis hortator fuit. Hac de re cum Lacedæmonij certiores facti essent, legatos αὐτοκράτορας Athenas miserunt. Qui simulatque in senatum venerunt, omnia se, quæ illis placuissent, facturos polliciti sunt. Veritus igitur Alcibiades, ne populi fauorem talibus promissionibus sibi conciliarent, legatis callide & veteratorie glaucomam ob oculos obiecit. Omnia enim quæ vellent se perfecturum sua intercessione confirmauit, si modo iureiurando præstito polliceantur, se nullam plenæ potestatis in populo mentionem facturos esse. Postquam igitur in concionem venerunt, maxima voce, quæ ab omnibus exaudiri poterat, interrogauit, an αὐτοκράτορες venissent. Id illi cum apertissime negassent, ad senatum conuersus Alcibiades, eiusq; fidem obtestatus hortabatur, legatos quam primum dimitterent, neq; eorū verbis fidem posthæc adhiberent, quos contradictio mendacij conuincere t. Nam antea sermones in vulgus sparserant, se venisse

ἀυ]οκράτορας. Perculsis autem stupore & admiratione legatis, cum eos Nicias excusare non posset, sed ipse quoq; velut attonitus obstupesceret, populus quamprimum accersendos Argiuos, & fœdus cum eis firmandum censebat, idque summo consensu decreturus subito fuerat, nisi concionem ea de re consultantem terræmotus diremisset. Postridie cum populus frequens in concionem venisset, Alcibiades perfecit, vt Argiui à populo in societatem cooptarentur. Factum est igitur fœdus centum annorum inter Athenienses & Argiuos, quod vix cētum dies durauit, vt paulo post dicetur.

De anno 14. & 15.

HOC fœdere offensi Lacedæmonij omnem regni sui conatum in perniciem Argiuorum parantq; meditantur. Et quidem duce Agide cum Argiuis ad Tegeam oppidum Arcadiæ cominus congressi ingenti prælio eos vincunt. Sed paulo post ex hostibus non solum amici, sed etiam confœderati Argiuorum fiunt. Nam fœdus annorum quinquaginta victores & victi inter se constituunt, cuius non minor fuit mobilitas & inconstantia, quā reliquorum, de quibus paulo ante dixi. Vt enim amores leui momento vertuntur, sic confœderatorum beneuolentia infirma & instabilis esse solet. Quamobrem spes nostræ non pendeant à fortunæ bonis, aut hominum coniunctione, sed in Deo defixæ sint, cuius voluntas immutabilis est, & vita immortalis, & potentia nullum cum tempore finem habitura est.

De anno 16.

ETsi autem mihi non est propositum singulas partes amplissimæ historiæ de bello Peloponnesiaco persequi: tamen exemplum pertinaciæ Meliorum & tristem exitum, quem hæc pertinacia habuit, silentio præterire non possum. Si quis enim putat pertinaciam sine mente rem præclaram esse, non recte sentit, vt ille apud Sophoclem grauissime inquit. Melij erant coloni Lacedæmoniorum, nec volebant subiecti esse Atheniensibus, sicut cæteri insulani. Hos imperij sui iugo cum insistere

sistere Athenienses vellent, rem oratione prius quam armis tentandam censuerunt. Itaque missis legatis mediocres conditiones pacis obtulerunt, in quibus nihil petebatur, nisi annuū tributū, quod reliquę Cyclades pendebant & ius societatis. In hac deliberatione regula sequēda fuisset: *Inter duo mala, id quod minus malum est, eligēdum est*. Etsi.n. seruitutē multa incommoda sequūtur: tamen res ostendit in bello aduersus potentiores suscepto plus mali inesse. Sed Melij inepte & intempestiue disputabant, de defensione libertatis à maioribus traditæ, quæ cum impossibilis esset, aut certe periculosa, sine vlla dubitatione pax bello anteponenda fuisset. Cum igitur legati Attici viderent oratione & sapientia nihil effici posse, sed Melios odiose in proposito perstare, ad suos reuersi vim adhibendam esse pertinacibus cōsuluerunt. Huic consilio obtemperātes Athenienses insulam Melum ingenti classe instructa expugnarunt, & omnibus puberibus interfectis impuberes & fœminas in seruitutem redegerunt, & nouam coloniam in Melum deduxerunt. Hic exitus fuit stultæ pertinacię Meliorum, in quem intuentes non solum, quid pulcrum & vtile sit, sed etiam, quid fieri possit inuiolata religione & integro officio, prudenter consideremus.

IN LIBRVM QVARTVM, QVINTVM ET SEXTVM HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

DESCRIPTIO SICILIÆ.

PRINCIPIO Siciliam in potestate habuerũt Cyclopes & Læstrygones, quorum immanitatem Homerus in 9. Odysseæ & Eurip in Cyclope luculenter descripsit. Deinde Sicani ex Hispania huc profecti eam tenuerunt, à quibus Sicania appellata est, cum antea Trinacria à numero promontoriorum, de quibus infra dicam, vocata esset. Postea Siculi coloni Italici pulsis Sicanis, huic insulæ à se occupatæ nomen durabile imposuerunt, Ac trecentos quidem annos in Sicilia imperarunt, antequam Græci colonias in eandem insulam deducerent. Primi vero Chalcidenses ex Eubœa sequentes ductum & auspicia Theoclis Naxum ibi condiderunt. Huius exemplo permotus Archias Corinthius vrbem opulentissimam & potentissimam Syracusas condidit. Habet autem hæc insula figuram triangularem, quam tria promontoria terminãt: Pelorus ad Boream spectans; Lilybæum ad meridiem; Pachynus ad Orientem vergens. Nam Sicilia alluitur ab occasu & Septentrione mari Tyrrheno, à meridie Libyco, ab oriente Adriatico pelago. In Occidentali latere ciuitates insigniores sunt, Panormus & Drepanum: in meridionali latere sunt Lilybæum, distans a Carthagine 1050. stadiis, i.e. 32. milliaribus Germanicis, Heraclea & Agrigentum: in orientali latere eminẽt, Syracusæ, Cathana & Messena. Ciuitates mediterraneæ illustriores sunt, Egesta,

Egesta, Xelinus, Hybla. Ambitus insulæ teste Posidonio continet stadia 4400. hoc est, 137. miliaria Germanica. Siciliæ laudationem ductam à venustate, vtilitate, & dignitate, legant studiosi apud Ciceronem in IV. actione Verrina. Syracusarum luculentam descriptionem in VI. Verrina studiosi assumant. Egestam oppidum in Sicilia ab Ænea fugiente à Troia, atque in hæc loca veniente conditum esse, Cicero ibidem testatur.

DE INSVLIS VICINIS SICILIÆ.

Circa Siciliam vero septem sunt insulæ Æoliæ appellatæ, quod Æolus olim ibi regnauit. Prima est Lipara; sic dicta à Liparo Rege, qui successit Æolo, inter Iram & Siciliam. Altera antea Therasia appellata; nunc Hiera, quia sacra Vulcano est, colle in ea nocturnas fouente flammas. Tertia Strongyle ad exortum Solis vergens, in qua regnauit Æolus, quæ à Lipara liquidiore flamma tantum differt: cuius fumo, quinam flaturi sint venti in triduum prædicere incolæ traduntur. Vnde Æolo ventos paruisse existimatur. Nam si spiraturus est auster, nebulosam circum insulam offundi caliginem aiunt, adeo vt longe Sicilia cerni nequeat. Flante vero Borea primas flammas altius extollit, ac maiores emittit strepitus: Zephyrum autem medium quendam tenere ordinem. Quarta Didyme, id est, gemella, minor quam Lipara. Quinta Ericusa. Sexta Phœnicusa φοίνιξ, id est, palma. Nouissima eademq; minima, Euonymus, id est, sinistra, quoniam è Lipara in Siciliam nauigantibus sinistra maxime offertur.

Hactenus de Sicilia & insulis Siciliæ vicinis pauca ex optimis Geographis, Ptolomeo, Plinio & Strabone repetiui: nunc ipsam belli expositionem accedamus.

Descriptio Siciliæ extat, apud Ptolomæ. lib. 5. cap. 4. Geographiæ. Plin. lib. 3. cap. 8. & 9. Strabo lib. 6. &c.

HISTO-

HISTORIA BELLI SICVLI.

Sapienter Polybius dixit, aliud esse αἴτιον, aliud πρόφασιν. Cùm enim tantæ sint latebrę cordis humani, vt penitus perspici nequeant, non mirum est veras causas, à quibus quasi furiarum tædis ardentibus bella accendunrur, tegi & occultari, & alias magis populares & plausibiles prætexi. Fuit ergo huius belli, de quo nunc disserimus, αἴτιον philargyria, καὶ πολυπραγμοσύνη, quæ impulit Athenienses, vt obliti domesticorum periculorum, instar canis Æsopici, vmbram Siciliæ consectarentur, atque interea carnem amitterent. Est igitur longe difficilimum, vt Isocrates in oratione de pace dixit, non appetere maiora, sed in præsente fortuna suauiter acquiescere. Ac mihi sæpe de causa huius belli cogitanti venit in mentem fabulosæ narrationis de vasculo mellis, quæ alias sæpe recitata est. Nam, vt ille fatuus in fabula, dum inanes & cœcas spes animo agitat, non modo vasculum vna cum melle perdidit, sed etiam stragulum eluere cogitur: sic Athenienses natura inquieti & φιλόνεικοι, incitati ab Alcibiade ad hanc expeditionem suscipiendam non solum de spe sua deiecti sunt, sed & patriam ingenti clade affecerunt. Πρόφασις seu ἀφορμὴ expeditionis Siculæ fuit defensio sociorum Egestanorum, qui cum à vicinis propter quasdam futiles controuersias dissiderent & ab his premerentur, ad populum Atheniensem supplices confugerunt, magnopere petentes auxiliares copias aduersus Selinuntios & horum confœderatos Syracusanos. Hanc occasionem non repudiandam, sed potius vtraque manu amplectendam esse Athenienses iudicarunt, cum sperarent se hoc pulcerrimo prætextu tota Sicilia potiri posse, & hac occupata non defuturos esse neruos ad res maiores in Africa gerendas. Sed hanc stultam cogitationem Tragici euentus fefellerunt. Etenim amissa classe sexaginta millium hominum, vix nuncij acceptæ cladis reuersi sunt in patriam. Qua de re suo loco pluribus verbis dicetur. Etsi autem nimis longum est, integras consiliorum expositiones

tiones huic epitomæ inserere: tamen, si placet, summa sequentes fastigia rerum ex orationibus Niciæ & Alcibiadis, quæ apud Thucydidem extant nuda argumenta breuiter excerpamus. Ac Nicias quidem viri vere boni, qualem nasci difficile est, officio functus, cum potiorem publicæ salutis, quam suæ dignitatis aut vtilitatis rationem haberet, magnopere suis ciuibus auctor fuit, ne hoc bellum minime necessarium susciperent. Contra vero Alcibiades suæ patriæ acerba pestis, propositis ingentibus commodis cœcos & miseros Athenienses ad huius funestissimi belli susceptionem incitauit. Argumenta, quibus vir optimus & patriæ amans Nicias bellum Siculum dissuadens, vsus est, hæc sunt.

Primum: Indignum est sapientis grauitate & cõstantia, relicto certo sectari incertum. Nos in Siciliam proficiscentes relinquimus nostra & sectamur aliena, nec aliter facimus, quam si quis castellum defendens, vrbem prodat. Turpe est igitur nos hæc consilia, quæ nunc agitantur, in animum inducere.

Secundum: Ineptum est appetere aliquid, quod partum tueri nequeas. Nos Siciliã occupatam, propter locorum distantiam tueri & defendere non possumus. Ergo ineptissimum est eam appetere.

Ouid. *Non minor est virtus quam quærere parta tueri.*

Tertium. Nemo potest simul multa agere, & eadem omnia recte. Nos domestico bello implicati sumus, & habemus hostem in foribus non contemnendum. Itaq; non aliud, sed quod nunc instat, agamus, atque in id potius omni cura & cogitatione incumbamus.

Quartum. Honestius est pro suis rebus dimicantem periclitari, quam pro alienis, præsertim in eo casu, vbi non vi, sed sapientia res geri potest. Nos nuper aliquid laxamenti nacti sumus, ac velut ex morbo recreati vix dum pristinas vires recuperauimus. Tutius igitur est pręstatque pro nostris focis, quam pro alienis dimicare, pręsertim cum Egestanorum & Selinuntiorum controuersia alia ratione commodius quam vi & impressione hostili diiudicari possit. Nam quoquo modo res cadit, omnium bellorum, quæ pro aliis suscipiuntur, euentus plus detrimenti, quam emolumenti Rebuspub. afferũt. Si enim res ex animi sententia procedunt, rara est gratitudo

tudo hominum; qui alieno beneficio seruati ac defensi sunt. Sin autem contrarium accidit, redundant sociorum calamitates in capita confœderatorum. Hæc cum ita sint, inquit Nicias, æquum est vos de proposito belli suscipiendi aduersus Siculos desistere.

ARGVMENTA, QVIBVS ALCIBIADES *suam sententiam obtinuit, hæc fuere.*

PRimum. Nihil est, quod expedire tam facile possimus, quā hostes nō cōgruentes moribus & iudiciis, velut talos discolores in fritillo mixtos, opprimere: In Sicilia sunt coloni ex dissitis illuc profecti regionib. qui nec vnius consilio obtemperant, nec amore patriæ suas vrbes defendunt. Ergo non difficile erit Siciliam capere.

Secundum. Sociis debetur defensio ex pacto.
Egestani sunt socij nostræ vrbis.
Ergo omni contentione defendendi sunt.

Tertium. Res Atticæ agendo creuerunt, vt exempla nostrorum maiorum declarant. Quamobrem non gaudeamus inerti atque ignauo ocio, sed aliquid suscipiamus & moliamur, quod militem in officio retineat, & opinionem aliorum de nostra Republ. augeat & confirmet. Hæc fere capita fuerunt consiliorum Niciæ & Alcibiadis. Sed vt solet fieri in omnibus Rebuspub. maior pars vicit meliorem. Cum enim populus Atheniensis sua sponte nouis rebus studeret, leui momento ab Alcibiade impelli potuit ad ea paranda atque meditanda, quæ patriæ pestem perniciemque attulerunt. Factum est igitur populi suffragio decretum de instruenda classe, quanta fieri posset maxima, & summa potestas in tres duces, Niciam, Alcibiadem & Lamachum translata aut certe cum eis communicata est.

De

De anno 17.

SED antequam ad descriptionem belli venio; pauca de portentis, quæ expeditionem Siculam antecesserunt, dicenda videntur. Narrat Thucydides lib. 6 vna nocte omnes statuas Mercuriales capite truncatas esse, quarum aliæ in aditu templorum, aliæ in vestibulis priuatarum ædium collocatæ fuerant, nec auctores illius truncationis sciri potuisse: etiamsi præmia ingentia proditoribus publice proposita essent. Hæc truncatio haud dubie significabat inanes spes consiliorum & cogitationum de occupanda Sicilia. Fuit præterea in Delphis statua Palladis aurea, quam ex spoliis Persarum Athenienses Apollini dicauerant, eaque imposita erat palmæ æneæ, cuius fructus aureos corui partim vorarunt, partim de arbore deiicerunt. Cum autem palma victoriæ symbolum sit, facile ex hac re vel mediocriter doctus ratiocinari potuit, Athenienses nullum victoriæ fructum percepturos esse. Et quoniam oraculum iusserat accersi sacrificulam Mineruæ ex Clazomenis, quæ Hesichia appellabatur, nemini dubium esse debuit, quin pax optima rerum, bello non necessario anteponenda esset. Quid quod sub ipsum tempus expeditionis feminæ Atticæ Adonia celebrarunt, in quibus luctus quispiam funebris repræsentabatur? Ea res pluribus inauspicata visa est, cũ tanti exercitus discessus in Adonia, id est, lugubre festum incidisset. Ad hæc portenta accesserunt sapientissimorum hominum, Metonis & Socratis sermones, quibus si vrbs Attica obtemperasset, nequaquam à Siculis tanta clade affecta fuisset. Nam Meton astrologus cum noctu suam domum inflammasset, mane in concionem venit magnopere petens a ciuibus, vt filio propter hesternum incendium militiæ vacationem concederent. Socrates vero non obscure dixit, hanc expeditionem patriæ exitialem fore. Sed rebus his omnibus Athenienses non potuerunt de proposito deduci.

Suscepta est igitur expeditio infausta Olympiade 87. vt Aristophanes scribit in argumento Medeæ Euripidis,

dis, hoc est, 94. annis ante Alexandri initium, qui natus est Olympiade 111. Etsi autem classis Attica ex nauibus centum & quadraginta constaret: tamē magis ad ostentationem opulentiæ, quam ad sustinendum hostilem impetum comparata erat. Quamobrem exitus principio consentaneus fuit, vt infra suo loco dicetur. Cum autem classis Attica portum Corcyræum teneret, fama in Siciliam allata est, quæ nuntiauit Athenienses prætextu societatis Egestanorum vniuersæ Siciliæ, inprimisque vrbi Syracusanæ pestem perniciemq; afferre. De hac fama disceptantes fuerunt summorum gubernatorum in Sicilia sententiæ. Etenim Hermocrates, cui Thucydides tribuit politicam sapientiam coniunctam cum rei militaris experientia & fortitudine, non dubitans confirmauit famam congruere cum rebus ipsis, nec Atticæ vrbi quicquam aliud deliberatum esse, quam Siciliam domitam imperij insistere iugo, eam ob causam suis ciuibus hortator fuit, vt patriam præclare aduersus impetum Atheniensium ornarent & accessionem socialium copiarum vrbanis augerent. Contra vero Athenagoras omnes neruos contendit, vt persuaderet, famam longe à re ipsa & veritate distare, nec Siciliæ inanem pauorem incutiendum esse, sed potius cauendas esse insidias eorū, qui sibi doctis dolis & facetis fabricis potentiam quærerent. Sed huic calumniosę orationi vnus ex ducibus belli grauem sententiam opposuit: *Boni viri est adeo calumnias fugere & reformidare, vt nec ipse eas dicat, nec ab aliis dictas audiat.*

Reiecta igitur ac repudiata vellicatione & calumnia, in id potius omni cura & cogitatione incumbamus, vt nostra ciuitas prope munita hostium conatus ex alto despicere possit. Si enim fama veritatis nuncia est, vt Hermocrates dixit, danda erit opera, ne Athenienses de improuiso nos opprimant. Sin autem fama per auras irrita volat, quid est, quod magis ornet nostrā Rempub. quam prouidentia & diligens procuratio earum rerum quæ ad bellum gerendum pertinent? Cum sapientis sit in pace cogitare de bello. In hac sapientia Syracusani *Nota.* acquieuerunt, & ducibus mandata dederunt, vt delectū militum haberent, & in omnes occasiones rerum gerendarum

darum intenti essent. Interea dum omnia Syracusis ad bellum parantur, classis Attica in portum regium prouehitur, cui tres naues Egestanæ occurrerunt 30. talenta afferentes, nec quicquam præterea numeratæ pecuniæ apud Egestanos repositum esse affirmantes. Hoc nuncio accepto duces Attici intellexerunt verba sibi iam pridem data & fumos ab Egestanis venditos esse. Itaq; Nicias, qui inuitus ad hoc bellum pertractus fuerat, censet, controuersiam Selinuntiorum & Egestanorum primo quoque tempore dirimendam ac postea exercitum domum reducendum esse, ne propter homines leues & perfidos patria in discrimen adducatur. Zamachus vero huius consilij auctor est, vt ante omnia vrbs Syracusana obsidione cingatur, qua domita, ait, non difficilem fore reliquam Siciliæ occupationem. Alcibiades exercitui hortator est, ne infectis rebus domum redeat, sed prius Siciliam circumnauiget, & partim vi, partim suadendo socios Syracusanorum ad defectionem inducat, quo facilius Syracusani a sociis deserti in ordinem cogi possint. Aristophanes de Alcibiade: Ποθεῖ μέν, ἐχθαίρει δέ. βούλεται δ' ἔχειν. Ἔτι δὲ μᾶλλον τῇ ὑπονοίᾳ πιέζων Μάλιστα μὲν λέοντα μὴ ἐν πόλει τρέφειν. ἢν δὲ ἐκτρέφει, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν.

Thucydides libr. 6. de Hermocrate.

Ἀνὴρ καὶ ἐς τὰ ἄλλα ξύνεσιν οὐδενὸς λειπόμενος, καὶ κατὰ τὸν πόλεμον ἐμπειρίᾳ τε ἱκανὸς γενόμενος, καὶ ἀνδρείᾳ ἐπιφανής.

Idem lib. 6.

Διαβολὰς μὲν οὖν σῶφρον οὔτε λέγειν τινὰς ἐς ἀλλήλους, οὔτε τοὺς ἀκούοντας ἀποδέχεσθαι.

Hanc deliberationem interturbat nauis Salaminia, quæ a populo Atheniensi missa erat ad Alcibiadem ex Sicilia domum reuocandum. Nam Dioclidas & Teuces calumniis Alcibiadem deformauerant, & causam violationis statuarum Mercurij in eum contulerant.

His calumniis, quasi quibusdam ventis populus

Alcibiades fuit magno ingenio præditus, sed vnum ei

defuit, quod eloquentia, sagacitate, fortitudine non est vsus ad res vtiles, necessarias & salutares patriæ.

Mătuanus. Aut te ardenter amat aut te capitaliter odit Femina: sic etiă populus Atheniensis cum Alcibiade modo consentit, modo ab eodem dissentit.

concitatus Alcibiadem ex cursu rerum gerendarum in iudicium vocat. Ex quo perspicuũm est quàm vere Aristophanes ingenium populi Atheniensis descripserit, inquiens: Desiderat populus Alcibiadem atque odit, & habere rursus hominem cupit, ampliusq; suspicione grauans. Leonem in Repub. nutrire non decet, aut si nutriatur, eius deinde libidini seruiendum est. Porro cum ad Thurios in Italia venisset Alcibiades, præcepto illi veteri obtemperauit: *Si potes fugere, ne quaras iudicem.* Etenim fuga diem iudicij elusit, & interrogatus, cur patriæ diffideret, respondit: Se candide sentire de patria, sed vitam suam ne matris quidem iudicio subiecturum esse, cum fieri posset, vt calculum nigrum pro candido in vrnam coniiceret. Postea cum accepisset fama & auditione se iudicum sententia morte mulctatum. Ego vero, inquit, re atque euentu ostendam, me superstitem esse. Ac primum quidem ex Thuriis in Peloponnesum fugiens apud Argiuos aliquandiu latuit: Deinde à Lacedæmoniis impetrata publica fide, Spartam se contulit, omnemque suam vim in patriæ perniciem contulit.

Primum enim cunctantes Lacedæmonios incitauit, vt ducem Gylippum in Siciliam mitterent ad frangendam Atheniensium potentiãm. Deinde iisdem hortator fuit, vt bellum Peloponnesiacum renouarent. Postremo vt Deceleam, quæ ab vrbe Attica 4. milliaribus & totidem à Thebis distat, præclare munirent. Sed nunc ad historiæ seriem reuertamur. Post discessum Alcibiadis Nicias feliciter cum Syracusanis dimicauit: Nam ducentis & sexaginta hostibus trucidatis ac reliquis in fugam versis non plures quinquaginta in exercitu Attico desiderati sunt.

De anno 18.

INitio huius anni Athenienses in Siciliam miserunt 250. equites, qui cum equitatu Syracusano velitatione congressi trophæum victoriæ monumentum statuerunt. Sed in alia quadam pugna Lamachus fortiter dimicans pulcram petiuit per vulnera mortem.

mortem. Hoc duce mortuo summa imperij ad Niciam translata est, qui in rebus secundis factus negligentior, & fortunæ fauore elatus aduentum Gylippi contemsit, quem mediocribus copiis à Sicilia arcere poterat. Cum igitur Gylippus in Siciliam venisset, misit præconem ad exercitum Niciæ deferentem ei conditiones pacis, si intra dies quinque Sicilia excederet. Tantum vero abfuit, vt pacem vltro oblatam amplecterentur, vt etiam in præcone irridendo omnem salem consumerent. Hæc securitas Atheniensium magis etiam confirmata est felicitate primæ congressionis cum Gylippo, in qua non pauci Syracusani interfecti sunt. Postridie cum Gylippus in concionem milites vocasset, ingenue & aperte confessus est prioris diei erratum sua, non militum culpa accidisse, propterea quod non recte aciem instruxisset: nunc autem se operam daturum, vt copiis maiore iudicio & momento dispositis atque dispensatis hesternum errorem emendaret. Hanc spem cogitationum & consiliorum, res atque euentus paulo post comprobauit. Nam victoria secundi prælij penes Gylippum & Syracusanos fuit. Itaque non de nihilo dictum est, *Anceps mars & dubia fortuna belli.* Et Iulius Cæsar optimus bellator dixit: *Errat, qui in bello omnes secundos rerum euentus expectat.* Nicias autem cum videret, omnia Atheniensium in peius ruere & retro sublapsa referri, scribit epistolam ad populum Atheniensem, in qua post commemorationem rerum à se gestarum petit, vt vel satis magna supplementa exercitus in Siciliam mittant; vel se propter dolores renum ex calculo ortos imperio abdicent. His literis lectis populus Atheniensis duos collegas Demosthenem & Eurymedontem Niciæ adiungendos censuit, & hos in Siciliam cum nouis copijs equitum & peditum primo quoque tempore ablegandos decreuit. Cæterum Lacedæmonij sub finem huius anni prætextu iuris bellum in Græcia sopitum renouare & Deceleam, hortante Alcibiade, munire cœperunt. Vt enim superioribus annis se infelices fuisse propter violatas inducias in oppugnatione Platæarum iudicabant: sic persuasum habebant, se deinceps maiore felicitate bellum gesturos

Virg.
Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ.
Et seruare modum rebus plerumque secundis.

esse cum Atheniensibus, qui inducias 50. annorum variis ac diuersis modis violassent, ex quo perspicuũ est, quam vere poeta dixerit:

Quemq; sua rapiunt scelerata in prælia causa.

De anno 19.

NEque vero vlla res magis afflixit vrbem Atticam, quam Deceleæ munitio & assidua præsidiorum, quæ in eam imposita fuerant, excursio. Nihil enim terrestri itinere ex Eubœa in vrbem importari poterat, sed necesse erat ad declinandam hostium vim maximo sumtu commeatus per mare aduehi. Ad hæc ouium greges & armenta ab hostibus ex agro Attico abigebantur, & multæ fiebant mancipiorum transitiones in hostium castra. Denique vrbs implicata duobus bellis, domestico & externo adeo exhauriebatur, vt millibus & trecentis militibus, quos Demosthenes ex Thracia secum adduxerat, stipendium dare non posset, sed cogeretur eos dimittere, qui cum Mycalessum irruptione inopinata cepissent, tantam crudelitatem exercuerunt, quantam vix queo dicere. Nam & priuatas domos & templa spoliarunt, & omnes sine discrimine vel ætatis vel sexus crudelissime trucidarunt: &, quod maxime dolendum est, irruentes in ludum literarium, vbi frequens discentium puerorum multitudo conuenerat, ad vnum oẽs plusquam barbarica immanitate iugularũt. Sed hos parricidas equitatu suo Thebani persequentes 250. ex eo numero, priusquam in naues descenderent, interfecerũt. Hanc tragicam calamitatem Mycalessi cum legimus, toto pectore expauescamus cogitatione humanæ infirmitatis, quæ noctes & dies tot tantisque periculis proposita est, & Deo gratias agamus, quòd custodes angelos nobis addidit, & Diabolum horribiliter grassantem reprimit, nec finit eum vtique similem vastitatem efficere. Sed redeo ad historiam belli Siculi. Demosthenes & Eurymedon cum classe 73. nauium optime parata armataque in Siciliam nauigantes, prima specie ingentem pauorem Syracusanis incusserunt, cogitantibus infinitam esse potentiam Atticam, quæ priores copias tanta ac-

cessione augeret. Hoc metu perculsos Syracusanos Demosthenes subito opprimendos esse censuit, nec vtendum pristina illa cunctatione, qua Nicias vsus fuisset, non sine insigni detrimento exercitus. Etsi autem verum est, quod Alexander Magnus dixit, *Bella constare celeritate*: tamen non laudanda est inconsulta festinatio, sed illud potius sequendum est.

Differ: habent parua commoda magna mora.

Etenim Demosthenes, re nondum satis deliberata impetum faciens in vrbem Syracusas, fortiter ab hostibus repulsus multos suorum militum desiderauit. Post hanc cladem, cum videret exercitum morbo & aliis difficultatibus conflictari, magnopere collegis hortator fuit, vt classem posthabita Sicilia domum reducerent, eamque rem suis ciuibus, non modo pergratam sed etiam necessariam & salutarem fore non dubitans confirmauit. Nicias vero, etsi reliquum vitæ cursum ad eam normam direxerat, vt merito vir bonus iudicaretur: tamen hoc loco metu priuati periculi publicam salutem in discrimen adduxit. Dixit enim, se ciuium suorum iracundiam magis reformidare, quam hostium impressionem, eamque ob causam, si quid periculi adeundum sit, malle se hostium manu, quam ciuium iudicio interire. Dum igitur exercitus diuersis ducum sententiis in contraria studia scinditur, noctu luna deficit, ac prænuncia est illius cladis miserrimæ, quæ paulo post consecuta est, Huius eclipseos conspectus, cui omen inesse videbatur, magis etiam quam Niciæ oratio, discessum ex Sicilia retardauit. Syracusani vero animaduertentes hostium cōsilia de discessione, omnes copias nauales & terrestres in aciem eduxerunt, dimicaturi postremo prælio cum Atheniensibus. Ac fuit hoc prælium, in quo omnis potentia Attica concidit, adeo funestum & atrox, vt non modo actoribus ipsis, sed etiam spectatoribus lugendum & miserabile videretur. Etenim clade ingenti accepta Nicias & Demosthenes communi consilio abitum ex Sicilia parantes, cum adhuc reliquas haberent quatuor myriades, multos suorum militum, non modo insepultos, sed etiam ægros & saucios relinquere coacti sunt. Ea res ita consternatum reddidit exercitum, vt, quid facto

opus esset, dubitarent. Cum autem 8. dies in fuga consumsissent, tandem 27. die Iulij a Siculis circumuenti, in tantas miserias inciderunt, vt nemo earum magnitudinem satis deplorare possit. Nam Demosthenes & Nicias 303. interfectis viui in potestatem Gylippi & Syracusanorum venerunt, & reliqua multitudo, quæ erat 7000. in fodinas lapidum coniecta est, vbi præter sordes innumerabiles etiam demenso exiguo vexati sunt, cum singuli quotidie non plus commeatuum, quam vnam cotulam aquæ, & duas cotulas farinæ acciperent.

Etsi autem discrepantes sint narrationes de morte ducum Atticorum: tamen nos Plutarchi narrationem probamus, qui inquit, Niciam & Demosthenem sua manu sibi necem consciuisse. Est & illud memoria dignum, quod idem auctor scribit, quosdam captiuos, qui aliquot versus Euripidis memoriter recitare poterant, mitius à Siculis tractatos & aliquot manumissos esse, qui cum nuncij cladis domum reuersi essent, Euripidi tanquam salutis suæ auctori magnas gratias egerunt. Hic exitus fuit belli non necessarij, cuius consideratio omnes homines permouere debet, vt tantum agant necessaria, & à Deo petant felices successus, iuxta præceptum Psal. 37. *Subditus esto Deo & ora eum & ipse faciet.*

Isocrates. *Omnium bellorum exitus demum congruūt cum iustitia.*

Nunc de iis dicam, quæ secuta sunt cladem Siculam. Post cladem in Sicilia acceptam Athenienses in maxima consternatione fuerunt, nec tantum de libertate, sed etiā de salute desperarunt. Hostes vero magnas spes ex calamitate vrbis Atticæ conceperunt, & in eam, velut in inclinatum parietem, incubuerunt. Ad hæc accessit perfidia sociorum, qui se ad latus nauis felicius inflexerunt. Etenim Chij, Lesbij & Eubœenses ab Atheniensibus defecerunt, & cum Lacedæmoniis fidem fœdusque iunxerunt.

De anno 20.

Thuc. lib. 8. HOC anno qui congruit cum 13. anno gubernationis Darij Nothi, sexti regis Persarum, Alcibiades naui-

nauigans in Asiam omnes fere tributarias ciuitates Atheniensium ad defectionem incitauit, & Tissaphernem præfectum Ioniæ & Lydiæ impulit ad societatem cum Lacedæmoniis constituendam. Fuit enim ingenium Alcibiadis simile chamæleonti induenti varias formas, aut polypo, qui *Chamæleon omnes colores induit præter album.*

——. Protinus illa,

Se quibus admorit, saxa referre potest.

Cum autem intelligeret, se Lacedæmoniis propter ingenij mobilitatem suspectum esse, mirabili arte ciuium suorum animos præparans & occupans reditum sibi in patriam patefecit. Nam ducibus Atticis, qui tunc in Samo erant persuasit fore, vt regem Darium amicum haberent, si a populo ad optimates Rempub. transferrent. His præstigiis cum reliquorum oculos fascinasset, solus Phrynichus consilij Alcibiadei calliditatem perspexit, & quod res erat, cogitauit, Alcibiadem non hoc agere, vt patriæ consuleret, sed vt præsenti statu perturbato & ciuibus inter se grassantibus ab altera parte tanquam dux accerseretur. Quamobrem vt conatibus Alcibiadis obuiam iret, misit epistolam ad Astyochum ducẽ Laconicum, in qua machinationes Alcibiadis ante oculos exposuit, eiq; hortator fuit, vt hũc Vertumnum inflectẽntem se subinde ad aliam partem vinculis constrictum teneret. Is acceptam epistolam Tissapherni reddidit, apud quem auctoritate & gratia valebat Alcibiades. Sed hic veterator eludens Phrynichi literas præsente Tissapherne, paulo post legatos in Samum misit, qui Phrynichum proditionis accusarent. Ibi Phrynichus cum sibi insidias strui à collegis animaduerteret, metu priuati periculi totam Rempublicam in discrimen adduxit. Etenim Astyocho se totam classem Atheniensium vna cum exercitu traditurum pomisit, si statuto tempore cum nauibus adesset. De huius proditoris pœna memorabilis est narratio Lycurgi cõtra Leocratem. Cum Phrynichus noctu ad fontem in salicto ab Apollodoro & Thrasybulo interfectus esset, & hi à Phrynichi amicis eom prehẽsi essent, populus intellecta re liberauit captos, & inquisitione facta cõperit, Phrynichũ fuisse vrbis proditorẽ, & ipsius interfectores iniuste in vincula coniectos fuisse,

Decretum igitur factum est, censente Critia, vt Phrynichus mortuus accusaretur læsæ maiestatis, & si pronunciaretur, fuisse proditorem, sepulcro effosso extra Atticam terram eius ossa exportarentur, & honore sepulcri in ea terra & ciuitate, quam proditurus fuit, careret. Decretum etiam factum est, vt damnato mortuo illi, qui eum defenderent, eadem pœna tenerentur, & paulo post addidit Lycurgus: Illi proditoris ossa ex monumentis eruta ex Attica exterminarunt. Defensores vero eius Aristarchum & Alexidem interfecerunt, nec sepulcrum eis in Attica concesserunt. Eodem anno legati ex Samo Athenas missi sunt, qui ad populum de consilio Alcibiadis & de mutatione præsentis status referrent. Cum autem populus omnem huius rei mentionem acerrime odisset maximeque detestaretur, Pisander vnus ex numero legatorum plausibili oratione vsus est: Non, inquit, iam tempus est disputandi de forma Reipub. sed potius de iis rationibus deliberandum est, quibus salus patriæ maxime continetur. Neque vero alia ratione salutem patriæ tueri possumus, quam si à populo summam potestatem ad paucos quosdam gubernatores transferamus & Alcibiadem reuocemus, qui regis Persici amicitiam nobis conciliet. Quod si in statu ὀλιγαρχικῷ aliquid desiderabitis, semper vobis integrum erit mutare ea, quæ displicent: nunc autem in præsentem occasionem inflectite formam gubernationis. Hac oratione audita populus inter spem & metum constitutus non repugnauit Pisandro, sed decretum fecit, vt vna cum decemuiris ad Tissaphernem & Alcibiadem proficisceretur & patriæ rectissime consuleret.

De anno 21.

ETsi autem ante constitutionem noui status suffragiis populi senatus creabatur: tamen nulla sententia dicebatur, quæ coniuratis displiceret, imo etiam hi, qui sententias dicebant, erant ex numero coniuratorum, & suæ factionis præiudicio alios premebant: Itaq; nemo contradicere audebat, cum singuli metuerent potentiam coniuratorum. Quod si quis ea constantia & inte-

integritate erat, vt contradiceret, statim ex insidiis interficiebatur. Harum cædium auctores nec inquirebātur, nec puniebantur, etiamsi comprehensi essent, sed populus consternatus quiescebat, & vnusquisque in lucro deputabat, si taciturnitate vim coniuratorum effugeret. Et quoniam numerus eorum, qui nouis rebus studebant, certo sciri non poterat, cum propter vrbis magnitudinem, tum propter incolarum copiam & varietatem: nemo apud alium lamentari audebat, sed suspiciose inter se colloquebantur metuentes, illos esse socios coniurationis, cum quibus libenter communicassent cogitationes. Erant enim socij huius factionis, quos nemo iudicasset, ad ὀλιγαρχίαν propensos esse. Ea res valde auxit diffidentiam in populo & plurimum momenti contulit ad securitatem paucorum. His motibus agitata Respubl. Atheniensis in statum Oligarchicum mutata est. Habuit autem Pisander 3. socios in hoc statu constituendo præstantes ingeniis & eloquētia; Antiphontem, Phrynichum & Theramenem, qui omnes inutilibus cōtentionibus fracti ad extremum vt passerculi perierunt. Nam Antipho, vt ait Thucydides, nulli cedebat, cum in rebus prudenter excogitandis, tum eisdem diserte pronunciandis. Etsi autem non solebat in concionem venire, cum populo suspectus esset propter opinionem eloquentiæ: tamen litigantes in foro priuatis consiliis plurimum iuuabat. Postea cum à populo dissolutus esset status quadringentorum, & ipse accusaretur læsæ maiestatis, quod illum statum constituisset, sapientissima oratione deprecatus est pœnam capitalem, & pulsus patria apud Dionysium in Sicilia exulauit, à quo interrogatus, vbi nam essent optimi statuarij, respondit venustissime, Athenis esse optimos, qui fabricassent statuas Harmodij & Aristogitonis. Hæc vox rediit Antiphonti periugulum. Postquam enim tyrannus intellexit dicti acumen, quo significabatur, interfectores tyrannorum dignos esse, quibus statuæ locarentur, Antiphontem è medio tolli curauit, cum quidem ei parcere propter ingenij & eloquentiæ Nestoream suauitatem debuisset. Extant reliquiæ orationum Antiphontis, ex quibus apparet, orationem ipsius fuisse simplicissimam. Etenim

 simpli-

ſimpliciſſima ſpecie dicuntur, quæ callidiſſime dicūtur. Phrynichus vero, cuius ſupra mentionem fecimus, metu Alcibiadis omnium maxime propenſus erat ad Oligarchiam. Notat enim, Alcibiadem conſcium eſſe eorum, quæ ipſe cum Aſtyocho per epiſtolas communicaſſet, & vt erat conſentaneum, ſperabat nunquam rediturū Alcibiadem manēte Oligarchia. Poſtremo huius mutationis præcipuus architectus fuit Theramenes, quē comici poetæ cothurnū appella: Quanquā. n. acerrimus erat in nouis rebus excogitandis: tamen in eodem ſtatu manere nō poterat, vt de ipſo veriſſime pronūciauit Lyſias. Hic Theramenes poſt captas Athenas fuit vnus ex 30. tyrannis, quē Critias interfecit, vt alibi dicemus. Iam cogitet lector, quanta miſeria ſit, homines ingeniis præſtātes frangi, aut inutilibus aut pernicioſis certaminibus, vt Siſyphus apud inferos ſaxum aduerſus montem agere dicitur. Sed redeo ad ſeriem hiſtoriæ. Interea dum Athenis Respub. mutatur, Thraſybulus & reliqui duces in Samo, reuocant Alcibiadem & ab eo magnopere petunt, vt ducat exercitum contra quadringentos. Huic petitioni ſi Alcibiades morem geſſiſſet, vno momento res Atticæ periiſſent. Nam & hoſtes Ionia & Helleſponto potiti eſſent, & in patria funeſtiſſimum luctuoſiſſimumque bellum excitiſſet. Quod ne accideret, Alcibiades perfecit, non modo vniuerſum exercitum placans, ſed etiam vnumquemque militem demulcens rogansque, ne, dum paucorū tyrannidi ſtudent, eodē conatu totum corpus ciuitatis euertant. Nec multo poſt Alcibiades claſſem centum & quinquaginta nauiū, quæ à Perſarum rege ad augendam Laconicam potentiam inſtructa erat, calliditate ſua cohibuit, ne vlterius progrederetur. Hæc duo facta Alcibiadis patriæ ſalutaria fuerunt, & ab Iſocrate in oratione περὶ ζεύγους, iure ac merito laudantur. Etſi enim maxima pars rerum geſtarum Alcibiadis nocuit ipſi & patriæ: tamen hac in parte laudandus eſt, quod commoda patriæ ſibi prima putarit. Cæterum & ſtatus quadringentorum, cum paucos menſes duraſſet, à populo diſſolutus eſt, & ab eodē decretum de reuocando Alcibiade factum eſt.

In fine huius anni Mindarus ſucceſſor Aſtyochi offenſus

ſus perfidia Tiſſaphernis ad Pharnabazum præfectum Helleſponti, à quo accerſitus fuerat, cum vniuerſa claſſe Lacedæmoniorum nauigauit. Hunc ducem Laconicum prope Abydum commorantem claſſis Attica nauali prœlio vicit, in quo 30. hoſtium naues captæ, & multæ, quas ante Athenienſes amiſerant, recuperatæ ſunt. Ex quo perſpicuum eſt, quam vere Sibylla de fortuna vrbis Atticæ dixerit: *Finis hiſtoriæ Thucydidea.*

Ἀσκὸς βαπτίζῃ, δῦναι δέ τοι οὐ θέμις ἐστί.

De anno 22.

HOC anno, quem Xenophon confert cum initio Olympiadis 93. Thraſyllus dux optime meritus, qui poſtea ab ingratis ciuibus interfectus eſt, coniunctis copiis cum Alcibiade, Pharnabazi exercitum ad Chalcedonem profligauit, & patriam proſtratam ac pene funditus deletam, iterum aliquot victoriis erexit. *Initium hiſtoriæ Xenophontis.*

De anno 23.

SEquenti anno Athenienſes Byzantiũ obſidione cinxerunt. Cum autem ciues fame perirent, Anaxilaus deditionẽ fecit, & poſtea proditionis accuſatus grauem & eruditã apologiam accuſatoribus oppoſuit. Cum Byzantius, inquit, non Lacedæmonius eſſem, & patriam meam non Spartam terra marique obſeſſam videre, cernerem que præterea omni frumento, quod reperiebatur in vrbe, à Bœotiis & Peloponneſiis conſumto, reliquam multitudinem fame perire, ſuccurrendum Byzantiorum liberis & vxoribus duxi. Itaque non hoſtibus ciuitatem prodidi, ſed ab hoſtium cæde, incendio ac omnibus malis, quæ victi a victoribus perpeti ſolent, patriam liberaui, optimatum Laconicorum ſecutus exemplum, quibus ſemper maximæ curæ fuit, quacunque ratione patriam ſeruare. Denique cum hoſtibus quamdiu licuit bellum geſſi, at cum natura bellum gerere nec debui nec potui.

De anno 24.

HIC annus insignis est reditu Alcibiadis, quem Iustinus satis luculente descripsit. Rediit autem Alcibiades quasi iure postliminij in patriam, die 25. Aprilis, quo celebrabatur Athenis festum, nuncupatum πλυντήρια. Eo die nulla res magna more instituto que maiorum ab Atheniensibus suscipiebatur. Itaque omen habere tempus reuersionis videbatur, & significare varietatem & inconstantiam fortunæ Alcibiadis. Nam paulo post animi ciuium ab eo abalienati sunt, propter cladem, quam Antiochus præfectus classis Atticæ acceperat. Etsi enim Alcibiades, profecturus in Cariam ad pecuniam colligendam, magnopere interdixerat, ne Astyochus se absente dimicaret: tamen is cum nimium cōfideret rei naualis scientiæ, Lysandrum ad pugnam euocauit, & cladem, de qua dixi, accepit. Huius cladis fama adeo offendit animos ciuium, vt Alcibiadem imperio abdicarent, & in eius locum Cononem, & alios quosdam duces crearent. Alcibiades vero intelligens, se suis ciuibus inuisum esse, secessit in Chersonesum Thraciæ, vbi quandam arcem habebat, & in ocio aliquandiu vixit.

De anno 25.

HIstoria Callicratidæ, qui Lysandro successit, optimis verbis à Cicerone in 1. officiorum recitatur, & ad locum communem transfertur, quod priuata opinio non sit anteponenda publicæ saluti. Inuenti autem multi sunt, qui non modo pecuniam, sed vitam etiam profundere pro patria parati essent: iidem gloriæ iacturam ne minimam quidem facere vellent, ne Republ. quidem postulante; vt Callicratidas, qui cum Lacedæmoniorum dux esset Peloponnesiaco bello, multaque fecisset egregie, euertit ad extremum omnia, cum consilio non paruit eorum, qui classem ab Arginusis remouendam, nec cum Atheniensibus dimicandum putabāt. Quibus ille respondit, Lacedæmonios classe illa amissa alia parare posse, fugere sine suo dedecore non posse. Atque hæc quidem Lacedæmonis plaga mediocris fuit; illa pesti-

pestifera, qua, cum Cleombrotus inuidiam timens temere cum Epaminonda conflixisset, Lacedæmoniorum opes corruerunt. Quanto Quintus Fabius Maximus melius, de quo Ennius:

Vnus homo nobis cunctando restituit rem,
Non ponebat enim rumores ante salutem.

Post hanc cladem, qua Lacedæmonij 70. naues & magnam multitudinem militum amiserunt, tres sententiæ a ducibus Atticis propositæ fuere. Vna vt tota classis victrix opitularetur naufragis. Altera vt tota classis iret ad liberandam Mitylenem obsidione. Tertia, vt diuideretur classis, & alij opem ferrent naufragis, alij reprimerēt exercitum hostilem, qui duce Oeteonico Mitylenem obsidebat. Huius postremæ sententiæ auctor erat Thrasyllus, cui quidem reliqui duces obtemperassent, nisi tempestas subito orta eos retinuisset in statione. Etsi autem affectate omiserant, quod ad salutem patriæ pertinebat: tamen domi à Theramene accusati sunt, quod non recepissent naufragos, nec hostes fugientes persequuti essent. Eam ob rem imperio abdicati & in iudiciū vocati sunt, in quo Socrates philosophica constántia nō approbauit iniustam horum ducum condemnationem, & aperte dixit, se nihil contra leges facturum esse. Ad hęc Euriptolemus æqua & honesta oratione populum hortatus est, ne aliquid statuerent in duces optime meritos, quod postea improbaturi essent, & acerrime contendit, vt iuxta ordinem legum causa cognosceretur: Sed populus ingratus, neglecta iuris æquabilitate, sæuiit in duces optimę meritos, vt plerumque pro summis beneficiis talis gratia rependi solet. Hoc exemplum nos monet, vt cogitemus ingratitudinem communem morbum generis humani, & vt propter Deum recte faciamus, etiamsi non respondent nostris meritis hominum studia & voluntates.

De anno 26.

HIC annus nihil memorabile continet, nisi profectionem Cyri Iunioris ad patrem Darium. Cum enim Cyrus consobrinos natos ex sorore patris

propter

propter futilem suspicionem interfecisset, quod eũ non ligatis manibus salutassent, vt mos erat Reges Persicos salutari, reuocatus est à patre Babylonem prætextu valetudinis, & in vincula coniectus est, sed matris intercessione perfectum est, vt vinculis solutus in prouinciam minoris Asiæ restitueretur.

De anno 27.

HOC anno Lysander, quem Græci vocant δεινὸν σοφιςὴν ἐν ὅπλοις, id est, callidum bellatorem, in Asiam profectus cepit Lampsacum, & ad Ægospotamos insulam 15. stadiis à Lampsaco distantem, in quam initio huius belli ingens saxum è cœlo decidit, classem Atheniensium mirabili arte & celeritate vicit. Hanc victoriam mox secuta est obsidio Athenarum, quæ menses 6. durauit, in qua tanta fuit pertinacia obsessorum, vt decretum factum sit denuncians pœnam capitalem ei, qui proponeret rogationem de faciẽda deditione vel de pace. Sed hanc pertinaciam fames edomuit & Athenienses supplices fieri Lacedæmoniis coegit.

De anno 28.

HIC annus postremus est belli Peloponnesiaci, cuius exitus principio consentaneus fuit. Vt enim à pertinacia Periclis hoc incendium funestissimum excitatum erat, sic in patriam Periclis turbulentissimæ tempestates redundarunt. Nam hoc anno Athenæ a Lysandro captæ sunt, eo ipso die, videlicet, decimo sexto Martij, quo ante anno septuagesimo octauo commissa est pugna naualis ad Salaminem. Hæc temporis notatio nos admonet de rerum humanarum varietate & inconstantia. Etsi enim vrbs Attica annos 50. imperium Græciæ post pugnam Salamineam tenuit, & in cursu huius belli hostes aliquoties vicit: tamen ad extremum ex illo fastigio imperij præcipitatur in tristissimas calamitates. Quæ cum ita sint, non obscurum est, quam vere Poeta dixerit:

Quales sunt causæ tales sequuntur effectus, id est, exitus.

Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

DE CRVDELITATE 30. TYRANNORVM.

POST captas Athenas summa potestas ad 30 gubernatores a Lacedæmoniis translata est, qui propter crudelitatem tyranni & habentur & nominantur. Cum autem Therámenes mitigare suorum collegarum sæuitiam studeret, hac oratione à Critia accusatus est.

ORATIO CRITIAE, QVAE APVD Xenophontem extat lib. 2. de rebus Græcis, conuersa à Domino præceptore Philippo Melanthone.

SI quis à nobis, iudices, arbitratur, plures necari, quam par sit; is ira apud se cogitet, hæc ita accidere solere, quoties publicus status mutatur. Neque fieri potest, quin plurimi sint iis hostes, qui multitudini libertatem eripiunt, præsertim cum nulla alia vrbs inter Græcos populosior sit, aut vbi diutius populus libertate vsus sit. Porro nos ex voluntate Lacedæmoniorum Rempubl. constituimus, cum videremus primum nobis hoc rerum statu non esse tutum populo permitti libertatē: deinde nec Lacedæmoniis, qui superesse nos voluere, plebem futuram esse fidam, optimates autem in fide mansuros esse. Proinde si quem sentimus potentiæ optimatum insidiati, hunc è medio auferre decretum est. In primis autem si quis è nostro ordine hunc statum labefactare conatu[illegible] in eum retulerit animaduerre.

Porro Theramenē competimus plane nobis machinari exitium, idque deprehenderis, si diligenter contemplari fueritis, neminem esse, qui perinde calumnietur præsentem statum, aut, quoties aliquem popularem Rhetorem necamus, reclamet. Quod si a principio consuesset, in hostium numero recte haberetur, sed cum ipse nobis auctor fuerit, faciendæ cum Lacedæmoniis pacis, & eripiendæ libertatis populo, imo impulerit

nos,

nos, vt supplicium sumeremus de iis, qui primi impetum in nos fecere, nunc demum aduersatur, vt ipse in tuto sit, à nobis pœna exigatur propter ea, quæ gessimus. Proinde de eo non vt de hoste, sed vt de proditore supplicium sumite. Est enim proditio hoc formidabilior bello, quod difficilius est, clandestinas insidias, quam apertam vim cauere. Est item ideo in maiore odio proditor quam hostis, quod cum hoste nonnunquam in gratiam reditur, & bona fide pax conuenit, cum proditore nemo vnquam in gratiam rediit, nec si velit, queat. Sed vt non nunc primum cognoscátis hæc agitari à Theramene, & naturam eum finxisse proditorem, recensebo quædam eius facta.

Cum initio à plebe secundum patrem Agnonem plurimi fieret, incessit eum cupido imperij a populo ad quadringentos transferendi, inter quos ipse primas facile obtineret. At vbi sensit, populi vires maiores esse, quam vt quadringentis illis de imperio cessurus videretur, partium populi princeps factus est. Quam ob caussam & cothurnum vocarunt, quod vtrique pedi iuxta conueniat cothurnus, & tamen neutri satis apposite. Proinde non meretur impunitatem is, qui cum aliis auctor fuerit negotij suscipiendi, mutauerit sententiam, si quid aduersi inciderit: sed erat velut in naui perdurandum, donec secundum vẽtum nactus fueris. Quod si minus feceris, quomodo poteris conficere cursum, cum re quapiam leui impediente, confestim in contrarium nauigare velis? Tum cum Rebuspublicis ac imperiis mutationes omnes cæde constent, exitio multis fuit inconstantia tua: multi te auctore ex optimatibus à plebe necati sunt, multi ex plebe, ab optimatibus. Præterea huic à ducibus commissum fuerat, vt reciperet Atheniẽses naufragos, post pugnam naualem ad Lesbum, quos cum non recepisset, ne sibi fraudi esset non paruisse, duces ipsos accusauit atque occidit. Vnde apparet, semper eum priuatum commodum præ dignitate & amicis habuisse. Quare igitur parcendum ei putatis? Cur inconstantia eius cognita non obseruatis, ne aduersus nos quoque idem machinetur? Proinde nos eum accusamus & insidiarum & proditionis. Quod autem merito id fiat,

id fiat, hinc intelligetis. Nam in Lacedæmoniorum Repub. cum sit optime constituta, si quis ex ephoris nolit obsequi cæteris, sed magistratum contumelia afficiat, & obstrepat eorum decretis, dignus pœna iudicatur etiam ab ipsis ephoris & à tota ciuitate. Vos igitur si sapitis, non illi, sed vobis parcite. Nam si hic euaserit, multis addet animum, vt vobis aduersentur. Hactenus Critias.

Cæterum triginta viri legem condiderant, ne quis eorum, quorum nomina in catalogo erant scripta, interficeretur, nisi re iudicata. Cum igitur Theramenem collegam Critias interfici iussisset, implorat Theramenes legis auxilium, ac petit, ne indicta causa interficiatur, respondit Critias, legem loqui de iis, quorũ nomina sunt in catalogo, se autem iam Theramenis nomen è catalogo delere. Sed cum Theramenem hac elusione perdidisset, ipse aliquanto post à Thrasybulo interfectus pœnas Sophisticæ dedit.

DE MORTE THERAMENIS Cicero in prima Tusc. præclare inquit:

QVam me delectat Theramenes, quanquã elato animo est. Etsi enim flemus, cum legimus: tamen non miserabiliter vir clarus emoritur, qui cum coniectus in carcerem triginta iussu tyrannorum venenum vt sitiens bibisset, reliquum sine periculo eiecit, vt id resonaret. Quo sonitu reddito arridens: Propino, inquit, hoc pulcro Critiæ, qui in eum fuerat teterrimus. Græci enim in conuiuiis solent nominare, cui poculum traditur: sunt. Lusit vir egregius extremo spiritu, cũ iam præcordiis conceptam mortem contineret, vereque ei, qui venenum præbuerat, mortem est eam auguratus, quæ breui consequuta est. Qua autem ratione Thrasybulus patriam recuperarit, ac Critiam & quosdam alios, quos ille crudelitatis socios habuerat, interfecerit, Iustinus satis luculente exponit. Neque vero quicquam in ea historia dulcius extat, quã lex de ἀμνηστίᾳ iniuriarum

à Thraſybulo ſancita. Cum enim Thraſybulus recuperaſſet patriam, multi exules reducti repetebant erepta patrimonia, ſed ſine nouis motibus non poterant eis reſtitui. Tulit igitur legem humaniſſimam: μὴ μνησικακεῖν, id eſt, noli eſſe tenax iniuriarum. Quam pacis cauſa exules reducti approbarunt & ſua volentes amiſerunt.

Supra etiam in catalogo Regum Laconicorum inſignis hiſtoria recitata eſt de Pauſania, qui non adiuuit 30. tyrannos, cum quidem ad eos tutandos & cõſeruandos ab Ephoris miſſus eſſet. Eam hiſtoriam, ſi placet, ſtudioſi illinc aſſumant.

DE EXPEDITIONE CYRI MInoris aduerſus fratrem Artaxerxem.

HAnc totam hiſtoriam ſeptem libris Xenophon luculentiſſime deſcripſit; & quoniam nobis non licet propter breuitatem noſtri inſtituti omnia repetere, illud tamen præſtabimus, hoc eſt, imitabimur apiculas, quæ cum non poſſint totas moles graminum & florũ transferre in ſuos alueolos: tamen qua poſſunt ratione ſuccũ in mel conuertunt. Cyrus in lingua Perſica idem eſt quod Sol. Debet enim rex imitari ſolem, qui mundum hunc inferiorem ſuis radijs illuſtrat, & calore vitali fouet.

Cicero: *Rex debet ſubditis prælucere, & pro grege & pro lege fortiter dimicare.*

Darius teſte Herodoto libro 6. idem eſt, quod coercens, id eſt, magiſtratus, ſeuerusq; executor legum, qui habet neruos aduerſus improbos.

Xerxes ſignificat Perſica lingua bellatorem, victorem ſiue triumphatorem. Artaxerxes ſignificat magnum bellatorem.

Epitheta 10. Regum Perſicorum.

HErodotus lib. 3. Cyrus fuit rex, omnium regum mitiſſimus.

Cambyſes tyrannus.

Darius quæſtor.

Xerxes

Xerxes fatuus.

Artaxerges Longimanus, quia dextra manus fuit ei longior sinistra: fuit εὐεργέτης, id est, beneficus erga Ecclesiam populi Iudaici, & suos subditos.

Darius Nothus ignauus.

Artaxerxes Mnemon, bonus princeps sed libidinosus.

Ochus bestia.

Arsames obscurus.

Darius vltimus infelix bellator.

Darius sextus Persarum Rex, Nothus appellatus est, propterea, quod Xerxis filius illegitimus esset. Hic succedens Longimano decem & nouem annos regnauit, nec quicquam fere memoria dignum gessit, nisi quod Medos, qui à Regibus Persicis defecerant, ad obedientiam retraxit. Suscepit autem ex Parysatide omnium feminarum pessima & perditissima, quæ artes nocendi sciebat astutissime, duos filios, maiorem natu Artaxerxem, qui propter memoriæ præstantiam μνήμων cognominatus est, & minorem natu Cyrum. Ac Cyro quidem pater prouinciam Asiæ minoris tradidit: Artaxerxi vero regnum reliquit. Horum ingenia, si placet, paulo accuratius consideremus.

DE ARTAXERXE.

IN Artaxerxe fuit natura clemens, benefica, mansueta, liberalis, facilis, vt ex his, quæ a Plutarcho commemorantur, percipi potest. Nam cum ei malum Punicũ insigni magnitudine dono à paupere esset datum, Per solem, inquit, hic vir ciuitatem ex parua magnam, si eius fidei credatur, facile reddere posset.

Alia historia.

IN itinere aliis alia ad eum munera afferentibus, homo rusticus, cum nihil præterea in promtu haberet, quod regi largiri posset, haustam ex proximo fluuio aquã ambabus manib. ei obtulit. Quo munere adeo lætat⁹ est Artaxerxes, vt phiala aurea & mille Daricis hominẽ donarit. Euclidi Lacedæmoni, cum omnib. probris eum onerasset, per tribunũ militum respondit: Illi qui-

dem licere, quæ vellet, in regem dicere, sibi vero dicere, ac facere. Sed has virtutes regias libidinibus deformauit & magnas calamitates sibi & regno accersiuit. Nā cum filia Atosta incestam consuetudinem habuit, camque ita ardenter amauit, vt pro illius salute obtinenda Iunoni votum fecerit, se spacium 16 stadiorum, quod erat inter regiam & illius Iunonis templū, auro completurum esse. Deinde Aspasiam, concubinam Cyri, post mortem fratris ad se transtulit, cumque eam filio Dario tradidisset, paulo post mutato consilio traditam repetiuit. Qua ex re Tragicæ calamitates ortæ sunt. Etenim filius detecta coniuratione aduersus patrem vna cum sociis coniurationis supplicio affectus est. Quid quod hic ipse Rex Medum quendam Arbacen ita puniuit, vt cogeret eum nudum scortum impositum ceruicibus diem totum in foro circumferre. O petulantiam tanta ingenij præstantia indignissimam. Discamus igitur agnoscere humanam infirmitatem, quæ destituta excubiis & custodia filij Dei, de statu deturbatur & horrendis probris deformatur.

DE CYRO MINORE.

DE Cyro minore Xenophon, qui cū eo militia perfunctus est, scribit, neminem ex omnibus Persicis excepto Cyro maiore magis ad regnum accommodatum fuisse.

Primum enim Cyro tribuit eximium & singularem amorem veritatis, quæ iure ac merito appellatur fundamentum aliarum virtutum. Nam Cyrus optima fide seruauit fœdera & pacta nec vnquam in eo mendacij vestigium animaduersum & notatum est. Itaque ciuitates & Respub. se libenter ipsius tutelæ commiserunt, cum exploratum haberent, nihil ab eo fieri contra veritatem. Est autem hæc virtus colenda non tantum propter vtilitates, quæ late in vita sparsæ sunt; sed omnium maxime ob hanc causam, vt sciamus Deum veracem esse.

Deinde laudat in eo beneficientiam rege dignissimam, qua alios vincere studuit; ac recitat votum, quod

ille semper in ore habuit, vehementer cupiens atque exoptans, vt tantisper vita comitante superstes esset, donec benefacta amicorum cumulatissime compensare posset.

Tertio ornatur à Xenophonte præcipua laude iustitiæ distributiuæ, qua in gubernatione Cyrus multis regibus antecelluit, quia non solum bonos & fideles ministros summis honoribus & opibus auxit, sed etiam sceleratos heroica nemesi puniuit, vt in versibus Lucij dicitur:

Virtus est dare, quod re ipsa debetur honori,
Hostem esse atque inimicum hominum morumque bonorum,
Commoda præterea patriæ sibi prima putare.

Postremo in amicitiis colendis præcepto Euripidis obtemperauit, *Ille sapit ad communem vtilitatem, qui amicis honestissima tribuit.* Cum enim plurimæ vestes gēmis & auro ornatæ ei donarentur, multis amicis dedit, affirmans: Nullum esse maius præsidium & decus regni, quam habere amicos fide præstantes. Hac suauitate humanitatis Cyrus perfecit, vt ab omnibus Græcis & Barbaris ardentissime diligeretur. Quod cum ex aliis rebus, tum ex hac vel maxime percipi potest, quod omnes ipsius ministri pro domino dimicantes fortiter in acie occubuerunt. Sed vt nulla hominis virtus perfecta est: sic Cyro defuit modestia, quæ hominem intra metas vocationis retinet. Quare, cum in eo esset ingenium acre & ambitiosum, non potuit acquiescere in prouincia florentissima; sed ardens cupiditate regni bellum iniustum & non necessarium fratri intulit, iuxta versum.

Omnis cura viris, vter esset induperator.

Hæc ipsa causa primos fratres Abel & Cain: deinde Romulum & Remum: item Marium & Syllam: Pompeium & Cæsarem: Antonium & Augustum: denique alios innumerabiles ad cædem & bella impulit. Hactenus de ingeniis duorum fratrum Artaxerxis & Cyri, & de causa belli breuiter dixi. Sequitur, vt de expeditione & de exitu belli ex monumētis Xenophōtis & Plutarchi pauca referā. Nam omnia cōmemorare, quæ in hac militia acciderunt, non modo dicenti, sed etiam auditoribus molestum esset.

Cyrus igitur in expeditione aduersus fratrem 13000. Græcorum habuit, quorũ duces præcipui fuerunt Clearchus Lacedæmonius, Proxenus Bœotius & Menon Thessalus. Barbarorum vero decem myriadas & currus falcatos 20. Græcis adiunxit. His copiis Artaxerxes 19. myriadas, quorum duces erant Tissaphernes, Bobrias & Arbaces, vna cum centum & quinquaginta curribus falcatis opposuit. Nuncupatur autem locus Cunax, in quo instructę acies signis collatis dimicarunt, qui 500. stadia à Babylone distat. In eo prælio Artaxerxes a Cyro grauiter sauciatus est, & Cyrus à quodam Persico adolescente Mithridate interfectus pœnas πολυπραγμοσύνης persoluit. Hunc Mithridatem gloriantem in conuiuio sua manu cõcidisse Cyrum, Parysatis crudelissima femina scaphis necari iussit. Id genus supplicij tale est. Duabus exædificatis scaphis inter se cõgruentibus in alteram hominem supplicio destinatum resupinant, alteram desuper imponentes, & sic ambas coniũgunt, vt caput, manus ac pedes foris excludantur, reliquum vero corpus totũ intus claudatur. Præbent homini cibum, stimulisq; occultis fodientes vesci vel inuitum cogunt. Vescenti autem pro potu, lac melli admixtum in os infundunt, faciemque eodem conspergunt, sic eius oculos versantes scapham semper aduerso Soli opponunt, & muscarũ insidẽtium multitudine ora quotidie obteguntur; cumq; intus ea faciat, q̃ edẽtes bibẽtesq; homines facere necessitas cogit, ex corruptione & putredine, variæ pullulant vermes, quibus intra vestes penetrantibus corpus abroditur. Itaq; cum defuncto vita homine, superior amouetur scapha, exesa caro aspicitur, & circa viscera taliũ bestiolarum pascentium, aliarumq; quotidie succrescentium multitudo apparet. Huiusmodi suppliciis Mithridates excruciatus ad 17. diẽ calamitosam vitam produxit, atq; demum extinctus est. Cæterum Clearchus & reliqui duces Græcorum contra fidem datam à Tissapherne comprehẽsi ad regem captiui adducti sunt, quos quidem rex ad vnum omnes capite truncari iussit. Græci amisso Cyro & ducibus orbati ex ipsis propemodũ penetralibus regis incolumes euaserunt, & per medios hostes viam tẽpentes mirabili prouidentia Dei seruati sunt. Tanta au-

tem celeritate profectionem & reuerſionem confecerunt, vt quindecim duntaxat menſes in itinere conſumſerint. Eſt igitur hoc exemplum ad locum de prouidentia Dei referendū, qui non tantū pios curat & defendit, ſed etiam ignaros veræ inuocationis ſuo conſilio aliquandiu regit ac defendit.

DE IIS QVAE POST MORTEM Cyri acciderunt.

RES geſtas Dercyllidæ Lacedæmonij, qui in hiſtoria Xenophōtis clarus eſt, & hoc nomine potiſſimum laudatur, quod exercitum, non ſociorum lacrymis, ſed hoſtium ſpoliis aluerit, Iuſtinus initio Sexti libri mediocriter recitat.

Mortuo vero Agide Rege Laconico, qui geſſit magna ex parte bellum aduerſus Athenienſes, contentio diſceptatioq; fuit inter Leotychiden & Ageſilaum de ſucceſſione regni. Nam Leotychides erat ſpurius Agidis, conceptus ex concubitu Alcibiadis. Ageſilaus frater Agidis, etſi omnibus regibus ſuæ ætatis virtute antecellebat: tamen inſignem in corpore deformitatem, videlicet claudicationem circumferebat. Cum igitur oporteret reges Spartanos ex familia Herculis eligi, & Agis ipſe negaſſet, Leotychiden à ſe ſuſceptū eſſe, Diopithes oraculū quoddam ex monumentis protulit,

Sis inuicta licet, tibi dico, Sparta caueto,
Ne claudo victrix pariare incommoda Regno:
Includunt ſubito multo te tempore morbi,
Et ſæuo bellum proſternens omnia fluctu.

Huius oraculi ſententia Lyſander ſophiſtice eludens; Oraculum, inquit, non loquitur de claudicatione pedis, ſed iubet caueri, ne aliquis ſpurius ad regnum perueniat. Etſi autem hæc cauillatio concinne excogitata videbatur: tamen fatum, vt Pindarus ait, nec ignis nec æneus murus arcere poteſt. Nam Lyſander, qui hactenus patriæ ſalutaris fuerat, deinceps patriam duobus conſiliis euertit: altero, quod fuit incitator Spartanis, vt Ageſilaus in Aſiam mitteretur; altero, quod mouit bellum abſente Ageſilao aduerſus Thebanos perni-

ciosum sibi, & patriæ. Cum autem Agesilai expeditio in Asiam de multis rebus lectorem monere possit, nequaquam silentio prætereunda est.

Agesilaus in Asiam ingressus cum exercitu, omnia prius consilio quam armis tentanda censuit. Itaque cum Tissapherne trium mensium inducias pactus est, vt hostis spacium haberet ad ea perficienda, quæ ille sanctissime receperat. Promiserat enim Tissaphernes, se perfecturum esse, vt rex Persicus ciuitates Græcas in Asia libertate donaret, sed hic veterator perfidus ludens iuramentis & fœderibus, sicut pueri ludunt astragalis, paulo post maioribus copiis instructus, ad Agesilaum legatos misit denunciantes ei bellum, nisi Asia excederet. Etsi autem alij existimabant, exercitum Laconicum multo imbecilliorem esse, quam vt Tissaphernis impetum sustinere posset: tamen Agesilaus vultu admodum hilari legatis respondit, se gratiam Tissapherni habere, quod violatione fœderis iureiurando sanciti Deorum auxilia à se abalienata ad Græcos transtulisset. Cum igitur Tissaphernes fretus opportunitate loci speraret fore, vt in Cariam Agesilaus primam impressionem faceret, eoque omnes copias equitum & peditum traduxisset: Agesilaus prudenti consilio vsus Phrygiam præter opinionem inuasit, vbi multis vrbibus captis incredibilem pecuniæ vim collegit. Inde reuersus Ephesum non modo sociis imperauit, vt equitatum ad se mitterent, sed etiam milites suos propositis præmiis velut in palæstra exercuit. Præclare ergo Xenophon de re militari Agesilai dixit: Quandocunque homines pietatem erga Deum colunt & belli studia exercent, & magistratibus sua sponte obtemperant, fieri non potest, quin optimæ spes in animis existant. His exercitiis præparatum militem ex vmbra in aciem eduxit, & Thissaphernem insigni prœlio vicit, cuius fama cum ad regem allata esset, statim Tithraustem misit, qui hanc veterem vulpeculam capite truncaret, & Agesilao persuaderet, vt accepta ingenti pecunia domū reuerteretur. Agesilaus pacis conciliandæ auctoritatem penes se non esse, sed penes patriam, opes vero magis exercitui se quęrere, quā sibi, respondit. Adhæc præclarius videri spolia quā munera ab hostę referri: verumtamen

gratifi-

gratificari Tithrausti volens, quod hostem Græciæ communem morte mulctasset, exercitum in Phrygiam adduxit viatico 30. talentorum ab illo accepto. Cæterum Asia minore cômota, in qua omnia ei cedebant, omnia prona erât, progredi longius decreuit, & bello à maritimis, sociisque Græcorû vrbibus translato in Asiam maiorem cum rege Persico de summa rerum dimicare côstituit. In hoc tam præclaro instituto cum esset, Epicididas Sparta veniens, domestico bello patriam implicatam esse, ipsum per Ephoros, vt patriæ periclitanti succurreret, domum reuocari nunciabat. Etsi autem res maximas Agesilaus gerebat: tamê hoc ipsius in patriam reditu nihil aut pium aut excellens magis, neque exemplum vel iustitiæ vel obedientiæ maioris extat. Quis enim non felicem Spartam iudicet, cui honoris tantum Agesilaus tribuit, tantam legibus reuerentiam, vt, quem tanti successus, tantæ vires, tam certa spes longius inuitabant, omnibus rebus relictis momento, quo nuncium accepit, solueret. Persici numismatis genus est sagittarium insculptû habens. Soluens igitur Agesilaus decem millibus sagittariorû Asia se per regem expelli dicebat. Tantum enim pecuniæ Athenas, Thebasque missum & principibus distributum ciuile in Græcia bellû concitauit. Rediit autem in patriam tanta celeritate, vt in itinere, quod olim Xerxes annuo spacio vix confecerat, vnû duntaxat mensem consumserit. Cum autem ad Cheroneam castra locasset, eodem tempore & solem minus, quam dimidia parte deficientem vidit, & nauali ad Cnidum prælio victum à Pharnabazo & Conone Pisandrû fratrem vxoris occubuisse audiuit, doluit, quemadmodum parerat, cum propter vrbis tum propter viri casum, sed ne militi iam congressuro cominus cum hoste terror incuteretur, contrarium referre eos, qui à mari venerant, iussit, videlicet victoriam naualem esse partam. Ipse Agesilaus corona imposita progressus ob nuncium lætum sacra fecit, familiaribus epuli parte missa. Quam vero actis pugna fuerit ad Cheroneâ inter Agesilaum & Thebanos, Xenophon præceptor liberorum Agesilai, qui huic pugnæ interfuit, ita narrat, vt lectorê in rê præsentem deducat, & quasi vna periclitantê retineat. Con-

fecto prælio cum ad Agesilaum victorem equites Laconici accurrissent nunciantes in templo Mineruæ octoginta hostes cum armis abditos latere: ibi Agesilaus, etiamsi grauissima vulnera ab hoste acceperat: tamen non oblitus præcepti, *Non violandus erit supplex, sacer esse putetur*, supplicibus qui ad templum confugerant, parci iussit. Deinde Delphos profectus, quo tempore Pythia celebrabantur sacra Deo magnifice fecit, decima spoliorum parte, quæ centum talentorum fuit oblata. Hactenus victricem Spartam descripsimus, quæ imperium Græciæ 15. annos tenuit. Nunc de iis, quæ ruinam Spartæ antecesserunt, pauca disseramus, vt omnes intelligant, non casu imperia ruere, sed mutationes Regnorum pœnas esse contumaciæ in peccatis atrocibus; videlicet in Epicuræo contemtu Dei, parricidiis & libidinibus. Quanquam.n. in quacunque frequentia hominum multa sunt vitia, & multi tetri lapsus: tamen donec manet disciplina, id est, gubernatorum securitas. & coercet petulantes, & punit lapsus, & contumaciam, tantisper parcit Deus ciuitatibus. Sed quando ventum est ad hunc gradum, vt impunitas licentiam confirmet, & iam petulantia pene ducatur esse virtus: hic statim Deus est vindex, & horrendis malis punit totas gentes, vt quia principes Beniamin nolebant punire eos, qui Leuitæ coniugem compressam interfecerant, exarsit ira Dei sic, vt ferè tota tribus deleta sit. Et regula est. Cum magistratus nō punit atrocia scelera, pœnę publicæ diuinitus magistratum & populum opprimunt.

Primum igitur Phœbidas dux Laconicus Cadmæam arcem proditam à Leontiade Thebano contra formulam pacis, in quam omnes Græci iurauerant, occupauit, nec ob eam rem à Spartanis punitus, sed etiam ob Agesilao viro alioqui præstanti, sed nimium iræ ac odio aduersus Thebanos indulgente defensus est, qui dixit. Honestum habendum esse, quicquid Spartæ vtile esset: Deinde Harmostæ Laconici, qui arcem Cadmæam tenebant multas virgines Thebanas rapuerunt, cumque pœnas libidinum Melloni, & Phyllidæ persoluissent, qui muliebri vestitu induti ebrios Harmostas trucidarunt, Cleombrotus rex Spartanus expeditionem

aduersus Thebanos, hortante Agesilao suscepit, vt infra pluribus verbis dicemus. Sed omnem dicendi vim superat historia de filiis Scedasi, quę satis declarat, quanta petulantia & impunitas fuerit nobilitatis Laconicæ. Eam historiam, si placet, ex Plutarchi narrationibus amatoriis repetamus.

Scedasus vir honestus & erga hospites pro modo facultatum beneficus, pagum Bœotiæ Leuctra incolebat. Is cum haberet duas filias forma & virtute præstantes, quodam tempore duos adolescentes Spartanos excipit: qui amore virginum capti aliquandiu hunc ignem celarunt, & iter propositum, quod viatorem ad Delphos ducit, confecerunt, sed postea reuersi, & absente patre Scedaso, à filiabus amanter excepti, iura diuina & humana violarunt, & compressas in puteum abiecerunt. Scedasus domum reuersus monstrante canicula filias interfectas in puteo reperit, cumq; ex vicinorum indicatione percepisset, nobiles Spartanos, quibus iam pridem hospitium præbuerat, sine vlla dubitatione eius sceleris auctores esse, è vestigio Spartam proficiscitur, & ab Ephoris petit supplicium sumi de violatoribus hospitij & castitatis: Sed derisus ab Ephoris vrbe egreditur, & diras Spartæ imprecatus ad sepulcrum filiarum sibi ipsi necem consciscit. Postea eodem loco, vbi filiæ Scedasi vna cum patre sepultæ erant, pugna Leuctrica facta est, in qua tanta multitudo Lacedæmoniorum interfecta est, vt imperium Sparta amiserit, & pene funditus deleta sit.

Cum autem Iason Pheræus his ipsis temporibus in Thessalia floruerit, repetenda videtur ipsius descriptio, quæ apud Xenophontem extat in vestibulo lib. 6. de rebus Græcis. Catus adeo dux est, vt cum fallere hostes aut anteuertere, aut vi adoriri instituit, haud fere frustretur, noctu ac interdiu iuxta paratus, ne tum quidem, cum conuiuium agitat, ociosus: nec ante acquiescit, quam eo, quo tendit, peruenerit, quamq; effecerit, quæ ex vsu sunt. Ad eundem modum & milites assuefecit, quibus & prolixe indulget, vbi facinus aliquod egregium fecerunt. Estq; persuasum omnibus, qui apud eum stipendia merentur, voluptatē atq; ocium labore parare.

Ipse

Ipse omnium quos nouit, parcissime voluptatibus fruitur. Quare, nec hæ eum morantur, quo minus recte res gerat.

Hic tantus vir, cum & magnas res gessisset, & maiores animo conciperet, à septē adolescentibus, in equestrium copiarum inspectione ac delectu, miserabiliter interfectus est, cuius exemplum nos de imbecillitate rerum humanarum admonet. Mortuo Iasone frater Polydorus & Polyphron auuunculus successerunt, sed verissimum est, quod Ennius dixit. *Nulla sancta societas nec fides regni est.* Nam Polyphron Polydorum dormientem obtruncauit, vt solus principatu potiretur, quē cum paucos menses tyrannice administrasset, ab Alexandro Pheræo vicissim trucidatus est, iuxta regulam: *Per quæ quis peccat, per eadem punitur.* Huius Alexandri tanta fuit crudelitas, vt homines insueret in pelles vrsorum & aprorum & incitaret canes ad eos lacerandos: item vt viuos defoderet. Hunc postea coniugis fratres interfecerunt, cum coniugem & fratres magnis contumeliis affecisset. Hi iuste fecerunt, cum liberarunt à sæuitia sororē & ciues. Postea cum & fratres illi occupato imperio in Thessalia crudelitatem exercerent, iuste fecerunt Thessali, quod accersiuerunt Philippum Macedonem. Sed redeo ad historiam de rebus Laconicis & Thebanis. Cum Græci malis bellorum ciuiliū defessi legatos de pace cōstituenda Spartam misissent; Agesilaus cum reliquis Græcis omnibus fidem fœdusque iunxit, exceptis Thebanis, quorum implacabili odio ardebat. Huic odio indulgens bellum Thebanis denunciauit, quo vires ciuitatis Spartanæ prorsus sunt fractæ. Erat hoc tempore Cleombrotus in Phocide cum exercitu. Eum statim Ephori traiicere in Bœotiam & Thebis exercitum admouere iubent. Hanc expeditionem ipsa festinatio declarat, ira magis quam ratione susceptam esse. Nam 14. die Maij fœdera sunt Spartæ facta, mox 5. Iunii clades in Leuctris accepta, cum dies non amplius 20. intercessissent. In ea pugna 1000. Lacedæmonij ceciderunt, cecidit & Cleombrotus Rex, & iuxta fortissimus quisq; Spartanus, inter quos & Cleonymum Sphodriæ filium, cū tertio pro rege dimicando prostratus esset, ac toties surrexisset,

Ouid.
Non bene cum sociis regna Venusq; manent.

xisset, fortiter pugnando occubuisse ferunt. Hę calamitates, vt Xenophon lib. 5. Historiæ rerum Græcarum inquit, monitrices & concionatrices esse debent de moderatione irę. Si enim paterfamilias tantisper dum ira ardet nequaquam de familia pœnā sumere debet, cum cōstet dominos iratos sæpenumero plus mali sibi accersiuisse tali castigatione, quā aliis dedisse, possumus ne dubitare, quin hosti non ira duce sed consilio occurrendum sit? Nam ira est quiddam cœcū & temerarium: ratiò autem nō tantū in hoc incumbit, vt hostē lędat, sed maiore cura cauet, ne sibi malū attrahat. Etsi autem lex Thebana erat, vt perfunctus magistratu mox dimitteret exercitū: tamen Epaminundas post victoriam in Leuctris vltra tempus propter vtilitatem publicam exercitū retinuit, & maximas res in Peloponneso gessit. Cum igitur domi accusatus ostenderet, suum consilium profuisse Reipubl. absolutus est. Hoc exemplū declarat, quantum intersit inter summū ius & ęquitatē, quæ est mitigatio iuris stricti propter probabilē rationem in casu, de quo lex non principaliter loquitur. Porro cum Thebani sensissent, ab Atheniensib. & Lacedæmoniis ad regem Persicū legatos missos esse, pro impetranda cum illo belli societate, miserunt & ipsi Pelopidam ad illum, & id quidē sapientissime ob eius viri gloriam ac dignitatē: nam eo duce parta in Leuctris victoria fuerat. Hic nihil a dignitate sua alienum fecit, sed cum accepisset responsum discrepans à mandatorum negociorum administratione, repudiatis omnib. muneribus in patriam rediit. Timagoras vero legatus Atheniēsium dona a rege acepit, nec cum collega Leone in eodē hospitio fuit. Propter has causas Athenis accusatus est, iudicio, ꝙ Græci nominānt δίκην δωροδοξίας; & à ciuib. re iudicata interfect⁹ est, vt scribūt Xenophon in lib. 7. de rebus Græcis, & Plutarchus in vita Pelopidæ. Hoc exemplū eo recitaui, vt iuniores cogitent, duas pestes in legatione potissimū fugiēdas esse: videl. corruptelā munerū & congressus cum hominib. aduersæ partis. Cætera quæ ad descriptionē Epaminundæ, & rerū ab eo gestarum pertinēt, ex Iustino assumantur, qui hac in parte nihil cognitu necessarium prætermisit. Hactenus Xenophon.

Ira non vtēdum est vt duce sed vt milite.

Thuc. lib. 3. *Ira & festinatio potissimum impediunt bona consilia.*

Iurisconsf. *Legatus debet diligēter custodire fines sui mandati.*

IN LIBRVM SEPTIMVM HISTORIARVM IVSTINI VSQVE AD XI,

Commentarius Victorini Strigelij.

DE MONARCHIA TERTIA MAcedonica.

DANIEL cap. 8. illustri imagine pingit monarchiam Græcorum, nec dubium est in picturis contineri certas significationes. Pardalis, quæ significat reges Macedonicos, & sagax est & animosa & celeritate insigni prędita, audet occurrere armato venatori & celeritate excutit tela, nec vi capitur, sed opprimitur ebria. Quia. n. Pardalides sunt auidæ vini, venator in loco vicino eius bestiæ latebris vinum infundit, postea longiore interuallo collocat vasa plena vino, statim odor ex antris elicit pardalides, quæ cum ad cymbia ventum est hausto vino accensæ discurrunt, ludunt vna & corpora segnes in venerem soluunt, deinde ebriæ & venere defatigatæ sopiuntur, ibi sopitas opprimit venator. Huius rei luculenta descriptio est apud Oppianum lib. 4. de venatione. Quæ potest autem cogitari imago illustrior regum Macedonicorū plurimorū. Sagacitate, hoc est, solertia & cōsilio vix vlli duces antecelluerūt Philippo & Alexādro. Deinde quod decreuerant re cogitata & occasionibus prospectis celerrime suscipiebant, quæ virtus in ducibus plurimum pollet. Erant autem & in dimicando acerrimi & inuicti. Postremo vero voluptatib. periere, alter Venere alter temulentia. Tales & postea fuerunt Demetrius & posterior Philippus. Nec raro accidit, vt viri præstantes, cum in rebus gerendis acerrimi fuissent, & nec periculis

vllis

vllis nec laboribus succubuissent, postea tamen voluptatibus fracti calamitosos & tragicos exitus habuerint. In Francisco Sfortia, duce Mediolanēsi. quanta primū virtus fuit, quāta magnitudo animi? senex vero cum Circes veneris natura eius mutata esset, priora decora libidinibus deformauit atq; obruit. Sed omitto exempla, quæ lector admonitus consideret ipse in cōmuni vita. Nam & Daniel has picturas proposuit, vt magna ingenia admoneat ne sibi indulgeāt, sed impetus & cupiditates moderētur, ne pœnas sibi accersant, vt illi ipsi, quos recēsui, fecerūt, Philippus, Alexander, Demetrius & alij innumerabiles.

SERIES FAMILIÆ REGVM Macedonicorum.

1 Hercules
2 Hyllus fuit filius Herculis, à quo nomen habet Illyricum, quod nunc vocatur Dalmatia.
3 Cleodius.
4 Aristomachus.
5 Temenus.
6 Perdiccas, primus rex Macedoniæ.
7 Argæus.
8 Philippus.
6 Æropus.
10 Alcetes.
11 Amyntas, tempore Darij Hystaspis.
12 Alexander tempore Xerxis.
13 Perdiccas.
14 Archelaus, cui Euripides fuit familiaris.
15 Amyntas,
16 Philippus.
17 Alexander Magnus.

Hæc series nota est eruditis omnibus, qui Græcas historias legerūt. Nā Herodotus lib. 8. septē reges à Perdicca vsq; ad Alexandrū recenset, & Thucydides lib. 1. & 2. Perdiccam & Archelaū Alexandro successisse lucide non obscure declarat. Postea sequitur Amyntas pater Philippi & auus Alexandri Magni. Quod autē reges Macedonici ab Hercule orti sint, ipsa appellatio testatur. Vocantur

cantur enim ab Herodoto Temenidæ. Iam vero satis constat Aristomachum pronepotem Herculis patrē fuisse Aristodemi & Temeni. Vt igitur ab Aristodemi libris Procle & Eurysthene reges Spartani originem duxerunt, sic à Temeno familia regum Macedonicorum propagata est.

DE REBVS QVAE OLYMPIAde 105. gestæ sunt.

INitio Olympiadis 105. Philippus Macedo ad gubernationem accessit, & regnum annos 24. administrauit, ac primum quidem coloniam Thasiorum Crenidas a se auctam & locupletatam Philippos appellauit, quod eo recito, vt iuniores sciant vnde Philippensibus, ad quos Paulus scripsit, nomen impositum sit. Deinde Pæonas domuit & Amphipolim cepit, qua de re multa à Demosthene dicuntur in prima Olynthiaca. Cæterum hac ipsa Olympiade Dionysius iunior tyrannus Siculus à Dione regno exutus est, & in exilium pulsus, quod qua ratione acciderit, breuiter dicendum videtur. Mortuo patre Dionysio cum succederet adolescens Dionysius & præcipue consilio Dionis regeretur, ac Dion iuuenile ingenium Dionysij ad virtutē, iustitiam & moderationem flectere doctrina & auctoritate sapientis viri vellet, censuit vocandum esse Platonem. Etsi autem Plato norat tale dissidiū esse inter philosophos & tyrannos, quale est inter cygnos & aquilas: victus tamen adhortatione Dionis in Siciliam proficiscitur. Erant auspicia aulicæ conuersationis læta, ciues omnes aureum quoddā seculum sibi promittebant, postquam gubernari adolescens à Platone cœpit. Audiebat enim philosophum magno studio, de Deo deque immortalitate disserentem. Tantum igitur promouit Plato, vt illa atrox tyrannidis species prorsus tolleretur, prodibat in publicum, versabatur cum ciuibus rex non tyrannico satellitio stipatus, sed doctissimis & nobilissimis ciuibus. Domestica vita adolescentis non modo sine turpitudine erat, sed etiam in optimis studijs agebatur. In imperio nihil crudeliter, nihil

Amphipolis in Thracia fuit ditionis Atticæ.

nihil iniuſte, nihil ſine conſilio bonorum virorum Dionis & Heraclidæ fiebat. Hæc tanta bona non tam Dionyſij natura quam vulgaris aularum peſtis inuidia corrupit. Improbi quidam, qui, vt licentiam haberent ſcelerum, deſiderabāt ſtatum tyrannicum, & ad ſe rerum habenas trahere conabantur excuſſo Dione. Quantum autem valeant cālumniæ non modo in aulis, ſed etiam apud priuatos, non eſt obſcurum. Et quia ſororem Dionyſij Dion habebat, inſtillabatur regi non eſſe concedendam nimiam potentiam affini, ne regnum aliquando concupiſceret. Cum igitur tandem vincerent ſycophantiæ, pellitur ex regno Dion, fruſtra Platone omnibus modis annitente, ne quid in talem ciuem ſumma virtute & auctoritate præditum iniuſte ſtatueretur. Eiecto Dione paulatim improborum potentia creuit & deprauari regis animus cœpit. Forte eo tempore Plato prędixit, eclipſin futuram, ibi Ariſtippus philoſophus, qui vna aderat, ait ſe de ſignificatione diuinaturum, ac iocās inquit, portendi inimicitiam inter regem & Platonem. Hoc ioco facete aulę mutationem Ariſtippus reprehendit, ſed illud fuit addendum Dionyſium propter mutatos mores regnum amiſſurum fuiſſe. Etſi autem tyrannus retinere Platonem arte conatur: tamen ſuſpicans Plato id quod erat, ſibi propter Dionem nonnihil eſſę periculi, auellit ſe à Dionyſio quibus poteſt modis. Dimittitur ergo non ſine munere. Scribunt enim octoginta talēra ei donata eſſe, hoc eſt, octo & quadraginta millia coronatorum. Redit igitur Athenas, atque ibi ſcholas habet: verſatur vna Dion & multi nobiles adoleſcentes Syracuſani, in quibus fuit Eudemus Ariſtotelis amicus. Poſtea excuſſo Platone tyrannus graſſari omni ſcelere cœpit, coniugem Dionis nubere alteri cogit. Hæc fuit cauſa Dioni mouendi bellum, in quo egregie adiutus eſt à nobilibus ciuibus Platonis auditoribus. Ita Platonis ſchola de tyranno iuſtas pœnas ſumſit. Nam vt futurum Plato prædixerat, tyrannus regnum amiſit. Dion recuperata patria a Callipo interficitur: ſed hic parricida paulo poſt eodem pugione, quo Dionem ſauciauerat, confoſſus eſt.

De Olympiade 106.

ANno primo Olympiadis 106. die 6. Iunij natus est Alexander Magnus, quo die pater Philippus Potidæam ceperat, Illyricos duce Parmenione vicerat, & Olympico certamine equestri victor declaratus fuerat. Eodē die & anno templū Dianæ Ephesiæ incendio conflagrauit, vbi sacerdotes in vrbe tāquā furibūdi discurrētes clamarunt, eo die magnū Asiæ malum alicubi natum esse. Fuit autem is annus ante Christum natum 354.

Pindarus. *Dii iuxta vnum bonū semper distribuunt duo mala, quæ stulti non norunt eleganter ferre, sed sapientes pulcriora probant.*

Anno secūdo huius Olympiadis bellū sacrum in Græcia exarsit, ꝑpter spoliationē Delphici templi, ac duces, qui fuerunt hortatores sacrilegij, variis modis perierūt. Philomelus dux Phocensiū de rupe præcipitem se deiecit in fuga. Onomarchus successor eius à suis militibus confossus est. Phayllus cum somniasset se similē esse statuæ Hippocratis in Delphis, breui post φθίσει interiit. Nam in Delphis statua fuit Hippocratis similis corpori tabefacto, in quo consumta carne lineamenta ossium tenui cute vestita comparent. Hæc sunt apud Pausaniam in Phocicis.

De Olympiade 107.

OLympiadis 107. anno tertio ignis velut ex disrupto cœlo decidere visus est, cum rex Philippus Græciā vexaret & Thessaliæ bellum inferens caperet Pheras, Pagasas & Magnesiam.

De Olympiade 108.

Lib. VIII. Vendidit hic auro patriam legesq; refixit.

INeunte Olympiade 108. Philippus obsidione cinxit Olynthū, potissimā Thraciæ vrbē, quæ à Potidæa 60. stadiis distat. Eam cum vi expugnare non posset, ꝓcipuos gubernatores Euthycratem & Lasthenem pecunia corrupit & patriam ab his proditam cepit. Itaq; non sine causa Philippus omnia castella expugnari posse dicebat, in quæ modo asellus onustus auro posset ascēdere. Eiusdem Olympiadis anno tertio finitū est bellū sacrum, ꝙ durauit annos decem, & concilium Amphictyonicum coactum est, in quo condemnati Phocenses graues iustasq; pœnas sacrilegij persoluerunt.

De Olympiade 109.

Hæc

Lib. IX.

HAC Olympiade Philippus gentē Illyricam multis cladibus domitam in suam potestatē redegit, & à Thessalis accersitus affines Alexandri Pheræi tyrannidē exercentes ex oppidis eiecit. Cum aūt in Eubœā traductis ex Macedonia copiis vrbes aliquot occupasset, Phocion clarissimus Athenienſiū dux præsidia Macedonica iterum agro atq; finib. Eubœę exterminauit. Huius viri vita plena honestorum exemplorū cum accurate à Plutarcho descripta sit, magnopere studiosis hortator sum vt eā cognoscāt. Fuit.n. & vir vere bonus, qualē nasci difficile est, videl. pedibus manibus & mente τετράγωνος.

Primum Phocion fuit eloquens orator, qui amauit genus dicendi pressum, sententiosum & graue reiectis & repudiatis omnibus ambagibus verborū nō necessariis. Itaq; Demosthenes solitus est appellare Phocionē gladiū suorum verborū. Phocion hāc vocem semper in ore habuit de garrulis oratoribus: Oratio talium hominum est similis cupresso, quę arbor etsi est alta & procera, nullum tamen fructum gignit. Secundo Phocion fuit συμβιβαστικός, id est, conciliator voluntatum, fuit auctor pacis & concordiæ, & gluten quoddam, quod animos voluntatesq; hominum coniungit. Tertio Phocion fuit integerrimus vir ac tanta fide præditus, vt pecunia corrumpi non posset.

Cæterum anno quarto Olympiadis 109. Philippus Byzantium obsidione cinxit & Alexandro filio gubernacula regni Macedonici tradidit.

De Olympiade 110.

HÆC Olympias res gestas Timoleōtis Corinthij & postremum Philippi actum cōtinet. Nam Timoleon à Syracusanis accersitus Siciliam tyrannide Dionysij iunioris liberauit, qui post mortem Dionis mirabili arte regnū recuperauerat. Sed de his rebus omnib. infra Iustinus libr. 21. & Plutarch. in vita Timoleontis. Philippus vero cum ad Cheroneam Athenienses prœlio vicisset, & maiores res animo conciperet, à Pausania in magna celebritate interfectus est.

IN LIBRVM VNDECIMVM HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

DE ALEXANDRO MAGNO.

OLYMPIADE CXI. hoc est, anno mundi 3628. & annis ante Christum natum 304. Alexander Magnus Philippo patri successit. Primum autem quantis donis à Deo ornatus fuerit Alexander, consideremus. Magnum decus fuit, quod cæteris regibus omnibus à Deo prelatus est, & donatus orbis terrarum imperio, opibus, multis gloriosis victoriis. Hæc suspiciunt, admirantur, magnifaciunt omnes: & esse Dei beneficia magnifacienda verum est, sed alia diuina ornamenta longe maiora etiam aspiciamus, quæ vulgus non perinde miratur. Erat in Alexandro admiranda naturæ vis, sapientissimos senes cõsilio vincebat propter ingenij sagacitatem, qua & diiudicare optima poterat & prospicere euentus. Deinde quanta celsitudo animi fuit coniuncta cum amore iustitiæ & moderatione, despiciens pericula & labores? Quanta erga suos beneuolentia & comitas? deniq; nullius regum Ethnicorum omnium, qui nobis noti sunt ex historiis, tanta virtus fuit, quanta fuit Alexandri, cum adhuc sanus esset, hoc est ante captam Babylonem. erat que ingenium eius longe maius decus, quam ipsa imperij poss. ssio. Qualis autem fuerit & quantum mutatus ab illo Alexandro post captam Babylonem, ipsa historię series lucide non obscure declarabit. Nunc ordine præcipuas

Seneca in 2. de ira. *Nihil est magnum quod non sit placidũ. Parcere prostratis scit nobilis ira leonis,*

cipuas

cipuas res Alexandri à Iustino omissas annotabo, easq; in 12. annos distributas proponam.

De primo anno.

CVM Alexander diuinitus excitatus esset ad constituendam tertiam Monarchiã, fuerunt in eo excellentes & fausti impetus, qui superant vires omnes humanæ naturæ. Etsi igitur multæ gentes post obitum patris nouis rebus studebant, & hunc iuuenem excutere conabantur: tamen omnes in ordinem redactę sunt ab Alexandro, partim consilij sapientia, partim felicitate in dimicando. Nam vt Illyrios & Syrmum regem Triballorum omittam, quos ingenti prælio superauit; Thebas certe sic domuit, vt clades eius vrbis aliis omnibus terror esset. Si quis autem requirit, quæ causa Alexandrum impulerit, vt Thebas funditus deleret, nihil est quod expedire tam facile possimus. Etenim Thebanis certum deliberatumque erat, Macedonica præsidia ex arce Cadmæa eiicere & Alexandro titulum imperatoris Græciæ eripere. Deinde cum ante oppugnationem Alexander hoc præconium fecisset se publicam fidem dare iis, qui communis pacis cupidi Thebas relinquerent: Thebani contrarium præconium fecerunt, omnes debere socios esse Thebanorum, qui vel amore libertatis, vel odio tyranni arderent. His causis accensus Alexander Thebas expugnatas 20. die Augusti funditus deleuit, sex millibus interfectis, & 30000. sub hasta venditis excepta familia Pindari: item sacerdotibus & hospitibus Macedonum, aliisque, qui pacis auctores fuerant.

Narrat etiam Plutarchus in vita Alexandri historiam dignam memoria de Timoclea, quæ declarat quanta felicitas sit incidere in hostem sapientem. Thraces quidam direptione vrbis impressionem fecerant in domum nobilissimæ matronæ Timocleæ. Cum autem dux illorum violasset casti pudoris decus, quod in matrona emicebat, iussit sibi aurum sub terram abditum monstrare. Timoclea dissimulato dolore, quem ex violatione castitatis ceperat, impurum militem remotis arbitris in hor-

tùm deduxit ac digitum intendens in puteum ficto non modo sermone,sed etiã vultu affirmabat, eum in locum se omnes thesauros omnemq; mundum muliebrem ante vrbis oppugnationẽ abiecisse. Cum igitur miles impius & auarus oculis humi defixis prædam auide appeteret,à Timoclea in puteum præcipitatus & saxis obrutus pœnas libidinũ persoluit.Postea vero captiua a militibus ad Alexandrum abducta non solum gestu & actione corporis maiestatem heroicam præ se tulit,sed ẽt regi interroganti, quænam esset,non dubitans respondit, se sororem esse Theagenis, qui in pugna ad Chæroneam fortiter dimicans pro libertate Grçciç occidisset.Rex admiratus constantiam muliebrem & in respondendo & in vindicatione castitatis permisit ei cum liberis quo vellet abire.

De secundo anno.

ALtero anno traiecit Alexander in Asiam & cum satrapis Darij ad Granicum Phrygiæ flumen dimicans diuinitus seruatus est. Nam cum ei dux Persicus Spithrobates galeam excussisset & incitato equo nudatum iam interfecturus esset, Clytus interueniens Alexandrum protexit & ducem Persicum occurrentem hasta transfixit. Tales heroum cõseruationes ad Deum referendæ sunt, qui cum seruet aut mutet imperia, duces heroicos sæpe custodit peculiari modo. Post hanc victoriam omnes prouincias & vrbes Asiæ vsq; ad Ciliciã occupauit, nec dissimilis fuit sagittæ contortæ valida manu,vt Psalmus inquit,quæ ferit omnia & prosternit,quç petit.

Homo homini Deus aut lupus.

De tertio anno.

MEmorabilis est sententia in Psalmo,*Nisi dominus ædificauerit domum, &c.* quæ monet irritos esse labores & conatus humanos,nisi à Deo adiuuentur ac prouehantur.Hæc sententia fit illustrior cũ transfertur ad principes infelices,qui non adiuuantur diuinitus.Quanta erat solicitudo Darij, quanti apparatus cõtra Alexandrũ?& tamẽ non respondebãt successus.Nam tribus ingentibus præliis ab Alexandro victus est,primũ ad Granicũ;deinde ad Issum Ciliciæ;Tertio ad Arbelam.

Disca-

Discamus igitur hoc exemplo admoniti felicitatem singulare Dei opus & donũ esse, & imperia non humanis cõsiliis aut pſidiis retineri, sed à Deo mutari & cõstitui.

Quis autem non iure miretur Alexandri comitatem & beneuolentiam erga matrem, coniugem & filias Darij captas in pugna ad Issum Cilicię? Vt enim in acie laudem habet illud genus animi, quod Plato δορυφορικὸν nominat; sic in victoria & summa potestate omniũ rerum maximum decus est ἡγεμονικὸν, quod aureum fręnũ Palladis Pegaso indomito iniicit. Laudanda est igitur moderatio Alexandri, quà & à captiuis mulieribus forma præstantibus abstinuit, & re probauit illud Senecæ, *Nihil est magnum quod non sit placidum.* Sed quoniam hęc & alia multa à Iustino satis luculente exponuntur, ad sequentis anni historiam accedo.

De quarto anno.

IAddus in populo Dei summum sacerdotiũ tenuit decem annos sub Arsame & Dario vltimo vsq; ad Alexãdrum magnum. Alexandro autem magno Tyrũ obsidenti & auxilium ac tributum ab ipso petenti, quod antehac Persis Iudæi soluissent, respondit Iaddus, se Dario viuente, cui iurauerit, aliũ dominum non agnoscere. Fuit.n. Iudaica gens tributaria Persicorũ regum fere à tẽpore reditus ex Babylone. Quare iratus Alexander post captum Tyrum & Gazan cum infesto exercitu ad Ierosolymorum vrbem ascendens vi subigere Iudæos cogitabat. Sed Iaddus per somniũ monit⁹ sumto ornatu sacerdotali cum omnib. sacerdotibus ac ciuib. Alexãdro supplex occurrit, qui cõspicatus summũ sacerdotẽ, ad pedes desiliit & adorauit. Deinde Parmenioni cõsiliario rogatus cãm cur hosti supplicanti ipse prior quasi fieret supplex, respõdit, in Macedonia adhuc cogitanti sibi de Asię imperio p quietẽ tali specie & habitu, qualẽ hic cerneret, visum virũ auctorẽ fuisse suscipiẽdæ expeditionis in Asiã & spẽ successuũ fecisse. Inde ingressus cũ exercitu in vrbẽ Alexãder nõ modo hostile nihil fecit, verum ẽt peracto sacrificio tẽplum donariis magnificis ornauit, & decedẽs αὐτονομίαν, id est, libertatẽ legis patriæ tenendæ & septimi anni, quo agri non conseruntur, immunitatem Iudæis concessit. Hæc historia extat apud Iose-

phum libro 11. antiquitatum Iudaicarum, capite vltimo.

De quinto anno.

QVintus annus in ædificatione Alexandriæ & in peregrinatione ad Iouem Hammonem, quem Arabes & Ægyptij errore coluerunt, consumtus est. Potest autem ex libris Mosis facile iudicari, eas gentes ortas ab Hammo filio Noe, retinuisse nominis memoriam.

Vide 10. cap. Genes.

De sexto anno.

HOC anno de summa imperij dimicatum est à Dario & Alexandro ad Arbela Assyriæ, 26. Augusti. Estque eo die Monarchia à Persis translata ad Græcos, Darij ingentibus copiis victis & interfecto à cognatis Dario rege in fuga. Hoc postremum prœlium vndecim diebus eclipsis Lunæ antecessit, cumque nonnulli prodigio mouerẽtur, vaticinatus est Aristander, eo mense Babylonem profligato Dario venturum in potestatem Alexandri, & quia periculosum certamen futurum erat, iussit humana hostia litari. Cætera quæ ad historiam 6. annorum Alexandri ante captam Babylonem pertinent, ex Iustini lib. 11. studiosi assumant. Item ex decimo septimo libro Diodori Syculi, & ex vita Alexandri descripta à Plutarcho.

Ouid. *Omnia sunt hominum tenui pendentia filo. Et subito casu, quæ valuere, ruunt.* Huius habemus exẽplum in Dario rege Persico.

Tyrus Hebraice vocatur צור, id est, munita, fuit enim locus eius vrbis arte munitus.

In Alexandro fuit temperamentum cholericum, fuit irasci facilis, sed tamen placabilis.

Carthagine condita.)

CArthago idem significat, quod ciuitas Dei à עיר, id est, ciuitas, & יה, id est, Iehoua.

Didonis.)

DIdo significat dilectam, sicut Dauid, à verbo Hebraico. דעד, id est, dilexit.

Sichæus

Sichęus habet nomen ab Hebraico nomine שכם, id est, humerus, est autem omnis magistratus שכם, id est, humerus quasi dicas gestator multorum onerum.

Pygmalion habet nomen ab impressione, qua vsus est in interficiendo affine suo Sichæo.

Dido annis 143 post ædificatum templum Salomonis, hoc est, a condito mundo anno 3076. condidit in Africa Carthaginem teste Iosepho libr. 1. contra Appionem grammaticum.

De septimo anno.

POST captam Babylonem & direptam Persepolin Alexander remissa priore animi intentione dedidit se obscœnis voluptatibus, heluatus est, interfecit ebrius amicos, sæuiit in duces fideles & optime meritos, pollutus est libidinibus. His flagitiis addidit manifestas contumelias aduersus Deum, credi voluit se supra mortaliū conditionē quiddam diuini numinis habere, non agnoscebat se res tantas Deo æterno iuuante gessisse, sed suæ sapientiæ & virtutibus hanc gloriam tribuebat. Prodibat interdum cornutus, vt Iupiter Hammon: interdum vt Diana: denique intolerabili petulantia ludebat. Secutæ sunt igitur tristissimæ pœnæ, de quibus suo loco dicam. Nunc, quod instat, agamus, & quid quoquo anno vsque ad mortem Alexandri gestum sit, videamus. Hoc anno Alexander Philotam filium Parmenionis propter futiles quasdam suspiciones interfici iussit. Deinde patrem optime meritum senem è medio tolli curauit, vt malefacta malefactis pertegeret. Hæc iniusta crudelitas multorum animos ab Alexandro abalienauit, & primus gradus fuit ad ruinam, quæ aliquanto post secuta est.

Luxuriant animi rebus plerumq; secundis.

Nec facile est æqua cōmoda mente pati. Plautus.

Malefacta malefactis pertegito, ne perfluant.

De anno octauo.

ETsi autem multæ Alexandri actiones reprehēdendæ sunt: tamen seueritas, quam in puniendo proditore Darij exercuit, laudanda est. Etenim Bessum prodi- *Lib. XII.*

Seneca. *Consuetudine insania vicia durata, vino concepta etiam sine vino valēt, id est, homo ebrius non tātum peccat tantisper dum corpus repletum est vino & fumis, sed etiam multo post est insanus.*

proditorem sui domini, duabus arboribus incuruatis alligatum, iisdemq; in altum tendentibus discerpsit. Eodem anno ebrius Alexander sæuiit in Clytum, qui in pugna ad Granicum Alexandrum periclitantem seruauerat. Sed verissimum est Senecæ dictum: *Aularum lenta beneficia, præcipites iniuriæ.*

De anno nono.

HOC anno Alexāder aduersus Indos expeditionem suscepit & in pugna Porum Indiæ regem cepit, qui interrogatus, quomō modo tractari vellet, Pro regia dignitate, respondit. Rursus interrogante Alexandro, num quidquā præterea expeteret, Omnia, inquit, regia dignitas continet. Quamobrem eum non modo in pristinā possessionē restituit, sed etiā imperium eius auxit.

Aristoteles. *Beneficium est dandum κατ' ἀξίαν & dantis & accipientis.*

Eodē anno Harpalus thesaurarius Alexandri, de quo Diogenes Cynicus dicere solebat, Harpalum, qui tēporibus illis prædo fœlix habebatur, contra Deos testimoniū dicere, ꝙ in illa fortuna tādiu viueret, relicta Babylone Athenas confugit, sed à populo Atheniēsi repulsam passus in Cretam abiit, vbi à quodam amico interfectus Deos absoluit, vt de Ruffino Claudianus inquit:

Abstulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum,
Absoluitq; Deos, &c.

De anno decimo.

HIC annus insignis est morte Hephæstionis, qui Alexandro propter assentationem alludentem ad affectus domini gratior fuit, quā omnes sapientes consiliarij & viri fortes, iuxta versus Menandri.

Ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται,
Πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων: δεύτερος,
Ὁ συκοφάντης: ὁ δὲ κακοήθης τρίτος,
Ὅς ἐστι μηχανορράφος κακῶν, hoc est,
Hac vita gaudet improbus potissimum,
Sed assentator omnium primas tenet,
Viuitq; longe iucundissime omnium,
Deinde Sycophanta proximus est honos,
Audire enim calumnias dulce admodum.

Mæuius. *Calumniare audacter quia semper aliquid hæret.*

At ter-

At tertius conceditur locus inuido,
Artes nocendi qui scit astutissime.

De anno 11.

HIC annus nihil insigne habet nisi prædictionem Chaldæorum, quod genus sapientum & doctorum habebatur in Babylone; de interitu Alexandri.

Chaldæi fuerunt diligentes obseruatores motuum cælestium, & longi temporis obseruatione multos effectus syderum notarunt, qui pertinerent ad vitam hominis.

De anno 12.

POstremo anno Alexander in funus Hephæstionis effudit duodecim millia talentorum, hoc est, 72. auri tonnas, vt nos appellamus. Postea cum nimium hausisset vini in conuiuio funebri Hephæstionis & sibi ardentissimam febrim accersiuisset, die 28. Iunij mortuus est, anno ætatis 32. anno regni 12. ante Christum natum 323. Hac ruina simul oppressa est vniuersa domus. Aliquanto post mater Olympias, soror Cleopatra, vxores duæ, Roxane & Barsine, duo filij Hercules & Alexander, interfecti sunt, ab ipsius commilitonibus. Quod exemplum commemorari potest illustrius inconstantiæ rerum humanarum? Huius tanti regis familia & posteritas toto orbe terrarum nullum fidum amicum habuit ex illis ipsis, quib. ipse prouincias dederat, & quos euexerat. Cassander Antipatri filius, qui adolescens apud Alexandrũ educatus erat, interfecit primum Olympiada Alexandri matrem, postea Roxanem & eius filium Alexandrum, & præter hunc alterum filium Herculem ex Barsine natum. Hanc gratiam alumnus principi bene merito reddidit. Narrat hæc Pausanias in Bœoticis de Cassandro, pagina 228. Sororem vero Cleopatram præfectus Sardium interfecit, vt Antigono gratificaretur, etsi is negauit suo iussu interfectam esse: fuit enim frater Philippi Nothus. Recensui calamitates familiæ Alexandri, quæ cum non acciderint casu profecto nos de ira Dei admonent. Multa Deus flagitia in hac vita punit, sed cogitemus restare iudicium post hanc vitam, in quo in æternas pœnas coniiciuntur omnes, qui vitam non emendant.

DE

DE SVCCESSORIBVS ALEXANDRI.

Lib. XIII. VEnuſtiſſime & ſapientiſſime dixit Demades, Alexandro mortuo exercitum eius ſimilem eſſe Cyclopi effoſſo oculo. Vt enim enim illa magna moles amiſſa luce oculi varie errantes impetus & inutiles habuit: ita exercitus ſine duce varie ruebat & nullum certum regnum conſtituere poterat. Quotidie noua fœdera, nouæ diſtractiones ſociorum fiebant. Qui paulo ante inter ſe ſanctiſſimis fœderibus coniuncti fuerant, poſtea facti hoſtes mutua laniena peribant, ac declarabant, nimis veram eſſe vocẽ, quæ extat in quadam Tragœdia Senecæ:

Non intrat vnquam regium limen fides.

Et illam Euripidis: *Si violandum eſt ius, regnandi cauſa violandum eſt, in cæteris pietatem colas.*

Porro quoniam Iuſtinus noſter libris quinq; luculẽte bella ſucceſſorum Alexandri deſcripſit, ſummam duntaxat eius hiſtoriæ à domino præceptore Philippo in commentario Danielis expoſitam recitabo, vt ſemper in conſpectu ſit & nos de iudicio Dei admoneat.

Cum poſt Alexandri mortem teneret regium nomen frater Aridęus, apud quẽ ſummus gubernator erat Perdiccas, prouinciæ inter duces diſtributæ ſunt, ita vt omnes Aridęo regi, & Perdiccæ parere iuberentur. Ambit igitur Perdiccas, quia auctoritate plus quam cæteri valebat, coniugium ſororis Alexandri Cleopatræ, & vt tolleret è medio eos, quos obſiſtere ſuis conſilijs arbitrabatur, iubet interfici Meleagrum, præfectum Alexandri: ſtruit inſidias Antigono, qui cum fugiſſet ad Antipatrum in Macedoniam, miſſus eſt Eumenes, vt bellum inferret Antipatro & Antigono, cum quibus ſe & Ptolemęus coniunxerat. Ducit igitur exercitum Perdiccas in Ægyptum vt Ptolomæum inde expellat, ſed deſertus ab exercitu ſuo Perdiccas, interficitur à ſuis equitibus tertio anno poſt Alexandri mortem. Ita primus auctor ſeditionis dedit pœnas, quæ late vagatæ ſunt. Mox enim

& fra-

& frater Perdiccæ Alcetas interfectus est, & eius soror. Alibi vero cum Eumenes dimicasset cũ Antipatri exercitu perierũt Craterus & Neoptolemus. Hęc fuerũt initia ingentiũ motuũ. Tot.n interfectis ducib. iam odia exarsesant, & noua fœdera fiebant, & se singuli ad noua certamina præparabant. Duo autẽ omniũ erant acerrimi Antigonus, & Eumenes. Hi inter se dimicantes reliquos in partes traxerũt. Tandem Antigonus victor cepit Eumenem proditione deditum à militibus, eumq; interfecit. Fuerat autẽ Eumenes scriba apud Philippũ, & Alexãdrũ, & in his tumultibus ostendit, se non suæ vtilitati seruire, sed propugnare hæredes Alexandri matrem, sororem, coniuges, & filios, & quia multum valet in conciliandis, & retinendis voluntatibus mediocrium hominum species officij, ac præsertim pietas erga pupillos, hoc titulo veteranos Macedonas sibi adiunxit, ac deuinxit. Sed secuta sunt longe maiora, & difficiliora bella. Mortuo Aridęo singuli duces sibi vindicare prouincias oportunas conabantur. Cassander filius Antipatri, vt retineret Macedoniam, interficit duos filios Alexandri Magni, vt supra dictum est. Asiam tenebat Antigonus cum filio Demetrio. Ptolemæus Ægyptum, Seleucus Syriam & vicinas prouincias ad Persiden vsque. Causam vero noui belli inter cæteros Cassandri furiæ præbuerunt, qui vt scelerum pœnas daret, bellum mouit aduersus Antigonũ erepturus ei quasdam in Asia prouincias. Fecerat autem societatem cum Lysimacho, Ptolemæo, & Seleuco, qui crescentem Antigoni potentiam metuebant. Etsi autem Antigonus videbat quanta belli moles impenderet: tamen non frangebatur animo, & primi successus aduersus Cassandrum eum confirmauerunt. Hunc iudicauit hostem Antigonus propter interfectam Olympiada & coegit tradere vrbes & exercitus in Asia. Postea Seleucum & Ptolemæum adortus est, id fuit longum, & difficile bellum. Demetrius Antigoni filius primum a Ptolemæo ad Tyrum acie victus est, vbi cum tabernaculum Demetrij instructum apparatu regio cepisset, Ptolemæus, integrum ei apparatum vna cum captiuis restituit, significans se de gloria non de opibus certare. Aliquanto post Demetrius cum Ptolemæi ducem

cem Cillem, & octo millia militum subito oppressisset, vt sine certamine fieret deditio, memor accepti beneficij cumulate reddidit gratiam. Nam & ducem incolumem & exercitum Ptolemæo remisit iussum Syria excedere. Ita inter se non solum virtute in acie, sed etiã humanitate, & moderatione principes illi certabant. Ad extremũ de summa rei dimicatum est ab omnibus regibus, non procul ab Ephesо. Erant in alteris castris Seleucus, filius Antiochus, Lysimachus, Ptolemæi auxilia: in alteris castris erant Antigonus & filius Demetrius. Nocte ea, quæ præcessit pugnam, visus est per somniũ Alexander magnus Antigono dicere, se iam ad hostes transire. Eo somnio euentũ sequentis pugnæ Antigonus significari arbitratus, filiũ successorẽ dixit coram exercitu. Postea in prælio dum Antiochum Seleuci filium Antigonus effusius insequitur, circumuentus ab equitatu Seleuci interficitur, cum iam 80. annum attigisset. Dissipato exercitu filius Demetrius fugit Athenas & aliquanto post bellum instaurauit, sed captus a Seleuco non diu superstes fuit patri.

Iam restabant ex ducibus Alexandri duo tantum, qui hactenus socij fuerant, Seleucus, & Lysimachus tenens Thraciam, Macedoniæ partem. Hic Lysimachus cum satelles esset Alexandri, cum Callistheni fuisset familiarior, leoni obiectus est, sed cũ interfecto leone mansisset incolumis; postea Alexandro propter virtutẽ charior fuit. Vt autem reliquam historiam Lysimachi omittam, hoc tamen adijciam: Strabo scribit bellum gerentem cum vicinis Getis in acie captum esse, & ductum in Geticam, vbi rex Geticus cum ostendisset quotidianam vitæ & gentis consuetudinem, qua durissime victitans, & robore præstans facile alijs nationibus in re militari antecellebat, adhortatus est Lysimachum, vt tales vicinos mallet amicos quam hostes habere, & habiturum amicos, si ipsis arma non inferret; deinde honorifice donatum dimisit nihil pactus nisi pacem. Pausanias narrat, filium captum esse. Sed vter fuit, humanitas laude digna est & significat, in ea gente, quam Geticam fuisse constat, virtutis intellectum & studium fuisse. Sed hic quoque Lysimachus libidine virtutes suas deformauit,

soror.

sorores duas duxit & ex vtraq; liberos suscepit, sed altera alterius filium interficit, postea mater profuga latebras quæsiuit apud cognatos reges. Hinc causa belli orta est inter Seleucum & Lysimachum, quam recitat Pausanias. Perijt igitur Lysimachus victus a Seleuco, qui tenens iam maximam monarchiæ partem solus ex ducibus Alexandri superest. Itaq; tantis elatus successibus sperat se etiam Macedoniæ & Græciæ imperio potiturũ esse. Cumque bellum transferret in Europam septimo mense post Lysimachi mortem interficitur à Ptolemao Cerauno, qui cum esset frater Ptolemæi Philadelphi regnantis iam in Ægypto, nauigarat in Europam vt Macedoniam occuparet, nec multo post hic Ceraunus à Brenno duce Celtico vastante Macedoniam in acie interfectus est.

Serpens non fit Draco, nisi multos serpentes deuoret.

Pene defatigatus sum recitanda horum gladiatorum laniena, in qua si quis humano iudicio confusionem aspiciat, fortuitas existimet esse regnorum constitutiones & mutationes, at pij aliter iudicent, sciant à Deo puniri cum principum tum populorum scelera, & tamẽ postea restitui ordinem alias felicius, alias tristius. Tandem vero post tot ingentia bella Deus hæc ingentia regna ita partitus est. Ptolemæi posteritas retinuit Ægyptum vsq; ad Iulij cæsaris tempora. Seleuci filius Antiochus possedit Asiam & Syriam, sed posteri Asiam amiserunt partim ab Eumene Bithynio, partim à Galatis. De Macedoniæ possessione diutius certatum est, sed ad extremum posteritas Demetrij, qui fuit Antigoni filius captus à Seleuco, vt dixi, tenuit Macedoniam, donec eam Romani occuparunt. Cassandri & Lysimachi filij adolescentes teterrimis parricidijs perierunt.

IN LI-

IN LIBRVM XIII. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

LIBELLVS 13. Iustini continet 4. historias præcipuas, quarum prima est de partitione prouinciarum post mortem Alexandri Magni. Vt enim catuli prædam à leone propositam lacerare solent: ita successores Alexandri prouincias inter se partiti sunt. Altera historia est narratio de bello Laconico, quod Antipater præfectus Macedoniæ gessit cum Atheniensibus & Ætolis. Antipater tandem vicit. Tertia historia est dulcis narratio de conditione clarissimæ vrbis in Africa Cyrenes, cuius vrbis sæpe fit mentio in actis Apostolorum. Quarta historia huius libelli continet expositionem belli, quod Perdiccas intulit Ptolemæo. Vt autem seditionum faces regulariter pœnas persoluunt, iuxta regul. *Qui gladium acceperit, &c.* Ita Perdiccas primus auctor seditionis interfectus est in Ægypto. Complectitur autem hic libellus spacium trium annorum à morte Alexandri.

Eobanus Psalmo 103.

Mimus. *Fortuna vitrea est, cum splendet, frangitur.*

Est homo persimilis fœno per prata virenti,
Vt breuis in pingui quæ rosa floret agro.
Quam simul attigerint vrentis flamina venti,
Aret & exiguo victa calore iacet.

Regula Historica.

Omnium magnorum virorum obitus sunt *κρίσιμοι*, id est, & significant & afferunt magnam mutationem rerum publicarum.

IN

IN LIBRVM XIV. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

LOCVS COMMVNIS DE INCONstantia vitæ humanæ, præcipuus est in hoc libro 14.

QVis enim cogitationem de vitæ humanæ inconstantia suscipiens non metuat varias & incertas in vtramque partem fortunæ inclinationes? Quis præterea elatus magnitudine successuum altiores spiritus, quam pro humanæ naturæ infirmitate gerat? Nam hæc vita cum prouidentia Dei regatur, alternas habet bonorum & malorum conuersiones. Quare nihil quod accidit homini nouum existimemus, nihil repentinum miremur, nihil non aliquãdo putemus aut posse accidere, aut non quandoque etiam accidisse. Cum igitur historiæ de mutatione fortunæ concionentur, discamus in rebus secundis esse moderati, in aduersis patientes & firmi.

Vide Diodorum Siculum libro decimo octauo.

IN LIBRVM XV. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

Perdiccas & frater eius.)

EMPEDOCLES Physicus ita dixit:
Sic res iungit amor, sed non durabile quidquam.
Nascitur, inque vices mutantur cuncta subinde.

Antigonus.)

SOcietas est exęquatio lucri & damni. Leonina vero societas est, tantum velle frui commodis, & non velle sustinere periculum.

In quo prælio.)

Latius regnes auidum domando
Spiritum, quam si Lybiam remotis
Gadibus iungas, & vterq; Pœnus
Seruiat vni.

Inquit Horatius. Et Plato: *Pulcerrimum genus victoriæ est vincere se ipsum.*

Dum hæc aguntur.)

Noua narratio de interfecta Roxane vxore Alexandri & eius filiolo à Cassandro, cuculo illo ingrato.

DIODORVS SICVLVS VXOREM DEMETRII Philen his verbis prædicat. lib. 19.

PHile Antipatri filia duob. clarissimis viris nupta fuit, Cratero primũ, deinde Demetrio. Hæc femina excellenti sapientia & virtute prædita fuit. Etenim sua moderatione, &, vt ita dicã, applicabilitate multos milites à seditiosis consiliis ad studium concordiæ reuocauit. Deinde

inde plurimas virgines non satis instructas à re familiari dotauit, & dotatas in matrimonium collocauit. Multos præterea calumniis iniuste circumuentos capitis periculo liberauit. Narrant etiam Antipatrum, qui sapientia pletisq; gubernatoribus suę ætatis antecellere iudicabatur, multa consilia de rebus maximis cum Phile cōmunicasse. Sed nō minima laus est huius matronæ, quod filium Antigonum moderatissimum regem peperit, qui, cum Pyrrhi interfecti caput ad eum allatū esset & filius Helenus deditus, hunc in regnum paternum remisit, eique caput & ossa patris dedit regio more condenda.

Erasmus Roterodamus dimidium partem bonorū suorum legauit honestis puellis non bene instructis à re familiari, ut quotannis duæ virgines dotata veste sponsali & 20. fl. collocarentur in matrimonium.

Plutarchus.

SIcut histriones in scena simul cum habitu mutant gestum & sermonē: ita successores Alexandri magni, sumto regio titulo multa in moribus mutarunt. Honores mutant mores, sed raro in meliores.

Sed virtutis experimentis.)

Tota licet veteres exornent vndiq; ceræ
Atria: nobilitas sola est atq; vnica virtus.
Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Aeacidæ similis, Vulcaniaq; arma capessas.
Quam te Thersitæ similē producat Achilles.

Callisthenes fuit cognatus & discipulus Aristotelis, de huius oratione ita iudicauit Aristoteles: In oratione, inquit, Callisthenis est flumen verborum & gutta mentis Groß Geschrey vnd wenig Wollen.

Ouid. *Qui sapit, innumeris moribus aptus erit.*

Iuuenalis *Satyra 8.*

LOCVS SOPHOCLIS DE FORTVnæ inconstantia citatus à Plutarcho in vita Demetrij.

VOluitur assidua mea fortuna tota, atq; statim permutat veluti luna faciem, quæ duabus noctibus nunquam retinet vnam eandemq; formam, sed primum nouam induta figuram ex occulto parumper emergit, deinde pedetentim crescit, donec plena atq; integra facta, rursus ad interitum properat.

Priusquam bellum.)

ILlustris descriptio Seleuci regis Syriæ post Alexandrum magnum. Fuit princeps iustus & clemens & beneficus erga ecclesiam, & populum Dei. Concessit enim eis αὐτονομίαν.

Pater Seleuci fuit Antigonus, mater Leodice. Fuit natus in Macedonia. Seleucus ædificauit Antiochiam & à patre nomen imposuit, quæ est sita in Syria non procul à Iudæa, & harum ciuitatum Antiochiæ & Seleucæ sæpe fit mentio in actis Apostolorum. In hac vrbe Antiochia fuit Ecclesia & schola vel Academia celeberrima post Apostolos, & in hac vrbe Christiani, qui antea Galilæi nominati erant, suum nomen sortiti sunt.

IN LIBRVM XVI. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

TRes sunt loci præcipui in hoc libro 16. Primus continet exemplum iræ Dei aduersus posteritatem Cassandri, quæ propter ipsius Cassandri & patris eius scelera deleta est. Congruit hic locus cum Theocriti sententia:

ἐυσεβέων παίδεσσι τὰ λώια: δυσσεβέων δ' ὔ.

Id est, *Piorum liberis bene erit, malorum vero secus.*

Breuis sentẽtia sed grauis. Impiorum liberi plerumq; in pœnis hærent, quas meriti sunt maiores. Alter locus recitat bella, quæ Demetrius rex filius Antigoni post mortem patris gessit cum Lysimacho, Pyrrho & Seleuco. Tertius locus est insignis historia de Heracliensibus, quæ proponit exemplum sententiæ Salomonis cap. 25. Prouerb. de beneficiẽta erga hostem exercẽda. *Si*, inquit, *inimicus tuus esurierit, pasce eum: si sitiet, præbe illi potum.*

Quod

Quod cum feceris, congregabis super caput eius carbones ignitos, id est, cum aduersarius animaduertet, te non certare superbia & odio, pudore mouebitur, vt ipse quoque aliquid remittat de superbia & odio.

Vxor Cassandri paulo post.)

EGregia historia apud Iustinianum imperatorẽ extat. Bassianus tyrannus Romanus cupiditate regnãdi inflatus fratrem Getam impio & nefario scelere interfici iussit, sed ne videretur se sine prætextu iuris polluisse nece fratris, ad se accersi iussit Papinianũ Iureconsultum, à quo petiuit, vt apologiã defendẽtem vel excusantem hoc scelus scriberet. Cum autem Papinianus homo grauis & memor suæ professionis & tituli, non vellet scribere apologiam petitam à rege, dicens: Non tam facile excusatur quam perpetratur parricidium, ibi mox è medio iussit tolli hunc virum optimum, vt scelus scelere pertegeret, ne perflueret, vt Plautus inquit.

Plutarchus in vita Pyrrhi venustissime inquit: Reges vtuntur nominibus pacis & belli, item fœderib. & iuramentis, tanquam numis ad præsentem occasionem accommodatis.

Turpiter se Seleuco dedere maluit.)

PLutarchus in vita Demetrij duo insignia exẽpla recitat, alterum humanitatis Seleuci erga captiuũ regem Demetrium, alterum pietatis Antigoni filij erga patrem Demetriũ. Seleucus capto Demetrio non insultauit tyrannice & cẽtaurice, sed sibi gratulatus est occasionẽ bene merendi de Demetrio & declarandi suã erga hunc regem iam pridẽ florẽtissimum, humanitatem, & postea regio more tractauit captũ Demetrium. Deinde Antigonus filius Demetrij laudatissima matre Phila, de qua supra dixim⁹, natus, nõ modo reges omnes solicitauit ad intercessionem pro patre captiuo, sed ẽt sese obtulit pro patre obsidẽ apud Seleucum, ac nisi pater Demetrius intemperantia intempestiuã mortẽ sibi accersiuisset, haud dubie Seleucus motus pietate filij, patrem in veterẽ libertatem ac dignitatẽ restituisset. Qualis autem sepultura fuerit Demetrij, filio eam magnis sumtib. procurante, in postrema pagella vitæ Demetrij apud Plutarchum narratur.

Contra ius gentium.)

TRiplex est ius: Ius naturæ, ius gentium & ius ciuile. Philosophi tantum duas species iuris constituunt; Ius naturale & ius positiuum. Ius naturæ est quod natura docet omnia animantia, vt educatio, procreatio, defensio sobolis est ius naturæ, & hoc ius est nobis commune cum pecudibus. Ius gentium est quod omnium gentium consensu natum est, vt contractus, emptio, venditio, &c. Ius ciuile est ius peculiare alicuius ciuitatis, est norma, iuxta quam necesse est omnes ciues eiusdem Reipublicæ viuere. Aristoteles multo eruditius diuidit & definit ius. Ius naturale est notitia principiorum practicorum & cõclusionum inde extructarum de agnitione Dei. Ius positiuum est determinatio alicuius circumstantiæ, quæ est addenda iuri naturali.

Mortem in patria omnibus præoptantibus.)

Ouid.

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos,
Ducit & immemores non sinit esse sui.
Non parua est Ithaci sapientia, sed tamen optat
Fumum de patriis posse videre focis.

Plebem nimio ocio lasciuientem.)

PLato. Nimia libertas populo exitialis est, & nimia seruitus pari detrimento Rempub. afficit. In nimia libertate homines sumunt sibi licentiã omnium scelerum, nihil est tam scelestum, quo non ausint se polluere: econtra nimia seruitus est mors Reipub. ciuilis.

Auxilio à Timotheo.)

PLutarchus in vita Syllæ recitat memorabilem historiam de Timotheo, filio Cononis, quæ historia est digna memoria & consideratione, ad reprimendam Thrasonicam arrogantiam, quæ Deo & hominibus inuisa est. Timotheus dux Atheniensis fuit felicissimus bellator & vsus est singulari fortunæ fauore in prœliis, in quibus omnia prona ei fuerunt. Hoc fortunæ fauore elatus non agnouit, se Dei concessu & munere tantas res gerere, sed vt amens homo omnes euentus secũdos bel-

lorum suæ industriæ & virtuti ascripsit. Cum enim quidam inuidi pinxissent in tabula dormientem in castris Timotheum & ipso dormiẽte fortunam circumdantem retia vrbibus hostium, & ita tradẽtem vrbes hostiles Timotheo, ea pictura dicitur Timothe⁹ adeo offensus esse, vt non veritus sit hanc vocem pronunciare: *Hæc*, inquit, *ego feci, non fortuna*. Post hanc impiam vocem pronunciatam nihil vnquam bene feliciterq; Timotheo euenit, sed omnia retro relapsa sunt.

Exilio facinerosior redditus.)

SEneca. Nunquam eosdem mores, quos mecum extuli, domum refero. Hęc breuis sentẽtia monet nos, vt habeamus delectum sodalitiorum, nec temere adiungamus nos quibuslibet sodalibus, nec delectemur quibuslibet euagationib. sed se intra suos parieres quisque contineat: Es ist einer nirgent besser dann in seinem Hauß. Corrumpunt bonos mores colloquia praua.

Postea autem insidias.)

APud Euripidem cõtra Sophistas tyrannos, Andromacha decepta à Menelao sic inquit: O dignissimi odio Spartani & execrandi ab omnibus hominibus, mendaciorum architecti, flexiloquas ambages captantes, aliud dicentes & aliud sentientes, male pereatis. Andromacha vxor Hectoris capta Troia & marito interfecto, venit in potestatem Menelai, vna cũm filiolo Astyanactẽ. Cum igitur Menelaus durius tractaret miseram Andromacham, confugit illa ad aram supplex, vnde non erat fas auelli supplicem. Iubet igitur Menelaus Andromacham discedere ab ara, quod nisi faciat, minatur se interfecturum filiolum. Mater heroica anteferens salutem filioli suæ saluti discessit ab ara & se potius periculo obiecit, quam filium carissimum. Quod cum fecisset, Menelaus insultauit Andromachæ & inquit: Ego te interficiam, filia vero mea interficiet tuum filium. Hoc audiens Andromacha se deceptam esse exclamat.

Summa illius Tragœdia.

IN LIBRVM XVII. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

HIC liber Iustini decimus septimus, duos præcipuos locos continet, quorum primus est historia de postremo bello, quod inter se gesserunt duo commilitones Alexandri Magni, Lysimachus Thraciæ rex, & Seleucus Syriæ rex. Alter locus est narratio de incunabulis Pyrrhi regis Epirotarum, cuius etiam fit mentio apud Virgilium libro 3. Æneid. In priore loco proponitur exemplum humanæ imbecillitatis & fragilitatis. Nam Seleucus post victum & interfectum Lysimachum, cum videretur potiri rerum & euectus esse ad summum fastigium, subito præter opinionem de gradu deiectus, & à Ptolemęo Cerauno interfectus, præbuit specimen inconstantiæ & mutabilitatis rerum humanarum. Alter locus continet testimonium de prouidentia. Nam sicut Romulus & alij seruati sunt, contra naturæ ordinem diuinitus: ita Pyrrhus noster seruatus est diuinitus.

Exordij loco dictabo locum Liuij.

IVDICIVM HANNIBALIS de Pyrrho rege Epiri nato in familia Achillis.

LIuius libro 5. decadis 4. Claudius secutus Græcos libros Publium Africanum in ea fuisse legatione tradit, eumq; Ephesi collocutum cum Hannibale & ser-

& ſermonem etiam vnum refert, quod quærenti Africano, quem fuiſſe maximum imperatorem Hannibal crederet, reſpondiſſet, Alexandrum Macedonum regẽ, ꝙ parua manu innumerabiles exercitus fudiſſet, quodq; vltimas oras, quas viſere, ſupra ſpem humanam eſſet, peragraſſet. Quęrenti deinde quẽ ſecundum poneret: Pyrrhum dixiſſe, eum.n. caſtra metari primũ docuiſſe, ad hoc neminem elegantius loca cepiſſe, præſidia diſpoſuiſſe, artem etiam conciliandi ſibi homines eam habuiſſe, vt Italicæ gentes regis externi, quam populi Romani tamdiu principis in ea terra imperium eſſe mallent. Exequente, quem tertium duceret, haud dubie ſemetipſum dixiſſe: tum riſum obortum Scipioni, & ſubieciſſe: Quidnam tu diceres, ſi me viciſſes? Tum, me vero, inquit & ante Alexandrum & ante Pyrrhum, & ante omnes alios imperatores eſſe: & perplexum Punico aſtu reſponſum, & aſſentationis genus Scipionem nouiſſe, quod è grege ſe imperatorum, velut inæſtimabilem ſecreuiſſet.

IN LIBRVM XVIII. & XIX. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

HIC liber duas hiſtorias maxime memorabiles recitat. Vnam de rebus geſtis Pyrrhi: Alteram de origine clariſſimæ vrbis in Africa Carthaginis. Prior narratio longo ſermone expoſita eſt à Plutarcho in vita Pyrrhi. Altera narratio extat breuiter deſignata apud Virgilium *in 1. Æneid.* Quare hortator ſum lectoribus huius libelli, vt cum Iuſtino conferant vitam Pyrrhi deſcri-

ptam à Plutarcho. Sed nos iam priorem particulam percurremus.

Igitur Pyrrhus.)

FLorus, qui scripsit Epitomen Titi Liuij in ea Epitome causam belli exponit, quod exarsit inter Romanos, & Tarentinos. Tarentini elati fiducia suæ potentiæ, & suarum opum, freti coniunctione sociorum Samnitum, & Lucanorum, classem quādam Romanam occiso duce eripuerunt. Eam ob rem missi sunt legati à Romanis, qui cum Tarentinis de hac manifesta vi expostularent. Verum Tarentini, vt irritarent Romanos, nō solum auctores illius direptæ classis absoluerunt, sed etiam ipsos legatos contumeliose tractarunt. Hæc causa fuit, cur Romani indicerent bellum Tarentinis. Postea Romani tanta seueritate vindicarunt auctoritatem suorum legatorum, vt sæpe totas ciuitates funditus deleuerint propter violationē legatorum. Quo animo putamus Deum esse erga contemtores illos, qui legatos & ministros verbi sui tam horribiliter persequuntur.

Aduersus Bruttios.)

BRuttij & Calabri, sunt in extremo angulo Italiæ & hodie pertinent ad jurisdictionem ciuitatis Neapolitanæ.

Virgilius de imitatione domesticorum exemplorum quorum maxima vis est ad excitandam virtutem in animis generosis, *in 3. Aeneid.*

Ecquid in antiquam virtutem animosq́; viriles
Aut pater Aeneas, vel auunculus excitat Hector.

Hi versus significant maximam esse vim ad inflammandos animos generosos in exemplis domesticis alicuius familiæ. Hesiodus de Æacidis. Æacidę bello magis gaudebant, quam conuiuio.

De naufragio, quo grauiter dissipata est classis Pyrrhi legite Plutarchum in vita Pyrrhi.

Virg. 3. *Aeneidos.*

Res Agamemnoneas victriciaq́; arma secutus,
Fas omne abrumpit.

Appia

Appio Claudio.)

APpius Claudius cœcus cum propter ægritudinem oculorum priuatam vitam ageret, & à Repub. abstineret, nō potuit domi manere audita fama, quæ Romæ spargebatur, fore, vt Pyrrhus intra vrbem se reciperet. Ingressus igitur in senatum venustissime suam orationem exorsus est, in qua dissuadebat receptionē Pyrrhi intra vrbem. Ego, inquit, quotidie deploraui meam calamitatem, quæ me priuauit sensu oculorum, sed nunc optarim cum cœcitate surditatem coniunctam esse, ne cogerer audire tam indignas voces gloria maiorum nostrorum nominisq; Romani, &c.

Apud Plutarchum in vita Pyrrhi simile exordium extat. Leo orator Byzantinus volens placare populum seditiosum, cum & ipse esset obeso corpore, & haberet vxorem obesam, sic exorsus est orationē: Scio, inquit, vos mirari, quæ sit magnitudo eius thori coniugalis, in quo ego vna cum coniuge noctu dormio. Sed hoc possum affirmare, nos in angusto admodum thoro cubare, donec inter nos manet concordia, verum rupto fœdere concordiæ, tota domus quantumuis ampla non capere nos potest.

Antequam accedam ad historiam belli Punici, recitabo paucis seriem eorum, qui Alexandro M. in Ægypto, Syria & Macedonia successerunt. Ac primum dicam de regibus Ægypti.

REGES AEGYPTI

I.

PTolemæus Lagi filius, qui inter præcipuos Alexandri duces fuit, & exercitus in India duxit, vbi & vulnus accepit ictus telo, quod veneno infectum fuerat.

II.

PTolemæus Philadelphus prælatus fratri maiori natu, id est, Cerauno, rex à patre nūcupatus est, & commendatus principibus & ciuitatibus. Successit igitur patri & recuperauit Cyrenaicā: deinde nactus ocium cū sciret in Ægypto floruisse doctrinā de rebus cœlestibus &

eas artes, quæ ſunt coniunctæ illi doctrinæ, vetera ſtudia & reſtituit & auxit, & inſtruxit diſcendi cupidos bibliotheca copioſiſſima: cumque audiſſet, Iudæos prædicare ſuæ gẽtis antiquitatem & doctrinam, acceꝛſiuit inde interpretes, qui libros Moyſis & aliorum prophetarum in linguam Græcam conuerterent. Hæc vetus translatio propheticorum librorum in Græcum ſermonem vocatur 70. interpretum opus. Per hanc occaſionẽ credibile eſt aliquos in Ægypto & alibi tunc veram religionem amplexos eſſe, cum & libri legerentur & viri docti è Iudæis, qui verſabantur inter gentes, libere in textu Hebræo alios docere poſſent. Nam vox veræ Eccleſiæ Dei nunquam temere & fruſtra excitatur. Magnis autem beneficiis hic Philadelphus Iudæos affecit. Nam & populo vniuerſo immunitatem, & iis, qui in Ægypto ſeruiebant, libertatem donauit.

III.

PTolemæus Euergetes ingens bellum intulit Syriæ, vt vlciſceretur necem ſororis Berenices, quæ fuerat nupta regi Syriæ Antiocho Theo & poſtea à priuignis interfecta eſt. Occupatis autem multis vrbibus in Syria Euergetes non grauatim Seleuco Callinico pacem petenti dedit. Reuocabatur enim in Ægyptum domeſticis ſeditionibus. Hoc tempore Iudæa victori Euergetæ tributum pendere coacta eſt: Etſi adhuc quidem tolerabilis fuit Iudææ ſtatus. Nam cum tributum non ſolueretur, facile placatus eſt Euergetes à Ioſepho duce, cuius mentio fit in Luca capite 3. vbi nominatur Ioſeph pater Ioannis Hircani ducis ex ſtirpe Dauid.

DE REGIBVS SYRIAE.

SEleucus natus eſt in Macedonia mediocri loco, patrem habuit quendam ex Philippi ducibus. Aiunt Seleuco & eius poſteris femur natiua anchora inſignitum fuiſſe. Cum autem poſt mortem Perdiccæ præfectus eſſet Babyloniæ, orta diſſenſione inter Antigonum & Græcos, adiunxit partem Syriæ, eamque magnis certaminibus aduerſus Antigonum defendit, quem tandem

dem ingenti prælio superauit. Postea & filium Antigoni Demetrium cepit. Deinde acie victum Lysimachum interfecit. Tandem circumuentus insidiis à Ptolemæo Cerauno fratre Philadelphi interfectus est. Reliquit filiis amplissimũ regnum Babyloniam, Persidem, Medos, Bactram, Parthiam, Asiam & Syriæ partẽ. Iosephus scribit, fuisse beneficum erga Iudęos, quos permisit propriis vti legibus in ciuitatibus suis.

II.

ANtiochus socer interfuit prælio patris aduersus Antigonum, nec diu post patrem regnauit.

III.

ANtiochus θεὸς habuit initio coniugem Laodicem, ex qua suscepit duos filios Seleucum Callinicum & Antiochũ, cui cognomen fuit Hierax, i.e. accipiter. Postea Ptolemæus Philadelphus, vt per ęam occasionem recuperaret ciuitates in Syria amissas, dedit Antiocho θεῷ filiam Berenicem. Post has alteras nuptias non diu fuit superstes maritus, & hoc connubium præbuit occasionem nouis motibus & discordiis Regi. Nam Laodice repudiata hortata est filios, ne sibi regnum eripi paterentur. Quare Seleucus maior natu cinxit obsidione vrbem, in qua erat Berenice cum paruo filio, cumq; ei persuasisset, vt deditionem faceret, deditam interfecit cum filio. Hæc fuerunt auspicia regni Seleuci, qui postea parricidij pœnas dedit.

IV.

SEleucus Callinicus postquam nouercam interfecit, hoc scelere sibi ingens bellum accersiuit. Nam Ptolemæus Euergetes, vt sororis necem vlcisceretur, bellum Seleuco intulit, eiq; pulso & fugato magnam Syriæ partem ademit. Erat autem in altera regni parte, videlicet in Asia, frater Antiochus Hierax. Ab hoc Seleucus auxilium petit. Hierax cupide suscipit expeditionem sperãs se vnum toto regno potiturum esse: adducit mercede conductas Galatarum copias, quæ iam stipendiis *Finis est consentaneus principio.*

in Asiam pertractæ erant. Seleucus quia fratris voluntati diffidebat, cum Euergete pacem fecit. Quare iratus Hierax fratri bellum infert, quem cum acie victum Syria expulisset, exorti sunt noui motus in Asia quam vacuam Eumenes Bithynius occupauit, & passim in ea Galatę vagabantur, & rex Ægyptius Ciliciam inuaserat (patriam Pauli.) His motibus cum rediens in Asiam Hierax occurrisset, magnis acceptis cladibus fugit ad socerum in Cappadociam, à quo sentiens insidias sibi strui alias latebras sibi quęsiuit, seq; ad hostem in Ægyptum contulit. Huic quoq; diffidẽs cum fugiens in deuiis locis erraret, interfectus est.

Seleucus frater eodem fere tempore excussus ex equo extinctus est. Hic fuit exitus duorum impiorũ fratrum, qui non amplius triennio regnarunt.

DE REGIBVS MACEDOnia.

I Antigonus,
II Demetrius. Plutarchus describit eius vitam.
III Antigonus. Bonus princeps.

Antigonus filius Demetrij moderatissimus rex, natus laudatissima matre Phila, filia Antipatri, Macedonia potitus est, quam etsi aliquoties amisit, tamen postea recuperauit. Expulit ex Græcia Gallos. Postea bella gessit cum Pyrrho: cumq; interfecti Pyrrhi caput ad eum allatum esset, & filius Helenus deditus, hunc in regnum paternum remisit, eique patris caput & ossa regio more condenda dedit.

De primo bello Punico.

Primum bellum Punicum Olympiade 129. motum est. Secundum bellũ motum est

SI vera est sententia, quam Cicero in libris de diuinatione laudat: Bene qui coniiciet, vatem hunc perhibebo optimum; profecto confitendum est, Pyrrhum Regem Epiri non modo fortem bellatorem, sed & vatem bonũ fuisse. Cum enim ex Sicilia discederet non dubitans cõfirmauit, hanc insulam fore palæstram, in qua

Roma-

Romani & Carthaginienses de summa imperij dimicaturi essent. Hanc prædictionem Pyrrhi res atque euentus paulo post comprobauit. Nam Olympiade 129. exarsit primum bellum Punicum, quod Carthaginienses cum populo Romano gesserunt. Quemadmodum cum pugiles robore præstantes inter se certant, difficile est nō modo spectatoribus, sed etiam ipsis actoribus, singulos ictus obseruatione notare: ita singulas res gestas in hoc bello, quod 24. annos durauit, persequi neque nobis necessarium videtur, neque auditoribus vtile. Omissis igitur longis ambagibus summa sequar potius fastigia rerum eaq; duntaxat breuiter recitabo, quæ auditoribus scitu ac cognitu necessaria videntur.

Olympiade 140. Primū describit Polybius lib. 1 & T. Liuius dec. 2. quæ amissa est. Hanc tamen Florus in summam contraxit, vt & alias decadas.

Primum autem ad paruas scintillas, quæ hoc ingens incendium exuscitarunt digitum intendam, vt omnes intelligant, ex minimis initiis sæpe maxima mala oriri, & Diabolum texere longam telam peccatorum & pœnarum. Messenam Siciliæ vrbem non multo ante hæc tempora Campani duce Agathocle in Sicilia militantes vrbis splendorem atque opulentiam admirati, cum primum paradæ rei oblatam sibi opportunitatem viderēt, per amicitiam intra mœnia recepti, violata fœderis fide in vrbem impetum faciunt, ciues partim vrbe eiiciunt, partim trucidant, vxores liberosq; eorum, pro vt in ipso conflictu sors tulit, item pecuniam fortunas agrosq; inter se partiuntur. Ita pulcerrimæ opulentissimæque vrbis compotes facti confestim huius sui facinoris imitatores habuerunt. Rhegini enim eo tempore, quo Pyrrhus Epirotarum Rex in Italiam copias traiecit, aduentu eius deterriti & cōsternati, simul quod Carthaginenses tunc mari dominantes metuebant, populi Romani opem atque præsidium implorarunt. Missi a Romanis ad Rheginos milites aliquandiu vrbem tutati fidem ciuitati seruauerunt, erant numero quatuor millia hominum, quibus duces præerant Decius & Campanus. Sed tandem Mammertinorum (sic enim Campani se capta Messana nuncuparunt) exemplo permoti & cōs tanti facinoris conspiratores habentes, ipsi quoq; Rheginis fidē violant, tum rei opportunitate tum Rheginorū opulētia pelle-

Causa belli Punici.

pellecti, ciues alios ex vrbe expellunt, alios cædunt. Deniq;, vt Mamertini fecerant, ciuitatem detinent.

Romani etsi hanc Rheginorum calamitatem graui & iniquo animo ferrent, maioribus tamen bellis occupati subsidium ferre non poterant. Confecto autem bello Rhegium profecti vrbem obsederunt, ac tandem expugnarunt, treccenti solum viui in potestatem redacti, quos Romam è vestigio missos, consules in forum produci ac virgis cædi, & tandem secundum patriæ morem securi percuti iusserunt, quo & illi scelerati facinoris pœnam darent, & ipsi suam erga socios fidem, quantum fieri posset, confirmarent, vrbem & agros omniaque, quæ superfuerant, Rheginis continuo restituerunt.

Egregium exemplum virtutis.

Mammertini quamdiu illa legio Romanorum Rhegium tenuit, præsidio eorum freti, non solum ciuitatem & agrum suum tutabantur, verum etiam finitimas plærasque cum Carthaginensium tum Syracusanorum ciuitates magnopere infestabant, nonnullas etiam Siciliæ vrbes sibi tributarias fecerant. Mox vero restituta Rheginis vrbe Romanæ Legionis præsidio destituti, deinde ab Hierone Rege Syracusano prælio victi, cum iam fere animis cecidissent, plærique ad Carthaginenses confugiunt, eisque & sese & arcem dedunt: alij ad Romanos legatione missa ciuitatem illis tradunt, præsidiumq; velut ab eiusdem generis hominibus postulant. Romani diu inter se, quid faciendum esset, dubitarunt: perabsurdum enim putabant, qui paulo ante in proprios ciues ob occupatam contra fidem Rhegiū tam grauiter animaduertissent, nunc Mammertinis, qui eiusdem sceleris rei essent, subsidium ferre. Veruntamen cum Carthaginenses cernerent iam non Africam modo, verum etiam pleraq; Hispaniæ loca, insulas præterea omnes Sardinij ac Thyrreni maris vi atque armis subegisse, periculosam sibi eorum vicinitatem fore suspicabantur, si Siciliæ quoque domini fierent. Hanc autem facile in Carthaginensium potestatem venturam intelligebant, nisi Mammertinis suppetias mitterent, Etenim Messana capta, quæ eis à nonnullis, vt supra diximus, offerebatur, confestim Syracusas quoque recuperaturos haud dubium erat, præsertim cum reliquum Siciliæ sub eorum ditio-

Deliberatio, in qua confertur honestas cū vtilitate.

ditione esset. Hęc cum Romani cogitarent, seruare Messanam omnino necessarium putarunt, neq; pati, vt Carthaginenses quasi pontem quendam sibi constituerent, per quem transire in Italiam pro libidine possent. Diu tamen hæc res in senatu agitata est, tandemque cum iuuare Mammertinos turpius esse quam commodius ob patrata scelera videretur, rem infectam Senatus dimisit. At populus Romanus cum tot bellis defatigatus atque contritus iam quiete aliqua egere videretur, & simul ostendentibus Ducibus vtilitatem & commodum, quod ex ea re percipi poterat, pręstandum Mammertinis subsidium iudicaret, atque ea sententia per plebem confirmaretur, cōfestim alterum ex consulibus Appium Claudium traducere in Siciliam exercitum & Mammertinis ferre suppetias iubet. Mammertini de Romanorum pręsidio certiores facti Carthaginensium præfectum partim terrore partim dolore ex vrbe eiiciunt, Appiū Claudium ad se vocant, ciuitatem in eius manibus ponunt. Carthaginenses præfectum præsidij quod formidine simul atque ignauia arcem amisisset cruci affigunt, ac repente terra marique coactis copiis, classeque circa Pelorum posita, terrestribus vero copiis circa Messanam castra metati, vrbem diligentissime obsident. Hæc initia fuerunt belli longissimi atq; maximi, in quo Romani quinqueremes septingentas præter eas, quæ diuersis naufragiis periērūt, Carthaginenses vero circiter quingentas amiserunt.

Gellius. Si quid honesti feceris fugiente labore, manet voluptas, id est, bona conscientia. Si autem quid turpe feceris fugiente voluptate manet dolor, id est, mala conscientia.

Primus annus huius belli.

Cæterum Appius consul victo Hierone, qui Carthaginensium socius erat, vrbem Syracusas obsidione cinxit. Harum rerum fama cum Romam allata esset, consules creati sunt Marcus Valerius & Crotacilius. Vterq; cum omnibus copiis in Siciliā missus est. Igitur aduentu consulum pleræq; ciuitates tum Carthaginensium tum Syracusanorum ad Romanos defecerunt. Hiero cum iam Siciliæ populos cecidisse animis cerneret & simul Romani exercitus multitudinem ac vires adauctas, tutius sibi fore ratus Romanorum, quam Carthaginensium partes sectari, legatos ad consules mittit, qui de pace atque amicitia tractarent. Romani, quod Carthaginenses vndique maria tenentes cernebant, &, ne ali-

2. Annus. Romani distinguunt annos secundum cōsules.

P quan-

quando intercludi commeatus possent, verebantur, commodissimam fore huius regis Hieronis amicitiam rati pacem cum Syracusanis his fere conditionibus fecerunt: Vt Rex captiuos, quos in vinculis habebat, Romanis sine precio restitueret: argenti insuper talenta centum penderet: & vt deinceps Syracusani socij atq; amici populi Romani appellarentur. Consules fœdere cum Hierone facto è prouincia decesserunt.

3. Annus. Post eos vero Lucius Posthumius & Quintus Æmilius consules creati in Siciliam cum exercitu veniunt. Hi primum Carthaginensium rebus diligenter consideratis intellectoque apparatu circa vrbem Agrigentũ facto, audacius quam superiores fecerant Siciliæ rebus incumbendum censuerunt. Quamobrem coactis in vnum omnibus copiis ipsum Agrigentum veluti quandam arcem belli inuadunt, & non longius octo ab vrbe stadiis castrametati, hostem mœnibus inclusum tenent. Cum autem obsidio quinque menses durasset, & fames premere Carthaginenses cœpisset, ob ingentem multitudinem, quæ mœnibus inclusa tenebatur, (erant enim vltra 50000. hominum) Annibal, penes quem summa imperij erat, desperatis rebus intempesta nocte cum negligentius à Romanis custodiæ fierent, cum copiis, quas Agrigenti habebat, egressus, per medias hostium munitiones mirabili strategemate manipulis palearũ æquatis aggeribus cum suis omnibus incolumis euasit. Romani vero sub primam lucem re intellecta insecuti parumper vestigia hostium, mox omnes ad vrbem capiendam reuersi, nullo iam repugnante in portas ciuitatis impetum faciunt, exercitum omnem intra mœnia inducunt, vrbem locupletissimam diripiunt, multitudine seruorum variisque prædæ generibus potiti. Postquam Romæ nunciatum est, Agrigentum profligatis Carthaginensibus in populi Romani potestatem venisse, Romani maiorum rerum spe concepta Carthaginenses omnino è Sicilia expellere cupiebant.

4. Annus. Igitur expugnato Agrigẽto L. Valerius & T. Octacilius cõsules creati, magno militũ delectu habito, in Siciliã mittuntur. Cum autẽ Carthaginenses maris principatum tenerent, nec tantum terrestribus copiis bellum

con-

confici posse videretur, Romani centum & viginti nauium classem ædificari curant. Ex iis centum quinqueremes faciunt, reliquas triremes. Dum vero quinqueremes parabantur, interea multitudo omnis ad remigationem hoc modo exercebatur. Subselliis in arena per ordinem dispositis, remiges insidentes, ad vocem præcipientis, qui in medio eorũ erat, omnes vna protendere brachia ac reducere, remosque per arenam mouere pariter docebantur. Ad illius vocem simul omnes incipiebant, simul desinebant. Hoc modo nauigandi artem edocti, cum antea maritimarum rerum prorsus ignari fuissent & perfectis interea nauibus mare ingressi post paucos dies rerum in vndis periculum fecerunt.

Anno quinto consules creari sunt C. Cornelius Scipio & C. Duillius. Cornelius Scipio consul à classe Punica circumuentus & per fraudem velut in colloquium euocatus captus est. Caius Duillius consul, aduersus classem Pœnorum prospere pugnauit primusque omnium Romanorum ducum naualis victoriæ duxit triumphum, ob quam causam ei perpetuus honos habitus est, vt reuertenti à cœna tibicines canerent & funale præferretur. 5. *Annus.*

Proximo anno ab exercitu Romanorum nihil sane memoria dignum in Sicilia gestum est. In Sardinia vero & Corsica C. Scipio magnas res gessit aduersus Pœnos, & has insulas in potestatem Romanorum redegit. 6. *Annus.*

Creati deinde consules C. Sulpitius & Aulus Rutilius Panormum mittuntur, quod illic per id tempus Carthaginensium copiæ erant. Hi confestim eo traiectis omnibus copiis ante vrbem aciem struere: Carthaginenses mœnibus inclusi, pugnandi copiam hostibus non facere, quod cernentes Romani rursus relicto Panormo, Hippanam & alia pleraque Carthaginensium oppida capiunt. 7. *Annus.*

Anno sequenti M. Attilus Regulus & L. Manlius consules Romani, victis prælio nauali Pœnis in Africam traiiciunt, & agrum Carthaginensem ferro & igni vastant, pulcerrima ornatissimaque ædificia incendunt, prædam omnis generis rapiunt, mancipiorum su- 8. *Annus.*

pra viginti millia ad naues adducunt. Dum hæc geruntur nuncij Roma venientes mandare senatum dicunt, vt è duobus consulibus, vnus in Africa cum necessariis copiis maneat; alter cum classe Romam reuertatur. Cognita igitur senatus voluntate M. Attilius Regulus cum 40. nauibus & quindecim millibus peditũ: equitibus vero quingentis in Africa remanet: Manlius cum reliqua classe atque omnibus aliis copiis, cumque omni multitudine captiuorum ex Africa soluens, Romam incolumis peruenit. Cæterum Marcus Attilius, tametsi Carthaginenses cerneret terra marique grauiter oppressos, atque ob eam rem non multo post secuturam vrbis deditionem speraret: tamen veritus, ne nouus consul, qui propediem in Africam venturus credebatur, rerum gestarum gloriã sibi præriperet, de fœdere agere cum Carthaginensibus cœpit. Carthaginenses lætissimo animo eam rem acceperunt. Mittuntur ergo ad consulem legati principes ciuitatis, qui de pace agant. Hi cum ad eum peruenissent tantum abfuit, vt fœdus cum Romanis inirent, vt ne audire quidem responsum consulis æquo animo potuerint. Etenim Marcus Attilius iam rerum omnium potitus quicquid Carthaginensibus offerret, id eos loco beneficij ac muneris accepturos sperabat. Contra vero Carthaginensibus videbatur nihil sibi etiam ad extremum victis, à consule insolentius, nihil acerbius responderi potuisse. Quapropter Legati non solum re infecta discesserunt, sed etiam responsum consulis vt nimis insolens atque superbum detestati sunt, & ciuibus suis hortatores fuerunt, vt extrema potius adire vellent, quam indignis & iniquis conditionibus pacem facere. Quærente deinde fortuna vt magnum vtriusque casus exemplum in regulo proderetur, accersito à Carthaginensibus Xantippo Lacedæmoniorum duce rei militaris peritissimo, victus in prælio & captus est.

Virg. 2. Æneid. *Quondam etiam victis redit in præcordia sanguis.*

Locus communis de moderatione in rebus secundis.

Hæc si quis recte considerare voluerit, multa inueniet ad humanæ vitæ emendationem vtilissima. Etenim primum, quam vanum quamque ridiculum sit, ob res secundas atque ex animi sententia egregie gestas aliquam in fortuna spem sitam habere, singulare vniuersis exemplum præbuit, Marcus Attilius, qui cum modo tot victo-

victoriis gloriosissime partis, nulla erga Carthaginenses ad extremum redactos misericordia moueretur, pacemque suppliciter petentibus negaret, mox ipse eo redactus est, vt eadem illa supplex à Carthaginensibus petere cogeretur. Deinde quod olim ab Euripide sapientissime dictum fertur, vnum rectum consilium magnam militum manum vincere, hoc tempore ex iisdem operibus fidem accepit. Nam vnus homo atque vna sententia multitudinem, quæ ante inuicta semper atque insuperabilis fuerat, vicit superauitque ac profligatam vrbem & collapsos tot virorum animos instaurauit atque erexit. Hæc ideo commemoraui, inquit Polybius, quia me non latet, quam vtilia sint ad humanæ vitæ gubernationem. Cum enim duo hominibus modi propositi sint, quibus optime viuendi ratio comparari potest: Vnus sua cuiusque experientia: alter alieni exempli consideratio: haud dubie primus euidentior & illustrior est, magisque hominum animos permouet, sed cum maximo periculo coniunctus est. Secundus vero etsi obscurior est, nec tantam vim habet ad inflammandos animos, tamen hoc nomine laudandus est, quod à periculo segregatus est & sine damno ac sumtu comparari potest. Hæc causa est, cur priorem nemo sponte eligat, cum doloris & periculi expers esse quærat: Hunc vero omnes sani auide expetant, quia per eum sine iactura propriarum rerum ea, quæ sunt optima, cernere vnicuique licet. Quare non dubium est, rectam & quasi compendiariam viam ad sapientiam & virtutem esse, cognitionem historiarum, quæ aliorum aut bonos euentus aut contrarios exponunt. Hæc enim sola mentem format, vt de communi vita dextre iudicare possit. Sed hæc quidem hactenus. Carthaginenses vero rebus ex sentētia fœlicissime gestis nullum lætitiæ genus intermiserunt. Xantippus restitutis in pristinum statum Carthaginensibus nō longe post in patriam reuertitur, optime rebus suis consulens. Nam virtutis rerumque gestarum gloria magnam plerumque inuidiam & graues calumnias conflare solet: quibus ciues quidem cognatorum & affinium præsidio freti facile resistunt, hospites vero omnis præsidij expertes, vtrique malo facile succumbunt. Romani, vbi profligatum

Locus communis de consilii præstantia.

Locus communis de duplici methodo perueniendi ad sapientiam.

in Africa exercitum, captumq; consulem ac reliquas copias in vrbe Clypea obsideri nunciatum est, confestim ad recipiendos eos, qui relicti in Africa erant, conuersi magnam classem parandam, & in Africam mittendam censent. Carthaginenses interea Clypeam vrbem obsidere ac summa vi oppugnare, sperantes, se propediem potituros esse reliquiis, quę ex acie effugerant. Sed tanta erat propugnantium Romanorum virtus & magnitudo animi, vt omnes hostium conatus inanes atque irridendi essent. Quamobrem desperata ad extremum expugnatione obsidionem soluerunt. Nunciatur interea, classem à Romanis parari, quæ rursum in Africam mittatur. Quo rumore permoti Carthaginenses, ad veterem classem reficiendam nouamque parandam omni studio incumbunt. Statim igitur instructis armatisque ducentis nauibus obseruare atque impedire Romanorum nauigationem in Africam conabantur.

10. Annus. Cum autem Romani fabricassent classem trecentarum & quinquaginta nauium, M. Æmilium & Seruium Fuluium consules, principio Veris cum omnibus copiis traiicere in Africam iubent. Igitur consules, qui in Siciliam primo, deinde in Africam nauigaturi è portu soluunt, iamque non longe aberant à Mercurij promontorio, cum ex improuiso Carthaginensium classem, quam obseruare hostium aduentum diximus, obuiam habuere. Facto itaque repente in eam impetu centum & quatuordecim Carthaginensium naues plenas cœperunt. Deinde profecti ad Clypeam vrbem receptaque Romana iuuentute paucis diebus in Africa commorati Siciliam repetunt. Traiecto prospere pelago, quod Africam ab Sicilia diuidit, cum non procul à Camarina vrbe stationem haberent, in tantam tempestatem inciderunt, vt ne referri quidem ea pro rei magnitudine possit. Ex quatuor enim & sexaginta, supra quadringentas nauibus vix octoginta ex tempestate eluctatæ sunt. Reliquæ omnes aut submersæ vndis aut scopulis allisæ vniuersum littus tabulis fractis cadaueribusq; compleuerunt.

Nauale prælium.

Simonides de in cõstã tia fortunę. *Facilior est mutatio hominis quã muscæ quã tumuis celeriter volantis.*

Maiorem iacturam vno tempore in mari factam, nemo

nemo ante nostram ætatem meminit, quæ res non tam fortunæ culpa accidit, quam consulum temeritate. Nautis enim sæpe monentibus vitandum esse Syciliæ littus, quod Libyco mari obuersum eamque ob causam importuosum & infestum est, præsertim inter Heliacum ortum vtriusque syderis vehementis Orionis & Canis: (id est, sub initium æstatis) illi spretis & pro nihilo habitis nautarum vocibus, dum superioris victoriæ fiducia elati vrbes quasdam hostium eo litore sitas capere properant, exiguæ admodum spei gratia in maximas calamitates inciderunt. Ita rebus à se paulo ante præclarissime gestis turpi hoc naufragio deformatis temeritatis suæ pœnas luunt. Nam Romani (ait Polybius) cum viribus in omni re vtantur & quod semel decreuerunt, omnino perfici necessarium ducant, nihilq; sibi impossibile factu existiment, quod semel eis visum fuerit, etsi plerumque felices sunt, tamen hac inconsulta pertinacia sæpe horribiliter impingunt, præsertim in re nauali. Nam in terrestri prœlio cum hominibus belligerantes, quia certamen inter pares est, non ab re sæpenumero victoria potiuntur: quanquam hic quoque superantur aliquando: in mari vero cum sese omnino fortunæ credant, nihil pensi habentes, in maxima nonnunquam pericula incidunt, quod & nunc & alias sæpe illis accidit accidetque posthac sæpius, quo vsque hanc pertinaciam sine mente represserint ac cohibuerint. Carthaginenses cognitis iis, quæ Romanæ classi acciderant, quoniam nec terra inferiores se esse Romanis putabant, propter profligatum Marci Attilij exercitum, nec mari, propter ingentem cladem in naufragio acceptã, maiori iam studio ad pedestres simul atque maritimas copias parandas incumbunt & Asdrubalem cum omni veterano exercitu, nouisque insuper militibus ac centum & quadraginta Elephantis in Siciliam mittunt: præterea ex veteribus nouisque rostratis classem ducentarum nauium efficiunt. Asdrubal igitur copiis omnibus Lilybæi expositis Romanorum socios per Siciliam infestabat, denique in omnes occasiones rei gerendæ intentus erat. Romani, etsi calamitas ex naufragio accepta

Ouid. *Ludit in humanis diuina potentia rebus.*

Locus communis de pertinacia sine mente, Græce ἀνοησία.

Cæsar in cõmentariis.

Errat qui in bello omnes euentus secundos expectat.

omnium animos perturbauerat, tamen, ne cedere Carthaginensibus viderentur, nouam ducentarum & viginti nauium classem ædificandam curant: quod tanta celeritate factum est, vt intra trium mensium spacium ædificatę naues fuerint atque in mare deductæ, quod vix credibile cuique videbatur. Cum ea classe Aulus Attilius Calatinus & Cneus Cornelius consules petere Siciliam, bellumque Pœnis inferre iussi: qui repente traiecto freto Messanam petiuerunt: ibi acceptis, quæ ex naufragio superfuerant, nauibus, totam simul classem trecentarum nauium fecerunt. Hinc Panormum profecti, quæ præcipua Carthaginensium ciuitas erat, eam magna vi aggrediuntur, & paucorum dierum interuallo admotis machinis eam vrbis partem ceperunt, quæ Neapolis appellabatur, quo facto reliqua pars vrbis, quam vrbem veterem vocant, metu exanimatis ciuibus, consulibus deditur, capto Panormo cõsules relicto in vrbe præsidio Romam reuertuntur.

Alexand. *Bella constant celeritate.*

11. *Annus.*

12. *Annus.* Proximo anno Caius Seruilius & Cneus Sempronius consules creati accepta classe in Siciliam traiiciunt. Mox inde in Africam profecti prouinciam Carthaginensium ferro & igni vastarunt: sed has res præclare gestas naufragium deformauit, in quo 150. naues perierunt. Tantis calamitatibus acceptis populus Romanus, etsi honorem ac maiestatem imperij sui cæteris rebus anteponendam existimabat, tamen magnitudine miseriarum superatus mari omnino abstinẽdum decreuit, eamque ob causam

13. *Annus* sequenti anno, qui est decimus tertius huius belli omnino quieuit, quasi induciis cum hoste factis.

14. *Annus.* Paratis itaq; duntaxat pedestribus copiis Lucius Cæcilius Metellus, & Caius Curius consules in Siciliam cum omni exercitu mittuntur: sed Elephantorum metus retardauit, quo minus aliquid memoratu dignum aduersus Carthaginenses gererent. Quamobrem Romani pastore exercitus cognito parandæ classi rursus omni studio incumbunt.

15. *Annus.* Habitis per id tempus Romæ Comitiis, C. Attilius & L. Manlius consules designati, nouas quinquaginta naues ædificant, veterem præterea classem & necessarias copias parant. Hoc anno, vt multi scriptores tradunt, Regu-

Regulus à Carthaginensibus missus ad Senatum, vt de pace,&, si eam minime impetraret, de captiuis commutandis ageret. Qui iureiurando adstrictus est, rediturum se Carthaginem, si commutari captiuos non placuisset. Vtrumque negandi senatui auctor fuit, & cum fide custodita reuersus esset, supplicio à Carthaginensibus de eo sumto periit. Hinc quæstio exstitit, sintne omnia iuramenta seruanda? Simplex & vera responsio est, omnia iuramenta etiam hostibus data aut metu extorta seruanda esse, non enim redimenda est salus corporis cum cōtumelia nominis diuini. Itaque Regulus nisi rediisset Carthaginem iuxta pactum, scelerate fecisset, & recte iudicauit senatus Romanus, cum Annibali remisit eos, qui eluserant iusiurandum de reditu in castra. Sic grauissime iudicauit Iosua, iuramentum seruandum esse Gabionitis, quanquam errore datum erat, & quidem vt videbatur, contra mandatum Dei. Vnus igitur duntaxat casus est, in quo iusiurandum irritum est, cum videlicet promittitur res illicita, id est, peccatum.

Hunc supra diximus captum esse anno 8.

Liuius li. 1. dec. 3. in descriptione Hannibalis.

Liui lib. 2. dec. 3.

Cum enim iusiurandum cōtinet promissionem, qua promittitur aliquid faciendum contra mandatum Dei, non obligat. In hoc casu valet dictum Hippolyti apud Euripidem. Cum enim nutricius Phædræ nouercæ rem turpem suaderet prætextu iuramenti: O fili, ne violes religionem iurisiurandi, quo cōfirmasti vniuersalem obedientiam erga matrem, respondet honestissime Hippolytus: Lingua iuraui: mentem iniuratam gero. Nec Iepthe recte fecit, qui filiam mactauit. Promiserat enim, se filiam, aut quicquid primum occurrisset, immolaturum esse, si victor ex bello rediret. Teneantur ergo hæ regulæ vniuersales: Iniusta nec promittenda esse nec facienda, etiamsi sint promissa, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona. Et recte dicunt iurisconsulti, Nullam valere pactionē turpitudinis: item, Iuramentū non debere esse vinculū iniquitatis. Hæ cōes regulæ sint omnib. notissimę, ideo pacta aut vota, quę obligant homines ad peccata, necesse est rescindi. Sed de his satis. Nunc ad historiæ seriē reuertamur. Cæcilius Metellus rebus aduersus Pœnos prospere gestis in agro Panormitano,

Iudicum 11.

Omnia iuramenta sunt intelligend. cum duabus exceptionibus, salua religione & salua disciplina.

tano, speciosissimum egit triumphum tredecim ducibus hostium & centum viginti Elephantis in eo ductis.

16. Annus. Anno 16. Claudius Pulcher consul, qui contra auspicia profectus, iussit immergi pullos, qui comedere nolebant, infeliciter aduersus Carthaginenses classe pugnauit, & reuocatus à senatu iussusq; dictatorē dicere, Caium Glauciā dixit, sortis vltimæ hominem, qui propter obscuritatem abdicare se magistratu coactus est.

17. Annus. Annus 17. nulla re insignis est nisi naufragio, quo L. Iunius consul totam classem Romanorum amisit.

18. Annus. Anno 18. Carthaginenses Amilcarē cognomine Barcam classi præficiunt. Hic cum omnibus copiis in Italiam delatus maritimam oram populatus est, hinc vastatis Locrensium & Brutiorum agris, cum omni classe in Panormitanum agrum reuertitur, & castris ante Panormum positis, non longius ab exercitu Romano octingentis passibus: ibique tres fere annos commoratus, multa & præclara facinora fecit, quæ particulatim commemorare difficillimum foret. Cum in hunc modum traheretur bellum, & Amilcar mari Romanos quam maxime infestaret, commoti maiorem in modum Romani, quia bellum aliter nunquam finem habiturum videbatur, ad studium parandæ classis iterum conuertuntur. Verum quia exhaustum iam pridem ærarium fuerat, priuatim ciues pro suis quisque facultatibus contribuentes, plures vnam simul quinqueremem ædificabant, & necessarios ad eam sumtus suppeditabant. Tantus erat vniuersi populi ardor ad res bellicas imperiumque Romanum propagandum.

24. Annus. Instructæ igitur paratæque classi ducentarum quinqueremium L. Luctatium consulem præficiunt, eumque Vere iam adueniente aduersus Carthaginenses mittunt. Hic ad insulam Ægusam, quæ medio loco sita est, inter Lilybæum & Carthaginem, cum hostibus congressus, & incredibili felicitate vsus, finem bello imposuit. Etenim naues Pœnorum 50. vel fractæ vel submersæ, septuaginta plenæ captæ, reliquæ sublatis velis subita venti mutatione sese ad Hieronesum ex fuga receperunt,

perunt, consul post prœlium cum omni classe Lilybæum reuersus prædam & captiuorum corpora inter suos diuidit, fuerunt. n. ex Carthaginensibus viui capti præter eos, qui inter certandum perierunt, vltra decem millia hominum.

Carthaginenses tali ac tanta clade perculsi misso ad Amilcarem quam celerrime nuncio potestatem illi faciunt, quicquid de Repub. visum esset statuendi. Amilcar optimi simul ac sapientissimi ducis officium fecit. Quam diu enim aliqua patriæ rebus spes superfuit, nullum vnquam laborem aut periculum pro patria defugit, sed summa industria & magnitudine animi, omnia ad victoriam pertinentia administrauit: vbi vero patriæ rebus nullam amplius in bello repositam spem vidit, prudenter ac moderate cedens tempori legatos, qui de fœdere agerent, ad consulem misit. Nam boni ducis officium est posse non solum vincendi, sed etiam cedendi tempora perspicere. Luctatius quoque conditionem fœderis nequaquam aspernatus est, conscius difficultatum, quibus ex diuturno bello populus Romanus premebatur. Ita tandem de fœdere conuenit huiusmodi conditionibus præscriptis: Amicitiam esse Romanis Carthaginensibusque, si id populo Romano videatur: Excedere prorsus omni Sicilia Carthaginenses, neque posthac Hieroni bellum inferre, neque contra Syracusanos eorumque socios mouere arma; Carthaginenses sine precio captiuos omnes reddere: insuper talentorũ argenti Euboica duo millia & ducenta Romanis annos viginti pendere. Has conditiones Romam missas populus Romanus comprobare noluit, verum in Siciliam decem viros cum auctoritate publica legatos misit. Hi in Siciliam delati summam rei nequaquam mutarunt, tempore pendendi argenti duntaxat coarctato ac mille insuper talentis additis. His præterea conditionibus addidere vt non solum Sicilia, sed etiam Sardinia, & omnibus insulis, quæ inter Siciliam atque Italiam mediæ sunt, Carthaginenses excederent. Per hunc itaq; modum primo bello, quod Romani aduersus Carthaginenses pro Sicilia gesserunt, finis impositus est.

Vt

Vt autem alios locos omittam, de quibus historia huius belli nos admonet, duo certe omnium maxime in hac historia considerandi sunt, vnus de fortunæ inconstantia: alter de fato, quo potestates dantur. Nunquam terra marique magis prosperæ res Carthaginensium visæ sunt, quam ante consules Caium Luctatium & Aulum Posthumium fuerunt. Luctatio autem & Posthumio consulibus deuicti ad Ægusam Carthaginenses sunt. In hoc exemplum quasi in speculum quoddam intuentes discamus, quam vere Seneca dixerit:

Fortuna vitrea est, cũ splendet frangitur.

Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

Deinde non de nihilo est, quod Aurelius victor dixit: *Potestates fato dari.* Etsi enim Carthaginenses omnem regni sui conatum in perniciem Romanorum parant atque meditantur: tamen impedire non possunt, quo minus vrbs Roma imperio potiatur. Non enim robore militum aut aliis neruis humanæ potentiæ constituuntur imperia, nec casu mutantur; sed à Deo consulente hominum societati & initio constituuntur & deinceps vsque ad periodum conseruantur: sicut & Baptistæ sententia docet: *Nemo potest sibi quicquam sumere, nisi sit ei datum desuper.* Hæc Polybij ex 1. lib.

Ioan. 3.

CATALOGVS REGVM Tyri.

1 Hiramus σύζυγος Salomonis.
2 Beleastartus.
3 Abdastartus.
4 Filij nutricis Abdastarti.
5 Astartus.
6 Astarimus.
7 Phelletes.
8 Ithobalus.
9 Badezotus.
10 Mettimus.
11 Pygmalion.

Hæc

Hæc Menander Ephesius apud Iosephum lib. 1. contra Appionem.

CHRONOLOGIA, ID EST, TEMporis indicatio, quo condita est vrbs Carthago.

IOsephus lib. 1. contra Appionem. Pygmalionis regni anno septimo, Soror Dido in Africa Carthaginem ædificauit. Itaque colligitur tempus a regno Hirami vsque ad ædificationem Carthaginis annorũ centũ quinquaginta quinq; & mensium octo. Cũ vero duodecimo anno gubernationis Hirami, in Ierosolymis ędificatum sit templum, numeratur ab ædificatione templi vsque ad constructionem Carthaginis tempus annorum centum quadraginta trium, mensium octo. Hæc Iosephus.

Ante vrbem vero Romam condita est Carthago annis centum triginta quinq;, hoc est, anno primo septimę Olympiadis.

Mox mari.)

OCcidentali. Iudæa & Phœnicia nullum habent mare nisi occidendale.

In Littore Sidonio inuenta est ferri fabricatio.

In Littore Tyrio inuenta est purpura preciosissima, cuius succo tinctæ sunt vestes.

Tunc à Regina.)

Locus communis de amore patriæ.

Demonstratio de amore patriæ.

AEterna copulatio est causæ & effectus, vt igitur parentes à quibus vitam accepimus tanquam causas ardenter diligimus. Sic patriam amare debemus, quæ est locus connexus illi causæ, & quoddam adminiculum causæ.

Alia

Alia.

NAturalis amor efterga locum propter bona diuina, quæ continet. Patria bene morata cōtinet plurima dona Dei, non ſolum priuata, vt verbi cauſa parentes, fratres, ſorores & reliquos cognatos; ſed etiam publica, vt doctrinā de Deo, ordinem legum & iudiciorum, honeſtam diſciplinam, contractus legitimos & alia vincula humanæ ſocietatis. Ergo iure ac merito amatur patria, cum ſit nutricula ſeu vas quoddam & receptaculum tantorum bonorum.

Cum his demonſtrationibus congruunt multa honeſtiſſima dicta, quale eſt illud Tyrtæi poetæ:

Intrepidi pugnate viri & profundite vitam,
Quam debet patriæ reddere quiſq; ſuæ.

Ouidij:

Non modica eſt Ithaci ſapientia ſed tamen optat.
Fumum de patriis poſſe videre focis.

Platonis *in 5. de legibus*: Oportet patriam magis amare quam matrem.

Ducem ſuum.)

EXemplum ingratitudinis vſitatæ in omnibus fere Rebuspub. & in priuatis familiis. Nam ingratitudo eſt communis morbus totius generis humani, vt Pindarus inquit: *Vetus gratia dormit & homines ſunt immemores.* Seneca: *Nihil citius ſeneſcit quam gratia.* Item: *Auſarum lenta beneficia: præcipites iniuriæ.*

Philipp. Melanth.

Sunt homines humeris quos ſi quis geſtet in vrbem
Auſoniam, domiti quæ caput orbis erat.
Nec tamen ad portam placide deponat eoſdem,
Gratia præteriti nulla laboris erit.

Cicero.

Quod dolet meminit; quod placet obliuiſcitur.

Plato in 8. de Repub. *Ciues degeneres orti ex maioribus virtute præſtantibus euertunt Rempub. paulatim vſq; ad periodum.*

Virg.

Virg. lib. 3. Æneid.

Ecquid in antiquam virtutem animosq; viriles,
Et pater Aeneas & auunculus excitat Hector.

Superior fuit.)

LVcanus: *Victrix causa Deo placuit, sed victa Catoni.* Et Isocrates in Archidamo: *Omnium bellorum exitus congruunt cũ iustitia.* Et Liuius lib. 1. dec. 3. *Euentus belli velut aequus iudex, vnde ius stabat, ei victoriam dedit.*

Hæc dicta intelligenda sunt de euentibus regularibus, qui congruunt cum norma legis. Aliud est autem loqui de calamitatibus Ecclesię & de causis arcanis, propter quas Deus vult Ecclesiam cruci subiectã esse. Nam de Ecclesia Ieremias inquit, capit. 12. *Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum meorum.* Denique omnes promissiones bonorum corporalium intelligendæ sunt, cum exceptione castigationis: Iuxta illud Psalm. *Visitabo in virga iniquitates eorum: sed misericordiam non auferam ab eis.*

Præliatum fuit.)

Variante fortuna euentum. Item: Anceps mars & dubia belli fortuna.

Annibal.)

LIuius & alij scriptores omnes affirmant Annibalem ducem secundi belli Punici fuisse filium Amilcaris non Asdrubalis.

IN LIBRVM XX. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

PATRIA DIONYSII Maioris.

PATRIA huius tyranni fuit nobilissima vrbs Siciliæ Syracusæ, cuius descriptio apud Ciceronem extat in sexta Verrina.

Parentes.

Hermocrates antecelluit tribus virtutibus. 1 Intelligētia politica. 2 Industria & sedulitate in agendo. 3 Studio humanitatis.

PAter Dionysij maioris fuit Hermocrates clarissimus ciuis Syracusanus, cuius laudatio extat apud Xenophontem lib.1.de rebus Græcis. Ad locum de parentibus referatur somnium matris Dionysij, quod recitat Cicero in primo de diuinatione.

Educatio.

ASuefactus est Dionysius optima disciplina domestica à patre laudato viro, & imbutus omni doctrina liberali inprimisq; Musica & Poetica, vt paulo post ex Cicerone audiemus.

Mores.

MOres ipsius fuerunt tyrannici & abhorrentes ab exemplo patris. Verissimum est enim illud Platonis in octauo de Repub. *Ciues degeneres orti ex maioribus virtute præstantibus euertunt Rempub paulatim vsq; ad periodum.*

Res

Res gesta.

CIcero in primo de diuinatione recitat ostentum, quod antecessit tyrannidem Dionysij. Cæterum optima narratio & breuissima de vita & rebus gestis Dionysij extat apud Ciceronem in quinta Tusculana.

Isocrates de Aulica vita sic inquit:

VIta aulica est similis tragico libro foris pulcre picto, intus vero pleno miseriarum. Porro quantis sceleribus iura diuina & humana, hoc est, pietatem erga Deum & iustitiam inter homines Dionysius tyrannus pater violauerit, Cicero in fine tertij de natura Deorum luculente exponit. *Vulgo splēdida miseria.*

Mors.

DE morte Dionysij placida & minime violēta magna existit quæstio. Multi enim quærere solent, quid de prouidentia diuina existimandū sit, cum sæpe tyranni, vt Dionysius pater, Sylla, Tiberius & quidam alij impune in hac vita grassentur & sine violentia extinguantur. Ita enim argumentantur sapiētes omnes extra Ecclesiā. Si est prouidentia diuina, necesse est singulis conuenientia reddi, bonis quidem præmia, malis vero pœnas. Sed exempla tyrannorum, quæ modo recitaui, pugnare videntur cum regula, quæ docet atrocium delictorum comites esse pœnas atroces etiam in hac vita. Ergo nulla est prouidentia aut iustitia Dei. Quod quam sit absurdum non modo dictu, sed etiam auditu, nemo est, qui non intelligit. Ad hanc obiectionem Isocrates in oratione de pace grauissime respondet. Vera est regula & formidanda, quod videlicet Atrocia delicta puniantur atrocibus pœnis in hac vita, etiamsi interdum aliquid fit præter regulam: Vt enim aliqui dies hyberni similes sunt æstiuis, & tamen certa est regula, nec euertitur, Hyemem esse gelidiorem æstate: ita propter pauca exempla non est discedendum à regula de pœnis atrocium delictorum, nec stulte impunitas speranda est.

Hæc Philoſophica reſponſio erudita eſt & grauiter refutat Epicuræos negantes prouidentiam. Sed nos in Ecclesia reſpondemus ad eandem obiectionem ex doctrina de iudicio vniuerſali, quod ſecuturum eſt poſt hanc vitam. Etſi enim in hac vita aliquorum pœnæ differuntur, & aliqui tyranni & homicidæ ſine violētia moriuntur: tamen certum eſt reſtare aliud iudicium, in quo diſcernentur boni à malis diſtributione præmiorum & pœnarum, non quidem breuium & fugacium, ſed æternorum. Interea autem hæc animis ſit infixa ſententia, quam Iuuenalis recitat, & quę teſtem habet vniuerſalem experientiam:

Ad generum Cereris ſine cæde & vulnere pauci
Deſcendunt reges & ſicca morte tyranni.

Exercitus ratus.)

EVripides: *Otioſus exercitus ſimilis eſt incendio.* Et Cato recte dixit, *Nihil agendo homines male agere diſcunt.* Et vulgo dici ſolet: *Ignauia multos hortatur ad malas artes.*

DE ITALIA QVAEDAM EX *Polybio & Strabone annotata.*

Polybius lib. 2. Strabo lib. 5. & 6.

OMnis Italia trianguli figuram habet. Latus, quod Oriētem ſpectat Ionio mari & ſinu Adriatico terminatur. Quod vero ad Meridianam regionem atq; Occaſum vergit, Siculo & Tyrrheno clauditur pelago. Hæc latera inuicem copulata apicem trianguli faciunt. Propoſitum Italiæ promontorium, quod Coccynum incolæ vocant, & Meridianam plagam ſpectans Ionium ac Siculum diuidit mare. Tertium latus, quod ad gelidiſſimum ſeptentrionis axem & mediterranea loca protenditur, terminat continuatio Alpium, quę à Maſſilia & locis ſupra Sardoum pelagus ſitis incipientes, vſq; ad intimum Adriatici maris ſinum continue extenduntur exiguo quodam ſpacio in medio relicto. In Alpibus ad eam partem, quæ verſus Rhodanum & Septentrionem ſpectat, habitant Galli, qui Transalpini ap-

 pellan-

pellantur, quod trans montes colant. Apenninum vero à principio supra Massaliam, vbi cum alpibus coniungitur, Ligures vulgo nunc Genuenses dicti colunt, post Ligures Tyrrheni habitant, quas Romani Hetruscos atq; Thuscos appellant, Græci vero hoc nomen eis imposuerunt à Tyrrheno Atyos filio, qui ex Lydia colonos in hanc regionē deduxit. Cumq; ædificandis vrbibus Tarcontē præfecisset à quo Tarquinij cognomē accepit, ciuitates duodecim condidit, mox vtrumq; Apennini latus Vmbri, loca vero Adriatico mari vicina antiquū ex Paphlagonia genus colit, hi Veneti appellati, quorū dux fuit Antenor. In Apulia sunt Arpinum patria Ciceronis, à qua Arpinas dicitur, Luceria, Sipus, Interamnia, Thusciæ atq; Liguriæ. Pisæ, ab iis conditæ sunt, qui è Peloponneso cum Nestore aduersus Ilium militarunt: renauigantes autem errore disiecti, hi quidē Metapontum in vicinia Tarēti; alij vero Pisanum tenuerūt agrum, cuncti Pylij vocati.

Cæterum quæ nunc Cære dicitur, quondam nominabatur Agylla, eaq; à Pelasgis è Thessalia profectis cōdita fertur. Cum autē Thusci aduersus Agylleos bellum gererent, murum subiens quidam vrbis nomen percontabatur, cui è muro Thessalus quidam pro responso salutem renuncians, χαῖρε, id est, Salue, inquit, Teucri bonum hoc accipientes omen, captam vrbem à salutatione nominarunt.

De Magna Græcia.

PORRO in ea parte Italiæ, quæ magna Græcia olim dicta est, fuerunt clarissimæ vrbes, Locrij, Croton, & Sybaris. Locrensium legislator fuit Zaleucus, cuius honestissimas leges de pœna adulterij, de vitanda mutatione legum, & de ratione colendi Deum, non fictis ceremoniis, sed vera pietate alio quodā loco recitaui. Crotonis descriptio luculenta apud Liuium extat lib. 4. dec. 5. De Sybaritis historici veteres commemorant mirificū fuisse luxum Sybaritarum, qui quidem ita creuit, vt præmia etiam turpitudini & inuentoribus nouarum voluptatum constituta sint. Sed tandem disciplinæ laxa-

tionem Deus non diutius tolerauit. Itaque exitium ciuitatis varia prodigia denunciarunt, in his spectrum tale fuit: Iuno venit in forum clara luce vomens magnam copiam bilis & sanguinis. Quo prodigio significatum est fore, vt breui ciuitas euomeret & suas delicias & sanguinem bonorum, quos tyranni iniuste trucidauerant. Nam Crotoniatæ vrbe potiti inducto fluuio cuncta demerserunt.

Philosophus fuisset.)

SEneca de effectibus Philosophiæ: Philosophia 3. præstat hominibus 1. sensum communem. 2. humanitatem. 3. congregationem. Sensum communem vocat dexteritatem iudicij de rebus necessariis in communi vita; vt verbi causa de ratione dicendi & scribendi, de numeris, de motibus cœlestibus, de natura rerum, de officiis virtutum, de historiis, &c. Humanitas est copulatio iustitiæ & omnium virtutum mitiorum seu suauiorum, cuiusmodi sunt, æquitas, mansuetudo, liberalitas, comitas, & complectitur omnes virtutes secundæ tabulæ. Postremo congregationem intelligit de studio fouendi societatem ad quam conditi sumus.

IN

IN LIBRVM XXI. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

Ad delendam ciuitatem mittit.)

HVC pertinet memorabile dictum Demosthenis in quadam Philippica: Ita enim inquit: Non mœnia, non aggeres, non valla, non turres, non fossæ, sed diffidentia certissimum aduersus tyrannos præsidium est.

DVO EXEMPLA TYRANNORVM, *qui veteratoria calliditate res priuatorum hominum ad se transtulerunt.*

PRimum huius Dionysij. Dionysius cum pecunia egeret, nec aliter eam comparare posset, finxit imaginem somnij à Cerere oblatam, quæ iubebat omnes matronas & virgines Syracusanas splendide ornatas stato & solenni die conuenire in templo Cereris, vt vota ibi facerent. Cum autem partim religione, partim mandato tyranni permoti in templum conuenissent, dedit mandatum militibus, vt gregem matronarũ & virginum spoliarent ornatu muliebri.

Alterum exemplum Charidemi præfecti in Eubœa. Charidemus egens pecunia non dissimili arte ad diripiendas ciuium facultates vsus est. Cum enim per præconem populo significasset magnum ciuitati periculum

 impen-

impendere ab hostibus, & iussisset singulos vitandi periculi causa suam supellectilem & peculium in quandam arcem munitam transferre, in quam & ipse suam supellectilem, ne res suspecta esset, transtulerat; posthabita ratione iuris diuini & humani opes suorum ciuium in arce collectas rapuit, vt inde milites alere posset & ære alieno sese expluere. Hæc exempla admonent auditorem de latebris humani cordis, quæ non possunt penitus aspici. Monent item, hominē posse errare de aliena voluntate. Quod cum ita sit, intelligi potest, quam vere dixerit poeta Epicharmus: μέμνησο ἀπιστεῖν, id est, memento diffidere.

Seneca in lib. 21. Epistolarum citat quosdam versus Euripidis de πλεονεξίᾳ, hoc est, auaritia.

Sine me pessimum vocari, vt diues vocer.
Omnes quærunt, an diues sis; nemo an probus,
Non quæritur, vnde & quomodo habeas,
Sed oportet habere.

Item: *Tanti quisque semper fuit, quantum habuit.*

De quodam pontifice hoc dictum est Itali: *Intrauit vt vulpes, regnauit vt lupus, mortuus est vt canis.* Idem de hoc Dionysio dici potest. Honesta sunt anteferenda vtilibus, sed mundus hoc ordine neglecto, anteponit vtilia honestis.

Cura quid expediat prior est, quam quid sit honestum.

O ciues, ciues, quærenda pecunia primum est.

IN

IN LIBRVM XXII. & XXIII. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

De Agathocle tyranno Siculo.

DIODORVS Siculus libro 19. numerat à capta Troia vſque ad initium Agathoclis tyranni annos 866. Eſt autem Troia à Græcis capta, vt teſtatur Plutarchus in Camillo, annis quadringentis triginta duobus ante conditam Romam, hoc eſt, ante Chriſtum natum mille centum octoginta tribus annis. Hinc perſpicuum eſt, à condita Roma ad initium Agathoclis eſſe interuallum annorum quadringentorum triginta quatuor, & Agathoclem poſt Alexandri mortem annis ſex aut circiter tyrannidem ſuam incoaſſe.

Hæc temporis annotatio magnam lucem adfert historiæ Iuſtini, & monet iuniores, ne in cogitatione de ſerie rerum geſtarum aberrent. Etſi autem Agathocles fuit peſtis patriæ, iuxta oraculi ſententiam, quæ affirmabat, fore eum communem Erinnyn Siciliæ & Africæ: tamen audax & callidum conſilium Agathoclis memoria dignũ videtur. Cum enim diu Sicilia Punico bello vreretur, transgreſſus in Africam, auertit eo bellum, vnde venerat. Sed res atque euentus comprobarunt illud Liuij lib. 6. deca. 4. Conſilia callida atq; audacia, prima ſpecie læta, tractatu dura, euentu triſtia eſſe. Nam ſeditione mota à militibus, filius Agathoclis interfectus, & ipſe Agathocles magna cum difficultate & periculo in

Siciliam reuersus est, vbi ad extremum miserabiliter vitam finiit.

Cætera quæ ad huius tyranni notitiam pertinent, satis à Iustino libris duobus vicesimo secundo & tertio explicantur.

Strategema imperatorium est, posse transferre bellum ex patria in sedem atq; regionem hostium.

MENELAVS APVD SOPHOclem de inconstantia fortunæ.

MEA fortuna agitatur in rota Dei, & permutat statum sicut Luna suam faciem mutat, quæ duabus noctibus nunquam potest retinere eandem formam, sed primum discedens à coniunctione solis, atque ex obscuro emergens faciem ornat & auget donec fiat plena. Cum autem formosissima apparet, paulatim senescit, & tandem omnino euanescit.

Gratitudo duas pulcerrimas virtutes complectitur, veritatē & iustitiam. Veritas cognoscit vnde beneficium profectum sit, & auctorē beneficij celebrat. Iustitia obligat hominem, qui accepit beneficiū ad reddenda mutua quædam officia pro modo facultatum. Pugnat igitur Ingratitudo non solum cum iustitia, sed etiam cum veritate.

Psalm. 112. Generatio piorum benedicetur.

Nubendo se non prospera tantum, sed omnis fortunæ inisse societatem.)

QVinque debent esse προσχείμενα coniugij. I. Legitimus amor seu mutuus amor, qui debet esse primum ardens sine simulatione & coactione: deinde syncerus sine pleonexia & suspicionibus: tertio suauis sine morositate & fastidio. II. Fides coniugalis, quę constanter seruāt fœdus coniugij, nec vagatur extra metas, quas Deus coniugibus circumdedit. III. Societas bonorum & ærumnarum. Pertinet enim ad naturam societatis non tantum lucri, sed etiam damni communio. Huius societatis exemplū Iustinus proponit in historia Agathoclis, cum inquit de Theoxena vxore Agathoclis, nuben-

nubendo non modo proſperę, ſed etiam omnis fortunæ ſocietatem initam. Simile exemplum vidit hæc noſtra ætas in Iſabella ſorore Caroli imperatoris, & coniuge regis Daniæ Chriſtierno, qui cum eſſet in exilium regno pulſus propter tyrannidem, & ciues vellent Iſabellam in regnum reſtituere ſine marito, noluit regnum oblatum accipere, ſed maluit in exilio vna cum marito contabeſcere, quam ſola potiri regno. IV. Generatio, quæ eſt donum Dei. V. Defenſio, quam inter ſe præſtant coniuges. Hæc quinque adiacentia etiam ob eam cauſam conſideratione digna ſunt, vt nos admoneant de fœdere coniugali inter Chriſtum & Eccleſiam. Sed hæc alibi pluribus verbis dicuntur.

Poſtrema hiſtoriola huius libri narrat initia Hieronis, poſtremi regis Syracuſani, qui celebratur à Theocrito, in Idyllio 16. Non eſt autem Hiero antiquior ille, quem laudat Pindarus in prima Olympiorum.

IN LIBRVM XXIV. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

LIBER 24. continet duas præcipue hiſtorias, quarum prior eſt, exemplum puniti crudelitatis & periurij in Ptolemæo Cerauno fratre Ptolemæi Philadelphi. Altera eſt exemplum puniti ſacrilegij in Brenno & exercitu Gallorum, qui templum Delphicum ſpoliauit. In priore hiſtoria conſideranda eſt deſcriptio ſcelerum & pœnarum Ptolemæi Cerauni, qui cum ſororem Arſi-

noe in incestis nuptiis sibi copulasset, filios eius susceptos ex Lysimacho insidiose & perfide interfecit, & miseram matrem exulare coegit, iuxta versum Euripidis, quem Cicero in 3. officio. interpretatus est: Si violandum est ius, regnandi causa violandum est, in cæteris pietatem colas.

Sed hanc impietatem Deus paulo post puniuit. Nam Ptolemæus Ceraunus à Brenno duce Gallorum interfectus est, & graues iustasq; pœnas pro sceleribus persoluit.

In altera historia de pœna sacrilegij, id est, spoliati templi Delphici considerandæ sunt causæ, propter quas Deus permittit, vt pœnis opprimantur raptores bonorum Ecclesiasticorum.

Etsi enim Deus odit & detestatur speciem, videlicet religionem Ethnicam & præstigias Diaboli, quibus fascinati homines templum Delphicum tot tantisque donis auxerunt: tamē talibus exemplis admonet nos Deus de genere, videlicet de vitandis direptionibus & abusibus facultatum, quæ templis etiam falsa persuasione donatæ sunt. Et vt res facilius intelligatur, sumamus exemplum à superioribus seculis, quibus missæ funebres & venales collegia Canonicorum & monachorum in immensum auxerunt. Certum est, Deum non approbare, sed accerrime odisse, maximeque detestari horribilem profanationem Cænæ domini in mercatu missarum: tamen res atque euentus ostendit, Deo displicere distractionem profanam earum facultatum, quæ templis donatæ sunt, propter missas & similes cultus idololatricos. Vult enim Deus hæc spolia Ægypti conferri à magistratibus ad alendos ministros & scholasticos, & alios vere egentes, ac nisi conferantur ad tales vsus bona Ecclesiastica, Deus seuerissime punit magistratus, qui in priuatum vsum hæc spolia Ægygypti conuertunt: Altera causa hoc loco consideranda est, quia Deus hoc exemplo puniti sacrilegij voluit confirmare in Ethnicis furorem colendi idola, & cumulandi superstitiones iuxta sententiam Paul. 2. Thessal. 2. Quia non dilexerunt veritatem, ideo misit Deus efficacem errorem, vt puniantur hi, qui veritatem asper-

aſpernantur. Etenim iuſto iudicio Dei Idololatræ ſic puniuntur, vt in dies ſingulos magis ac magis confirmentur in ſuo errore, donec tandem de mente & ſanitate deturbati irruant in furores tragicos & inextricabiles, vt in Pſal. 69. dicitur: Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, &c.

Ptolemæo Ceranno & Antiocho.)

PRimus ſucceſſor Alexandri in Ægypto fuit Ptolemæus Lagus. Secundus fuit Ptolemæus Philadelphus. Huius frater fuit Ptolemæus Ceraunus vulpinator ille.

REGES ASIAE.

1 Antigonus, qui fuit primus ſucceſſor Alexandri Magni.
2 Demetrius πολιορκητής, id eſt, oppugnator vrbium.
3 Antigonus Gonatas, nepos Antigoni primi.
4 Demetrius, nepos primi Demetrij.
5 Antigonus, tutor Philippi.
6 Philippus poſterior.
7 Perſeus, qui à Romanis captus eſt & à L. Æmylio Paulo ductus in triumpho.

Itaq; plus liberis.)

EVripides in Andromacha ſcribit, Menelaum ſtruxiſſe inſidias vitæ Aſtyanactis, filioli Andromaches & Hectoris. Has inſidias cum animaduerteret Andromacha, confugit ad aram ſupplex, tanquam ad aſylũ. Cum igitur Menelaus non poſſet perſuadere Andromachæ, vt ab ara diſcederet, minitatus eſt ei, ſe interfecturũ eſſe filiolum Aſtynacta, niſi ab ara diſcederet. Ibi generoſa mater anteferens ſalutem ſobolis ſuæ ſaluti, diſceſſit ab ara, vt ſeruaret filiolum, cuius vita periclitabatur. Hoc exemplum declarat, quanta vis ſit materni amoris erga ſobolem, iuxta ſententiam Propheticam, Eſaiæ 49. *Nunquid mater poteſt obliuiſci infantem ſuum, &c.*

Nam

Namque Galli abundanti multitudine.)

Liuius lib.5.decad.1. & lib.8.decad.4. duas causas recitat, quæ Gallos impulerunt, vt relicta patria alias sedes quærerent. Vna est inopia commeatuũ. Cum enim gens Gallica esset populosa, non potuit ager Gallicus tantam multitudinem alere & sustentare. Quare, vt patriam exonerarent prægrauante multitudine, coloniæ Gallorum in alias gentes deductæ sunt. Altera causa fuit spes prædæ. Etenim Galli freti multitudine sua, quæ difficulter arceri & reprimi poterat, sperabant sibi omnia cessura esse, omnia fore prona. Hac spe incitati non modo alpes, quæ diuidunt Italiam à Gallia & Germania, transcenderunt, sed etiam in Asiam vsque penetrarunt duce Brenno, quibus sedes etiam tributa est à regibus Asiæ in ea parte, quæ postea Galatia dicta est. Sed his duabus causis multi eruditi addunt tertiam, videlicet significationem. Nam crebræ migrationes gentium ex aliis locis in alia significant humanum genus in hac vita exulare, nec habere certam sedem & quietem, donec hinc perducatur in æterna tabernacula. Hæc cogitatio de exilio totius generis humani pulsi patria cœlesti hominibus grata est, non solum quia admonet cogitantem de humana infirmitate, sed etiam de spe reditus in patriam, &c.

Vrbem Romam captam.)

Χρονολογία vrbis Romæ captæ à Gallis ἀπὸ τῆς κτίσεως, id est, à condita vrbe anno 360. testib. Liuio in lib.5.decad.1. Polyb. lib. 1. & Plutarcho in vita Camilli. Etsi autem multa sunt in hac historia digna consideratione: tamen inprimis notandum est exemplum amoris erga patriam in Camillo, qui cum ab ingratis ciuibus in exiliũ pulsus esset, non imitatus est Coriolanũ inferentem bellum patriæ, sed commoda patriæ sibi prima putauit, & vrbem Romam captam à Gallis excepto Capitolio, fusis ac profligatis, vel vt verius dicam, ad vnum cæsis copiis Gallorum, recuperauit & in veterem liber-

libertatem ac dignitatem vindicauit. Vtinam vero omnes homines hoc exemplum Camilli imitarentur in amanda & fouenda patria omnium laudatissima, videlicet Ecclesia, & anteferrent publicam tranquillitatem & florentem statum Ecclesiæ priuatis cupiditatibus, ambitioni, iracundiæ, mercaturæ propriarum vtilitatum.

Templum autem Appollinis Delphis.)

DE ORIGINE ORACVLI Delphici.

Diodorus Siculus libro 16. refert, cum Delphis antiquis temporibus ingens terræ hiatus extitisset, qua postea parte templi penetralia, id est, ἄδυτα fuerunt, ascendentes capellæ (nondum enim mons incolebatur) & accedentes propius ad hiatum mox cum sonos tum gestus mirificos edere cœperunt. Hæc custodem gregis miratum venisse & ipsum ad hiatum, eique idem quod capris accidisse. Quo diuulgato alij de vicinia complures experiri volentes, quæ res esset, progressi ad hiatum illum, statim mente se alienari, & vt Græci aiunt, ἐνθουσιάζειν, id est, numine corripi senserunt. Quam terræ diuinitatem attribuentes, multis annis in rebus quisque dubiis illo pro se oraculo fuit vsus, cum telluris esse χρηστήριον, id est, officinam quandã responsorum statuerent. Postea cum permulti in illo furore præcipites in hiatum ferrentur, placuit vaticinandi munus virgini delegare, quam & προφῆτιν & πυθίαν appellarunt. Vt tamen hæc illo fungi tuto posset, machinam quandam extruxerunt, super qua sine periculo posset exultare, & oracula reddere, quæ cum tres bases haberet, Tripodis nomen obtinuit. Addit etiam Diodorus, aliquantisper huic muneri virginem præfuisse: deinde quinquagenariam feminam sacerdotem constitutam. Quod autem verissima responsa dari crederentur Delphis, τὰ ἀπὸ τρίποδος prouerbiali figura dici cœperunt, quæ vera & indubitata sunt.

Expli-

EXPLICATIO ALIQVOT *quæstionum de oraculo Delphico.*

Prima.

CVR Deus permisit Diabolum ludere præstigiis oraculorum? Respondeo: In Epistola posteriori *ad Thess. cap. 2.* Vbi Paulus de Antichristo concionatur, diserte hæc causa exprimitur, propter quã Deus laxat Diabolo habenas, eiq; potestatẽ facit fascinandi miseros homines præstigiis dogmatum & miraculorum. Quia, inquit, veritatis dilectionem non susceperunt, ideo misit eis Deus efficacem errorem, vt credant mendacio. Ex quo perspicuum est, iusto iudicio Dei contemptores verbi diuinitus traditi, venire in potestatem Diaboli & ab eo malis artibus dementari, quæ pœna omnium tristissima est maximeque horrenda. Ita cum Græci & aliæ gentes aspernarentur doctrinam Propheticam, quæ sonabat in populo Israel, graues & iustæ causæ fuerunt, propter quas à Deo deserti sunt, & traditi in manum Diaboli, qui est mille opifex fraudum, scelerumque magister & auctor. Postquam vero miseri homines fuerunt in potestate Diaboli, hic astutissimus spiritus callide & veteratorie imitatus est actiones veræ Ecclesiæ Dei, vt fucum faceret leuibus & inconsideratis ingeniis, & iam captos doctis dolis & facetis fabricis irretitos teneret. Cum enim propria Ecclesiæ ornamenta sint miracula & vaticinia; vtrumque horum imitando exprimere conatus est, artes nocendi qui scit astutissime, quique omnem regni sui conatum in nostram perniciem parat atque meditatur. Edidit enim ad fascinandos & illaqueandos homines tum miracula tum oracula, vt nihil videretur interesse inter doctrinam Ecclesiæ & religiones Ethnicas. Sed de discrimine vtriusq; generis miraculorum & vaticiniorum, mox pauca dicam.

Secunda quæstio.

DE DISCRIMINE MIRACVLOrum & vaticiniorũ Ecclesiæ, & de quibusdam inusitatis euentibus & prædictionibus, quæ sunt meræ præstigiæ Diaboli.

TRes sunt causæ discernentes miracula & vaticinia Ecclesiæ propria ab iis, quæ allegant Ethnici. Prima causa est efficiens, videlicet inuocatio veri Dei. Nam miracula Ecclesiæ & vaticinia fiunt cum inuocatione illius veri & viui Dei, qui se patefacit Ecclesiæ certis & minime fallentibus testimoniis, qui est mens casta, iusta, benefica, verax, conseruatrix generis humani, vt Elias, Elisæus & alij Prophetæ facturi aliquid contra naturæ ordinem, inuocant Deum Israel, qui nec vult nec approbat peccatum, sed est iustissimus iudex tantum approbans ea, quæ congruunt cum verbo veritatis. At Diaboli præstigiæ nihil habent simile, sed fiunt cum quadam deformitate ceremoniarum & gestuum, & ipsa specie facti produnt auctorem, vt de Sibylla Æneid. 6. scribitur:

Et rabie fera corda tument maiorq́ue videri
Iam propriore Deo, &c.

Altera causa est formalis. Miracula Ecclesiæ propria, vt resuscitatio mortuorum, &c. sunt opera solius naturæ omnipotentis: Præstigiæ vero Diaboli sunt opera, quæ possunt effici à natura finita, vt quod apud Romanos discecuit quidam cotem nouacula, &c. Vaticinia vero Ecclesię differũt ab oraculis Delphicis & Diabolicis. Quia Diabolica, vt ipse Cicero inquit, in libro de diuinatione, sunt obscura, ambigua, & flexiloqua. Item, vaticinia Diabolica non complectuntur totius mundi historiam, sed continent aliquot tantum annorum spacium. Præterea oracula Diabolica sunt fallacia, & non semper habent testem experientiam. At nostrorum va-

tum dictis ex longissimi temporis interuallo accurate respondent euentus, nec vnquam deprehensum est vaticinium aliquod Propheticum, quod non re atq; euentu comprobaretur.

Tertia causa est finalis. Miracula & vaticinia Diabolica referuntur ad confirmandam & stabiliendam manifestā turpitudinem, in inuocatione mortuorum, in mactatione hominum, in confusione libidinum, vt Tiresias vates Thebanus promittit Thebanis victoriam aduersus exercitum Argiuorum, sed ita, si Creon mactaret suum filium: sic Calchas apud Homerum iubet mactari filiam Agamemnonis: sic Aristander vates Alexandri Magni iubet in aditu Syriæ mactari humanas hostias, &c. Miracula vero & vaticinia Ecclesiæ nullam turpitudinem confirmant, sed referuntur ad illustrandam & celebrandam gloriam Dei, & ad salutem generis humani.

TERTIA QVÆSTIO, QVARE oracula Delphica multis seculis conticuerint.

EVsebius lib. 5. vt opinor, de præparatione Euangelica, recitat querelam Porphyrij, qui grauiter questus est, inde vsque à nato Christo nullam posse vtilitatem capi ex Diis, propterea quod miracula & oracula defierint. Et Plutarchus in quodam libello quærit anxie causas, cur sua ætate conticuerint oracula, & ridicule digitum intendit ad materiam, affirmans oracula Delphica & alia conticuisse pp mutationē meatuū subterraneorum, quos putat ruina aliqua aut vetustate insigniter mutatos esse, & exemplum adfert de venis metallicis, quæ non sunt perpetuæ, sed suam habent periodum. Sed veram huius rei causam monstrat vox diuina in Genesi cap. 3. *Semen mulieris conteret caput serpentis*, hoc est, vt Ioannes 1. cap. 3. interpretatur: Filius Dei apparuit, vt destruat opera Diaboli, id est, ἔργα & πάρεργα. ἔργα sunt peccatum & mors, πάρεργα sunt ludi & præstigiæ oraculorum & miraculorū. Et in Euangelio Lucæ Christus inquit

inquit cap.10. *Fortis tantisper tenet domum, & ea, quæ sunt in domo, donec veniat aliquis fortior, qui eum exarmat, & spolia ad se transfert.* Ex his dictis non est obscurum, quid hac de re existimandum sit.

POSTREMA QVAESTIO, CVR Deus Brennum ducem Gallorum vna cum exercitu deleuit, violantem templum Delphicum?

ETsi causas consiliorum Dei in hac vita non satis intelligimus: tamen duæ causæ huius rei, de qua nunc dicimus, non reprehendenda coniectura afferri possunt, quarum vna est. Deus puniuit Brennum non propter speciem sed propter genus, hoc est, propter contemtum Epicuræum vniuersæ religionis, & omnium rerum diuinarum, & propter alienationem bonorum, quæ ad meliores vsus conferri debuerant: non puniuit eum principaliter propter violationem templi Delphici. Altera causa est, quia Deus hoc exemplo punitæ violationis templi Delphici suo quodam iudicio iusto augere & confirmare voluit cœcitatem & amentiam in Græcis & aliis hominibus, qui deserto & relicto verbo Dei patrocinium manifestæ turpitudinis & idololatriæ susceperunt, iuxta dictum Pauli supra recitatum.

Herodotus narrat in lib.1. Crœsum regem Lydorum opulentissimum, qui habuit diuites venas auri & argenti, donasse templo Delphico mille lateres ex solido auro fusos, ex hac materia aurea facta est ara tota aurea, ὁλόχρυσος.

Delphi plus in Deo quam in viribus suis reponentes.)

IN actis 14. Deus tantas res gessit μεθ' ἡμῶν Paul.1. Corinth.3. nos sumus συνεργοὶ Dei. Hoc dictum accipiendum est de copulatione auxilij diuini & vigilantiæ humanæ. Etsi certum est magnas & salutares res in Ecclesia & Repub. geri ope diuina, vt dicitur: *Sine me nihil potestis facere*: tamen vult Deus nostram diligentiam

velut laborem remigum sibi regenti & impellenti nauim non deesse. De hac copulatione causarum multa sapientissime dicuntur non solum in concionibus diuinis, sed etiam in historiis & poematis, & in libris Philosophorum.

IN LIBRVM XXV. & XXVI. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

LIBER 25. duas continet narrationes. Prima recitat seu describit victoriam Antigoni aduersus Gallos, qui tunc passim vagabantur per Græciam, Macedoniam, Thraciam. Altera narratio describit bellum Antigoni cum Pyrrho, in quo interfectus est Pyrrhus, cum esset tegula quadam ictus à femina Argiua, quæ conspicata erat filium suum esse in periculo à Pyrrho, ex quo ictu Pyrrhus decidit in terram ac postea à quodã milite Antigoni capite truncatus est.

Hesiodus de Æacidis.

Αἰακίδας πολέμῳ κεχαρηότας ἠέ γε δαιτί.

Æacidę bellō magis gaudebant, quam conuiuio.

Plutarchus in vita Pyrrhi recitat iocum Antigoni, quę comparauit Pyrrhum lusori, qui multum & bene iacit, sed nescit vti fortuna.

Lib. 26. In libro 26. tres sunt narrationes præcipuæ. Prima de tyranno Aristotimo, cuius immanis fuit crudelitas sine respectu vllius ætatis aut sexus. Secunda narratio est commemoratio mactationis humanarum hostia-

ſtiarum à Gallis factæ ante initium prælij cum Antigono Gonata. Tertia narratio recitat exemplum inceſti concubitus videlicet generi cum ſocro.

Iam videamus quid in ſingulis narrationibus obſeruandum ſit. Prima narratio nos commonefacit de pœna tyrannorum, de qua dictum eſt à Iuuenale:

Ad generum Cereris ſine cæde & vulnere pauci
Deſcendunt reges & ſicca morte tyranni.

Nam Ariſtotimus, qui immanem crudelitatem exercuit in ſuos ciues, oppreſſus eſt à quadam coniuratione, vt mox audiemus.

In ſecunda narratione de Gallis mactantibus humanas hoſtias pro ſalute exercitus meminerimus hiſtoriolam recitatam à Iulio Cæſare in 6. lib. de bello Gallico. Sic enim inquit Cæſar: Natio eſt omnium Gallorum admodum dedita religionibus, atque ob eam cauſam, qui ſunt affecti grauioribus morbis, quique in prœliis periculisque verſantur aut pro victimis homines immolant, aut ſe immolaturos vouent, adminiſtrisque ad ea ſacrificia Druidibus vtuntur, quod pro vita hominis niſi vita hominis reddatur, non poſſe Deorum immortalium numen placari arbitrantur, publiceque eiuſdem generis habent inſtituta ſacrificia: alij immani magnitudine ſimulacra habent, quorũ contexta viminibus membra viuis hominibus cõplent, quibus ſuccenſis circumuenti flamma exanimantur homines. Supplicia eorum, qui in furto aut latrocinio aut aliqua noxia ſunt comprehenſi gratiora Diis immortalibus eſſe arbitrantur, ſed cum eius generis deficit copia, etiam ad innocentium ſupplicia deſcendunt. Hæc Cæſar. Ex hac narratione æſtimari poteſt, quanta ſit infirmitas generis humani & quantus furor Diaboli impellentis miſeram & infirmam naturam hominum, vt pugnet cum luce & affectu naturali & ſæuiat in coniuges, liberos & reliquos cognatos impio nefarioque ſcelere. Donec enim homo regitur luce & affectu naturali, fieri nõ poteſt, vt hoc modo graſſetur, vt exiſtimet iram Dei placari poſſe atrociſſimis ſceleribus, cum

Deus sit natura iusta, benefica, casta verax, & conseruatrix generis humani. Sed de hac sententia plura dicuntur in doctrina Ecclesiæ.

Tertia narratio referenda est ad superiorem locum de infirmitate naturæ humanæ & rabie grassatoris Diaboli, qui si non reprimeretur diuinitus, singulos nos impelleret ad inuocationem idololatricam, ad mactationem humanarum hostiarum, ad tetram confusionem libidinũ, & ad alios furores, qui partim ita fœdi, partim ita flagitiosi sunt, vt dictu quoque turpes videantur. Hæc exempla cum legimus, expauescamus cogitatione tyrannidis Diaboli, & oremus filium Dei, vt destruat opera Diaboli, & reprimat hunc grassatorem, sicut scriptum est. 1. Ioan. 3. *Ideo apparuit filius Dei, vt destruat opera Diaboli.*

IN LIBRVM XXVII. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

CATALOGVS REGVM Siriæ.

SELEVCVS Nicanor.
Antiochus σωτήρ.
Antiochus θεός.
Seleucus Callinicus.
Antiochus ἱέραξ.

Catalogus Regum Aegypti.

Ptolemæus Lagi.

Pto-

Ptolemæus φιλάδελφος.

Ptolemæus ἐυεργέτης.

Liber 27. continet tragœdiam longe tristissimam duorum fratrum Seleuci Callinici, & Antiochi Hieracis, filiorum Antiochi, cui cognomen fuit θεός. Hi fratres inter se dimicant de regno, vt in tragœdiis Græcorum Eteocles & Polynices. Quantum autẽ scelus sit contaminari fraterno sanguine, omnes sani facile iudicare possunt, & Statius in Thebaide grauissime significat:

Fraternas acies alternaq; regna profanis
Decertata odiis, &c.

Cum autem hæc Tragica historia satis commode recita sit à Iustino, indicabo tantum præcipuum locum, ad quem lectio huius libri referenda est. Etsi enim præcipua vtilitas est harum narrationum illustratio Danielis cap. 11. tamen etiam hæc vtilitas, quæ ad mores spectar, non est negligenda. Accommodabimus igitur huius libri summam ad dictum grauissimum Senecæ in Hercule furente, vbi Theseus sic inquit:

Quod quisq; fecit, patitur. Autorem necis
Repetit, suoq; premitur exemplo nocens.
Vidi cruentos carcere includi duces,
Et impotentis terga plebeia manu
Scindi tyranni. Quisq; est placide potens,
Dominusq; vitæ, seruat innocuas manus,
Et incruentum mitis imperium regit,
Animoq; parcit, longa permensus diu
Felicis æui spacia, vel cælum petit,
Vel læta felix nemoris Elysii loca
Iudex futurus: sanguine humano abstine,
Quicunque regnas: scelera taxantur modo maiore
nostra.

IN LIBRVM XXVIII. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

IN hoc libello præcipua pars est narratio de bello Cleomenico, id est, eo bello, quod inter se gesserunt Cleomenes Rex Spartanus & Antigonus tutor Philippi Macedonici posterioris. Hoc bellum prolixe describitur à Polybio libro secũdo in fine & à Plutarcho in vita Cleomenis. Summa vero breuiter comprehendi potest ad hunc modum. Agidi Regi Spartano interfecto successit Cleomenes ducta in matrimonium Agidis vxore. Cum hoc Cleomene viro forte & magnanimo certauit æmulatione Aratus Sicyonius, cumque non posset eum bonis artibus vincere, confugit ad malas artes, & accersiuit in Peloponnesum Antigonum tutorem Philippi, qui in Sellasia aduersus Cleomenem dimicans sex millia Spartanorum ducentis exceptis, interfecit. Hac clade accepta Rex Cleomenes nauigans in Ægyptum aliquandiu vixit in aula Ptolemæi Philopatoris. Sed vt sunt in aulis vsitatissimæ suspiciones & calumniæ, quibus omnium maxime onerantur peregrini: ita Cleomeni in aula regis ignaui & luxu perditi, cui aliena virtus suspecta erat, struuntur insidiæ ab adulatoribus & sycophantis aulicis, quibus animaduersis Cleomenes ipse sibi necem consciuit, ne viuus veniret in potestatem insidiatorum. Ptolemæus vero persuasus ab aulicis iussit mortuo Cleomeni pellem detrahi, & cadauer nudatum pelle in furca suspendi. Quod quidem post aliquot dies serpens ex corpore ipsius natus ample-

amplexus est. In ea historia Putarchus pulcrum Epiphonema Physicum attexit inquiens, ex cadaueribus boum nasci apes, ex mortuis equis & putrefactis nasci crabrones, ex asinis nasci post mortem scarabæos, denique ex medullis ossium humani corporis scaturire serpentes. Nec vero difficile est huius narrationis allegoriam deprehendi. Nam taurus mactatus, ex quo nascuntur apes, significat Christum, ex quo mortuo nascitur Ecclesia. Crabrones significant tyrannos. Vt enim crabrones nascuntur ex equis putrefactis: ita gubernatores degenerantes fiunt tyranni. Item, scarabæi nati ex cadauere asinino, qui sunt infestissimi aquilis, sunt imago vulgi tumultuantis seditione aduersus potentes. Postremo tristissimum est, quod ait Plutarchus, ex homine putrefacto nasci serpentes. Ea res significat, naturam humanam à serpente Diabolo veneno infectam esse & homines impios, qui non conuertuntur ad Deum manere serpentes, id est, organa Diaboli & hostis Dei, qua miseria nulla maior excogitari potest.

DE SECVNDO BELLO PVNICO.

Bellum Punicum secundum, quo nullum neque maius neque periculosius Romani gessere, post pacem à Q. Luctatio cum Carthaginensibus factam annis 23. initum P. Cornelio. T. Sempronio consulibus, finitum est septimo decimo anno Cn. Cornelio Pub. Ælio Peto consulibus. *Liuius lib. 8. dec. 4.*

In hoc bello maxime memorabili omnium, quæ vnquam gesta sunt, iucundum est videre, callida & audacia consilia Annibalis, qui vere fuit, vt de Lysandro Græci dicunt, δεινὸς σοφιστὴς ἐν ὅπλοις, id est, acer sophista in armis: Fabij Maximi constantiam, Marcelli fortitudinem, & Scipionis incredibilem ac pene diuinam moderationẽ, quæ à Græcis ἠθικὴ appella-

 tur.

tur. Quam me delectat Annibalis strategema, qui interclusus a Fabio mira arte patefecit sibi exitum. Etenim boum cornibus alligauit sarmenta incensa, vt exercitui Romano errorem obiiceret. Miror & suspicio Fabij Maximi constantiam, cui propositum erat, saluti patrię consulere, id vt perficiat, arcet hostem; & quia non proderat pugnare post tot clades acceptas, cedit arte, sic tamen, vt Rempub. tegat, nec hostis prouehi possit. Et quanquam vituperatur à ciuibus: tamen his iniuriis non mouetur, vt salutare consilium mutet, nec mouet domesticos tumultus, sed omittit certamina ciuilia, ne Respub. impediatur in defensione communis salutis, cedit magistro equitum, quod Cato nequaquam fecisset. Talem virum difficile est nasci, qui manibus pedibus & mente sit τετράγωνος, vt Simonides apud Platonem inquit.

Descriptio Heroici impetus.

Polybius citat de Æacidis Hesiodi versum: Æacidæ bello magis gaudebant quam conuiuiô: Αἰακίδας πολέμῳ κεχαρηότας ἠΰτε δαιτί. Huius versiculi exemplum illustre in Marcello conspicitur, qui cum acerrimos haberet ad virtutem stimulos, non voluptatibus vllis magis delectatur quam virtute. Quare ingenti impetu rapitur ad res præclaras, nec susceptos labores in medio cursu remittit, nec tempora & occasiones oblatas elabi sibi patitur.

Hac Plato in fine Menonis.

Tanta virtus nec natura hominibus inest, nec doctrina comparatur, sed diuinitus existit in præstantibus naturis, & testatur, hunc mundum Dei consilio & prouidentia regi. Ideo præclare Cicerò dixit. Nullū magnum virum sine afflatu diuino fuisse. Quid dicam de Scipione, qui fuit verecundus, grauis, sed cum quadam comitate, animo excelso & dirigente consilia ad veram rationem, non ad vulgi opiniones, patientia & modestia singulari. Cessit enim tribunitiis criminationibus, ne, si durius aduersaretur, excitaret ciuile incendium, cum haberet exercitus in potestate ac facilime posset illos sycophantas compescere. Denique nullum ducem legimus in historiis, in quo ita luceat id, quod proprie vocatur ἠθικὸν coniunctum cum imperatoriis artibus & virtutibus vt in Scipione. Hanc virtutis excellētiam omnes

Demosth. *Qui negligit occasiones diuinitus oblatas, est ingratus aduersus Deum.*

sani

ſani mirantur,& agnoſcunt,hos impetus ſupra communem naturæ infirmitatem flagrantes, eſſe teſtimonia præſentiæ Dei inter homines,conſulentis hominũ vtilitati, & excitantis heroicos viros ad conſtituenda aut defendenda imperia.Sed tum facilime hos viros noſcemus, cum velut in ſcenam producti conſpicientur, & quisq; ſua negotia recte adminiſtrabit. Accedo igitur ad breuẽ huius belli deſcriptionem repetitam ex optimis auctoribus Polybio, Liuio & Plutarcho, qui ſingulos actus huius fabulæ, vt ita dicam, ornate copioſeque recitarunt. Ordior autem à cauſis & proſopographia Hannibalis, quem pater Amilcar paruum admodum, cum ſacrificaret,altaribus admotum iureiurando adegit nunquam fore amicum populi Romani. Vere ac grauiter dixit Polybius lib.3.aliud eſſe cauſam belli Punici, aliud occaſionem,ſeu aliud αἴτιον aliud ἀφορμήν. Αἴτιον vocat principalem cauſam, vt principalis cauſa belli Punici erat odium ardens aduerſus Romanos, & vindictæ cupiditas in Carthaginenſibus. Etſi enim nulla magna ciuitas diu quieſcere poteſt: tamen Carthago præcipuo quodam dolore angebatur propter Siciliam,Sardiniamque amiſſam, & gloria creſcentis Romæ vehementer vrebatur. De hac odij acerbitate in Carthaginenſibus aduerſus Romanos Dido apud Virgil. libr. 4. Æneid. vaticinatur,

Tum vos ô Tyrii ſtirpem & genus omne futurum,
Exercete odiis cineresque hæc mittite noſtra
Munera:nullus amor populis nec fœdera ſunto.
Exortare aliquis noſtris ex oſſibus vltor,
Qui face Dardanios ferroque ſequare colonos,
Nunc olim,quocunque dabunt ſe tempore vires.
Littora littoribus contraria, fluctibus vndas,
Imprecor,arma armis pugnent ipſique nepotes,

Ἀφορμὴ eſt minus principalis cauſa vel aliqua leuis προκαταρκτικὴ vel circumſtantia temporis aut loci, quæ non eſt cauſa, ſed facultatem præbet flagrantibus cupiditate aliqua agendi quod volent. Ita controuerſia de Sagunti finibus fuit leuis προκαταρκτικὴ cauſa belli Punici ſecundi.Erant enim in Hiſpania per id tempus Saguntini quaſi medij inter Romanorum & Carthaginenſium

fines iure fœderis in libertate relicti. Hi postea se totos Romanis dedidere & fidem socialem vsque ad perniciem suam coluerunt. Inter hos & finitimos maxime Turdetanos certamina de regendis finibus serebantur, quos cum adisset idem, qui litis erat sator, nec certamen iuris, sed vim quæri appareret, legati à Saguntinis Romam missi auxilium ad bellum iam haud dubie imminens orabant. Hæc semina fuerunt maximi & funestissimi belli, in quo etsi varia fortuna ancepsq; Mars fuit: tamen exitus velut æquus iudex, vnde ius stabat, ei victoriam dedit.

Isacra. *Omnium bellorum exitus tandem congruunt cum iustitia norma.*

Nunc Annibalem præcipuum huius fabulæ actorem verbis Liuianis describamus, cum in omni historia nihil tam consideratione dignum sit, quam imagines illustrium personarum. Nunquam ingenium idem ad res diuersissimas, parendum atque imperandum habilius fuit. Itaque haud facile discerneres, vtrum imperatori, an exercitui charior esset: neque Asdrubal alium quenquã præficere malle, vbi quid fortiter ac strenue agendum esset, neque milites alio duce plus confidere, aut audere. Plurimum audaciæ ad pericula capescenda, plurimum consilij inter ipsa pericula erat: nullo labore aut corpus fatigari aut animus vinci poterat: caloris ac frigoris patientia par: cibi potionisque desiderio naturali, non voluptate modus finitus. Vigiliarum somnique nec die nec noctu discriminata tempora: id quod gerendis rebus superesset, quieti datum, ea neque molli strato neque silentio accersita: Multi sæpe militari sagulo opertum, humi iacentem inter custodes stationesque militum conspexerunt. Vestitus nihil inter æquales excellens, arma atque equi conspiciebantur. Equitum peditumque idem longe primus erat: princeps prœlium inibat: vltimus conserto prælio excedebat. Has tantas viri virtutes ingentia vitia æquabant: inhumana crudelitas, perfidia plusquam Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus Deûm metus, nullum iusiurandum, nulla religio. Cum hac indole virtutum ac vitiorum triennio sub Asdrubale imperatore meruit, nulla re, quæ agenda audendaque magno futuro duci esset, prætermissa. Cæterum ex quo die dux est decla-

Ouid. *Exitus acta probat.*

Salom. *Vt oculus videat & auris audiat Deus facit vtrũque.*

declaratus, velut Italia ei prouincia decreta, bellumque Romanum mandatum esset, nihil prolatandum ratus, ne se quoque vt patrem Amilcarem, deinde Asdrubalem, cunctantem casus aliquis opprimeret. Saguntinis bellum inferre statuit, quibus oppugnandis haud dubie Romana arma mouebātur. Hactenus prolegomena vsque ad chronologiam secundi belli Punici breuiter explicauimus; iam si placet, quid quoq; anno gestum sit, videamus.

De primo anno.

HIC annus tribus euentibus maxime insignis est, Saguntini expugnatione, transitu Annibalis in Italiam, & clade Romani exercitus ad flumen Trebiam. Quod enim diu parturierat animus Annibalis, id aliquando peperit, hoc est, Saguntum ciuitatem longe opulentissimam vltra Iberum sitam, passus 1000. ferme à mari, summa vi oppugnauit. Eius rei fama cum Romam allata esset, placuit patribus mitti legatos, qui primum Annibali denunciarent, vt ab Saguntinis sociis populi Romani abstineret: deinde in Africam traiicerent, ad deposcendum pro fœdere violato Annibalem. Sed hæc legatio vana atque irrita fuit, partim quia ab Annibale admissi auditique non sunt, partim, quia Barchina factio in senatu Carthaginensi ita præparata & occupata erat artibus Annibalis, vt Hanno contrariæ factionis princeps suadens pacem, & deditionem Annibalis, surdis fabulam narraret. Dum Romani tempus terunt legationibus mittendis, Annibal machinis admotis acrius vrgens obsidionem Sagunti, quam quidem adeo pertinaciter oppidani tolerarunt, vt ad extremum crescente inopia omnium rerum plerique in ignem semetipsos præcipitarint. Captum oppidum est cum ingenti præda, quanquam pleraque à dominis de industria corrupta erant, & in cædibus vix vllum discrimen ætatis ira fecerat, & captiui militum præda fuerant. Octauo mense postquam cœptum oppugnari, captum Saguntum Polybius scribit,

Sub

Sub idem fere tempus & legati, qui redierant a Carthagine, Romam retulerunt, omnia hostilia esse, & Sagunti excidium nunciatum est: itaque patres simul misericordia calamitatis sociorum, simul indignatione aduersus Carthaginenses & Annibalem moti, consulibus decernunt prouincias, Cornelio Hispaniam, Sempronio Africam cum Sicilia, & terrestres maritimasque copias, quantæ ad res gerendas necessariæ videbantur. His ita comparatis, vt omnia iusta ante bellum fierent, legatos in Africam mittunt, qui post longam disceptationem de fœderum iure frustra agitatam, sinu ex toga facto: Hic inquiunt, vobis bellũ & pacem portamus, vtrum placet, sumite. Sub hanc vocem haud minus ferociter, Placet, vtrum vellent, succlamatum est, & cum Romani iterum sinu effuso bellum dare dixissent, accipere se omnes responderunt, & quibus acciperent animis, iisdem se gesturos.

Annibal Sagunto capto Carthaginem nouam in hyberna concesserat, ibique auditis, quæ Romæ, quæque Carthagine acta decretaque forent, seque non ducem solum, sed etiam causam esse belli, nihil illa differẽdum ratus, milites conuocat, & his edicit, vt visis quæ cuique chara sint, primo vere adsint, & bellum ingentis gloriæ prædæque futurum incipiant. Per totum hyemis tempus quies inter labores aut iam exhaustos aut mox exhauriendos renouauit corpora animosque ad omnia de integro patienda. Vere primo ad edictum conuenere. Porro vt quondam lex castrensis notabat ignominia nó eum, qui gladium, sed clypeum abiecerat, quia prior esse cura nostri tuendi debet, quam hostes feriendi: ita Annibal partiens curas simul inferendi atque arcendi bellum, ne, dum ipse terrestri per Italiam Galliasque itinere Italiam peteret, nuda apertaque Romanis Africa esset, valido præsidio eam firmauit, neque Hispaniam negligendam ratus, Asdrubali fratri viro impigro eam prouinciam destinauit, firmauitq; eam Africis maxime præsidiis.

Fama est Annibalem, cum è noua Carthagine discederet, visum esse in somniis à Ioue in Deorum consilium vocari, quo cum venisset, Iouem imperauisse, vt Italiæ bellum

bellum inferret, ducemque ei vnum è concilio datum: quo illum vtentem cum exercitu progredi cœpisse, tum ei ducem illum præcepisse ne respiceret, illum autem id diutius facere non potuisse, elatumque cupiditate respexisse: tum visam beluam vastam & immanem circũplicatam serpentibus, quacunque incederet, omnia arbusta, virgulta, tecta, peruertere, & eum admiratum quæsisse de Deo, quodnam esset tale monstrum, & Deum respondisse, vastitatem esse Italiæ, præcepisseque vt pergeret ocyus, quid retro atque à tergo fieret, ne laboraret. Hoc viso elatus Iberum copias traiecit, præmissis qui Gallorum animos, qua traducendus exercitus erat, donis conciliarent, Alpiumque transitus specularentur. Nonaginta millia peditum, 12. millia equitum Iberum traduxit. Reguli vero Gallorum capti donis cum bona pace exercitum per fines suos, præter Ruscinonem oppidum transmiserunt. Annibal cæteris metu aut pretio pacatis, iam in Volcarum peruenerat agrum gentis validæ. Colunt autem circa vtramque ripam Rhodani. Hos accolas fluminis pellicit donis ad naues vndiq; contrahendas, fabricandasque. Itaque ingens coacta vis nauium est, &, vt breui comprehendam, exercitus Rhodanum traiectus est. Cum Elephanti traiiciuntur, interim Annibal Numidas equites quingentos ad castra Romana miserat speculatum, vbi & quantæ copiæ essent, & quid pararent. Huic alæ equitum missi ab ostio Rhodani trecenti Romanorum equites occurrunt, prælium atrocius, quam pro numero pugnantium editur. Nam præter multa vulnera cædes etiam prope par vtrinque fuit, fugaque & pauor Numidarum Romanis iam admodum fessis victoriam dedit. Victores ad centum sexaginta, nec omnes Romani, sed pars Gallorum: victi amplius ducenti ceciderunt. Hoc principium simulque omen belli, vt summę rerum prosperum euentũ, ita haud sane incruentam ancipitisque certaminis victoriam Romanis portendit. Postero die Annibal profectus aduersa ripa Rhodani mediterranea Galliæ petit: non quia rectior ad Alpes via esset, sed quantum a mari recessisset, minus obuiam fore Romanũm credens, cum quo priusquam in Italiam ventũ foret, non erat in animo manus con-

conſerere. Cum iam alpes peteret: tum, quanquam fama prius, qua quidem incerta in maius vero ferri ſolent, percepta res erat: tamen ex propinquo viſa montium altitudo, niuesque cœlo prope immiſtæ, tecta informia, impoſita rupibus, pecora, iumentaque torrida frigore, homines intonſi & inculti, animalia, inanimaq; omnia rigentia gelu, cætera viſu quam dictu fœdiora terrorē renouauere. Sed inuia virtuti nulla eſt via: etenim nono die maxima contentione corporum & animorũ in iugum alpium peruentum eſt, & biduum in iugis ſtatiua habita, feſſisq; labore ac pugnando quies data militibus. Ad reliquas difficultates quibus alpes ſuperandæ erant niuis etiam caſus, occidente iam ſidere Vergiliarũ accedebat. Itaq; per omnia niue oppleta, cũ ſignis prima luce motis, ſegniter agmen incederet, pigritiaque & deſperatio in omnium vultu emineret, prægreſſus ſigna Annibal, in promontorio quodam, vnde longe ac late proſpectus erat, conſiſtere iuſſis militibus Italiam oſtentat, ſubiectosq; alpinis montibus circumpadanos campos: mœniaque eos tum tranſcendere non Italiæ modo ſed etiam vrbis Romæ. cætera plana, procliuia fore, vno aut ad ſummum altero prælio arcem & caput Italiæ in manu ac poteſtate habituros. Procedere inde agmē cœpit & ad rupem minuendam, per quam vna via eſſe poterat, milites ducti: cumq; cædendum eſſet ſaxum, arboribus circa immanibus deiectis, detruncatisque ſtruem ingentem lignorum faciunt: eamque cum & vis venti apta faciendo igni coorta eſſet, ſuccendunt, ardentiaque ſaxa infuſo aceto putrefaciunt. Ita torridam incendio rupem ferro pandunt, molliuntque anfractibus modicis cliuos, vt non iumenta ſolum, ſed etiam Elephanti deduci poſſent: Quatriduum circa rupem conſumtum, inde ad planum deſcenſum eſt. Hoc maxime modo peruentum eſt in Italiam quinto menſe à Carthagine Noua (vt Polybius auctor eſt in lib. 3.) quinto decimo die alpibus ſuperatis. Diſtat autem Carthago Noua à Gallia trãſalpina nouem millibus ſtadiorum, hoc eſt, milliaribus Germanicis 280.

GEN-

GENEALOGIA SCIpionum.

Cornelius Scipio.

P.Scipio.	Cn.Scipio.
Cornelius Scipio Africanus.	P.Cornelius Nasica.
Lucius Scipio Asiatticus.	

Sequitur vt de primo prælio Annibalis cum Scipione patre Africani dicã. Iam prope in conspectu erant ambo exercitus ad Ticinum amnẽ motis castris, ac priusquam in aciem educerentur, adhortandorum militum causa vterque dux orationem habuit. Milites Annibalis audita adhortatione sui ducis, ita ad certamen accensi sunt, vt prœlium vno animo & voce vna poscerent. Apud Romanos haud quaquam tanta alacritas erat, super cætera recentibus etiam territos prodigiis. Nam & lupus intrauerat castra, laniatisque obuiis, ipse intactus euaserat: & examen apium in arbore prætorio imminente consederat. Consistebat vtrumque agmen & prœlio sese expediebant. Scipio iaculatores & Gallos equites in fronte locat: Romanos, sociorumque quod roboris fuit, in subsidiis. Annibal frænatos equites in medium accipit, cornua Numidis firmat. Vixdum clamore sublato iaculatores fugere inter subsidia ad secundam aciem: inde equitum certamen erat aliquandiu anceps. Deinde quia turbabant equos pedites intermisti, multis labentibus ex equis aut desilientibus, vbi suos premi circumuentos vidissent iam magna ex parte anceps pugna erat: donec Numidæ, qui in cornibus erant, circumuecti paululum, à tergo se ostenderunt. Is pauor perculit Romanos, auxitque pauorem consulis vulnus, periculumque intercursu tum primo pubescentis filij propulsatur. Hic erat iuuenis, penes quem perfecti huius belli laus est, Africanus ob egregiam victo-

victoriam de Annibale & de Pœnis appellatus. Fuga tamen effusa iaculatorum maxima fuit, quos primos Numidæ inuaserunt. Alius confertus equitatus consulem in medium acceptum non armis modo, sed etiam corporibus suis protegens, in castra, nunquam trepide neque effuse cedendo, reduxit. Hoc primum cum Annibale prælium fuit, quo facile apparuit & equitatu meliorem esse Pœnum: & ob id campos patentes, quales sunt inter Padum, alpesque, bello gerendo aptos non esse. Itaque Scipio quanquam grauis adhuc vulnere erat: tamen proxima nocte tacito agmine profectus ad Trebiam fluuium per Placentinos agros in Padum influentem in loca altiora, collesq; impeditiores equitibus castra mouit, & collegam, (iam enim reuocatum ex Sicilia audierat) ratus expectandum, locum, qui prope flumen Trebiam tutissimus statiuis est visus, delectum communiuit.

Iam ambo consules, & quicquid Romanorum virium erat Annibali oppositum, aut illis copiis defendi posse Romanum imperium, aut aliam spem nullam esse satis declarabat. Tamen consul Scipio alter equestri prælio vno & vulnere suo minutus, trahi rem malebat; recentis animi alter eoque ferocior nullam dilationē patiebatur. Stimulabat & tempus propinquum comitiorum, ne in nouos consules bellum differretur: & occasio in se vnum vertendæ gloriæ, dum æger collega erat. Itaque nequicquam dissentiente Cornelio, parari ad propinquum certamen milites iubet. Annibal, cum, quid optimum foret hosti, cerneret: vix vllam spem habebat, temere atque improuide quicquam consules acturos. Sed cum alterius ingenium fama prius, deinde re cognitum, percitum ac ferox sciret esse, ferociusque factum ex prospero cum prædatoribus suis certamine crederet: adesse rei gerendæ fortunam haud diffidebat, cuius ne quod prætermitteret tempus, solicitusque & intentus erat, dum tyro hostium esset miles: dum meliorem ex ducibus inutilem vulnus faceret. Cum ob hæc talia sperarer propinquum certamen, & facere si cessaretur, cuperet, non modo locum insidiis aptum deligit, sed etiam Numidas equites transgressos Trebiam flumen obe-

obequitare iubet hostium portas, iaculandoque in stationes elicere ad pugnam hostem. Sempronius ad tumultum Numidarum primum omnem equitatum ferox ea parte virium, deinde sex millia peditum, posttemo omnes copias ad destinatum locum iam ante consilio, auidus certaminis educit. Vt igitur audacia & temeraria consilia prima specie læta, tractatu dura, euentu tristia esse conuenerunt, ita culpa huius ambitiosi & inquieti consulis, qui ponebat rumores ante salutem, nec commoda patriæ sibi prima putabat, ingens clades ad Trebiam accepta est. Finis insequendi hostis Pœnis flumen Trebia fuit: quietisque Pœnis tacito agmine à Scipione consule exercitus Placentiam est perductus: inde Pado traiectus Cremonam, ne duorum exercituum hybernis vna colonia premeretur. Sempronius consul ingenti periculo per effusos passim ad prædandum hostiū equites audacia magis quam consilio, aut spe fallendi resistendiue, si non falleret, transgressus, id quod vnum maxime in præsentia desiderabatur, comitiis consularibus habitis in hybetna rediit.

DE ANNO SECVNDO
secundi belli Punici.

CReati consules Cn. Sernilius & C. Flaminius, cui immolanti in auspiciis consularibus vitulus iam ictus è manibus sacrificantium sese cum proripuisset, multos circumstantes cruore respersit. Id à plerisque in omen magni terroris acceptum. Augebant metū prodigia ex pluribus simul locis nunciata: in Sicilia militibus aliquot spicula: in Sardinia autem in muro circumeunti vigilias equiti, scipionem, quem manu tenuerat, arsisse: & littora crebris ignibus fulsisse, & scuta duo sanguinem sudasse & Antij metentibus cruentas in corbem spicas cecidisse; & Faleriis cœlum findi visum velut magno hiatu, quaque petuerit, ingens lumen effulsisse. Hæc prodigia ingentes clades populi Romani ad Thrasymenum & ad Cannas significarunt.

Ouid. *Principiis omen inesse solet.*

Iam ver appetebat, cum Annibal ex hybernis mouit, &

quia Flaminium consulem Arretium peruenisse fama erat: cum aliud longius, cæterum commodius ostenderetur iter, propiorem viam per paludem petit, qua fluuius Arnus per eos dies solito magis inundauerat. In hac palude æger Annibal oculis ex verna primum intemperie, variante calores frigoraque, Elephanto, qui vnus superfuerat, quo altius ex aqua extaret, vectus: vigiliis tamen & nocturno humore palustriq; cœlo grauante caput, & quia medendi nec locus nec tempus erat altero oculo capitur. Multis hominib. iumentisq; fœde amissis, cum tandē de paludib. emersisset, vbi primū in sicco potuit, castra mouit. Regio erat in primis Italię fertilis, Hetrusci campi, qui Fesulas inter Arretiūq; iacent, frumenti ac pecoris & omnium copia rerum opulenti.

Consul Flaminius ferox ab consulatu priore, & non modo legum aut patrum maiestatis, sed ne Deorū quidem satis metuens erat. Hanc insitam ingenio eius temeritatem fortuna prospero ciuilibus bellicisq; reb. successu aluerat. Itaq; satis apparebat, nec Deos nec homines consulentē, ferociter omnia ac prępropere acturum: quoq; pronior esset in vitia sua, agitare eum atq; irritare Pœnus parat: & læua relicto hoste Fesulas petens Hetruriæ agros prædatum profectus, quantā maximam vastitatē potest, cædibus incendijsq; consuli procul ostēdit. Flaminius, qui ne quieto quidē hoste ipse quietus erat: tum vero postea quā res sociorū ante oculos prope suos ferri agiq; vidit, suum id dedecus ratus per mediā iam Italiam vagari Pœnum atq; obsistente nullo ad ipsa Romana mœnia ire oppugnāda: cęteris in concilio salutaria magis, quam speciosa suadentibus, collegam expectandum, vt coniunctis exercitibus cōmuni animo cōsilioq; rem gererent: interim equitatu, auxiliisq; leuium armorum ab effusa prædandi licentia hostem cohibendum: iratus, se ex consilio proripuit, signumque simul itineris pugnæque proposuit: cumque ocyus signa conuelli iuberet, & ipse in equum insiluisset, equus repente corruit, consulemque lapsum super caput effudit. Territis omnibus, qui circa erant, velut fœdo omine incipiendæ rei, insuper nunciatur signum omni vi moliente signifero conuelli nequire. Conuersus, inquit ad nun-

cium

cium: Num literas quoq; à senatu affers, quæ rem gerere vetent? abi, nuncia, signum effodiant, si ad conuellendum manus præ metu obtorpuerint. Procedere deinde agmen cœpit: primoribus super quam quod dissenserant à consilio, territis etiam dupliti prodigio: milite in vulgus læto ferocia ducis, cum spem magis ipsam, quam causam spei intueretur. Annibal quod agri est inter Cortonam vrbem Thrasymenumq; lacum, omni clade belli peruastat, quo magis iram hosti ad vindicandas sociorum iniurias acuat. Etiam peruenerant, ad loca insidiis nata, vbi maxime montes Cortonenses Thrasymenus subit. Pœnus, vbi id quod petierat, clausum lacu montibusque & circumfusum suis copiis habuit hostem, signum omnibus dat inuadendi. Consul perculsis omnib. ipse satis vt in trepida re impauidus turbatos ordines, vertentesq; se quoque ad dissonos clamores instruit, vt tempus locúsq; patitur, & quacunq; potest, adhortatur & stare & propugnare iubet. Nec enim inde votis aut imploratione Deûm, sed vi & virtute euadẽdũ esse: per medias acies ferro viam fieri: & quo timoris minus sit, eò minus ferme periculi esse. Hac cohortatione audita tãtus fuit ardor animorum, adeo intentus pugnæ animus, vt eum terræmotum, qui multarum vrbium Italiæ magnas partes prostrauit, auertitque cursu rapido amnes, mare fluminibus inuexit, montes lapsu ingenti proruit, nemo pugnantium senserit. Tres ferme horas pugnatũ est, & vbiq; atrociter. Tandem interfecto consule fuga cœpit; & iam nec lacus nec montes obstabant pauori. Per omnia arcta præruptaque veluti cæci euadunt. Sed millia ferme primi agminis per aduersos hostes eruptione impigre facta, fidem dante Maharbale, qui cum omnibus equestribus copiis nocte consequutus erat, si arma tradidissent, abire cum singulis vestimentis passurum, sese dediderunt. Quæ Punica religione seruata fides ab Hannibale est, atque in vincula omnes coniecti. Hæc est nobilis ad Thrasymenum pugna atq; inter paucas memorata populi Rom. clades. Quindecim millia Romanorum in acie cæsa sunt: decem millia sparsa fuga per omnem Hetruriam diuersis itineribus Romam peruenerunt. Mille & quingenti hostiũ in acie, multi postea

vtrinque ex vulneribus periere. Romæ ad primum nuncium cladis eius, cum ingenti terrore & tumultu cõcursus in forum populi est factus. Feminarum præcipue & gaudia insignia erant, & luctus. Vnam in ipsa porta sospite filio repente oblato in conspectu eius expirasse ferũt: Alteram, cui mors filij falso nunciata erat mœstam sedentem in porta ad primum conspectum redeuntis filij gaudio nimio exanimatam. Senatum prætores per dies aliquot ab ortu vsque ad occidentem Solem in curia retinent, consultantes, quonam duce & quibus copiis resisti victoribus Pœnis posset. Priusquam satis certa consilia essent, repens alia nunciatur clades: quatuor millia equitum cum C. Centronio proprætore missa ad collegam à Seruilio consule in Vmbria, quo post pugnam ad Thrasymenũ auditam verterant iter, ab Annibale circumuenta. Eius rei fama varie homines affecit. Pars occupatis maiore ægritudine animis, leuem ex cõparatione priorum ducere recentem equitum iacturam. Pars non id quod acciderat, per se æstimare, sed vt in affecto corpore, quamuis leuis causa magis, quam in valido grauior sentiretur: ita tum ægræ & affectæ ciuitati quodcunque aduersi acciderit, non rerum magnitudine, sed viribus extenuatis, quę nihil quod aggrauaret, pati possent, æstimandum esse. Itaque ad remedium iam diu desideratum nec adhibitum, dictatorem dicendum, ciuitas confugit: & Quintum Fabium Maximum dictatorem, & magistrum equitum M. Minucium Rufum creauit. Annibal interim recto itinere per Vmbriam vsque ad Spoletum venit. Inde in Agrum Picenum auertit iter: ibi per dies aliquot statiua habita, refectusque miles. Vbi satis quieti datum, profectus, Prætutianum Adrianumque agrum, Marsos inde Marrucinosque & Pelignos deuastat, circaque Arpos & Luceriam proximam Apuliæ regionem. Dictator exercitu consulis accepto à Fuluio Flacco legato, itineribus summa cum cura exploratis, ad hostem ducit, nullo loco, nisi quantum necessitas cogeret, fortunæ se commissurus. Quo primum die haud procul Arpis in conspectu hostium posuit castra, nulla mora facta, quin Pœnus educeret in aciem, copiamq; pugnandi faceret. Sed vbi quieta omnia apud

hostes, nec castra vllo tumultu mota videt, in castra redit. Cæterum tacita cura animum incensus, quod cum duce haudquaquam Flaminio Sempronioq; simili, futura sibi res esset: ac tum demum edocti malis Romani parem Annibali ducem quæsissent: & prudentiam quidem non vim dictatoris extemplo timuit, constantiamque eius haud dum expertus, agitare ac tentare animum mouendo crebro castra, populandoque in oculis eius agros sociorum, cœpit. Fabius per loca alia agmen ducebat, modico ab hoste interuallo, vt neque omitteret eũ, neque congrederetur castris, nisi quantum vsus necessario cogeret, tenebatur miles, pabulum & ligna non pauci petebant, nec passim. Equitum leuisq; armaturæ statio composita instructaque in subitos tumultus, & suo militi tuta omnia & infesta effusis hostium populatorib. præbebat, neque vniuerso periculo, summa rerum committebatur, & parua momenta leuium certaminum ex tuto cœptorum finitimorum receptu, assuefaciebant territum pristinis cladibus militem, minus iam tandem aut virtutis aut fortunæ pœnitere suæ. Sed non Annibalem magis infestum tam sanis consiliis habebat, quam magistrum equitum, qui nihil aliud, quam quod non imperabat, more ad Rempub. præcipitandam habebat. Ferox rapidusque in consiliis & lingua immodicus, primo inter paucos, deinde propalam in vulgus, pro cunctatore segnem, pro cauto timidum, affingens vicina virtutibus vitia compellabat: premendorumq; superiorum arte, quæ pessima ars nimis prosperis multorũ successibus creuit, sese extollebat. Stultitia est, inquit, sedendo aut votis debellari credere posse: armari copias opórtet, deducendas in æquum, vt vir cum viro congrediaris. Audendo agendoque res Romana creuit, non his sensibus consiliisue, quæ timidi cauta vocant. Fabius pariter non minus in suos, quam hostes intentus, prius ab aliis inuictum animum præstans, quanquam probe scit, non in castris modo suis, sed iam etiam Romæ suã cunctationem infamem esse, obstinatus tamen eodem consiliorum tenore, æstatis reliquum extraxit: vt Annibal destitutus à spe summa appetiti certaminis iam hybernis locum circũspectaret. Hac per exploratores relata fama

Fabio, cum ſatis ſciret, per eaſdem anguſtias, quibus intrauerat Falernum agrum, rediturum, Calliculam mõtem & Caſilinum occupat modicis præſidiis, quæ vrbs Vulturno flumine diremptá Falernum à Campano agro diuidit. Incluſus inde videri Annibal, & ad Caſilinum obſeſſus: cum Capua, & Samnium, & tantum à tergo diuitum ſociorum Romanis cõmeatus ſubueheret: Pœnus contra intra Formiana ſaxa, ac Linterni arenas, ſtagnaq; perhorrida ſitu, hybernaturus eſſet. Nec Annibalẽ fefellit ſuis ſe artibus peti. Itaq; cum per Caſilinũ euadere nõ poſſet, petendiq; montes & iugũ Calliculæ ſuperandum eſſet, nec vbi Romanus incluſum vallib. agmen aggrederetur, ludibrium oculorum ſpecie terribile ad fruſtrandum hoſtem cõmentus, principio noctis furtim ſuccedere ad montes ſtatuit. Fallacis conſilij talis apparatus fuit. Faces vndiq; ex agris collectę, faſceſq; virgarũ, atq; arida ſarmenta præligantur cornibus boum: quos domitos indomitoſq; multos inter cęterã agreſtem prædã agebant. Ad duo millia ferme boum effecta. Aſdrubaliq; negotium datum, vt primis tenebris noctis id armentũ accenſis cornib. ad montes ageret, maxime, ſi poſſet, ſuper ſaltus ab hoſte inſeſſos. Primis tenebris ſilẽtio mota caſtra boues aliquãto ante ſigna acti. Vbi ad radices mõtium viaſq; anguſtas ventũ eſt, ſignũ ex templo datur, vt accẽſis cornibus armenta in aduerſos cõcitentur mõtes. & metus ipſe relucentis flãmæ ex capite, calorq; iam ad viuũ, ad imaque cornua adueniens, ſtimulatos furore agebat boues. Quo repente diſcurſu haud ſecus, quã ſyluis montibuſq; accenſis, omnia circũ virgulta ardere: capitumq; inquietatio excitans flammã, hominũ paſſim diſcurrentium ſpeciẽ præbebat. Qui ad tranſitus ſaltus inſidendos locati erant, vbi in ſummis montib. ac ſuper ſe quoſdã ignes conſpexerunt, circũuentos ſe eſſe rati, præſidio exceſſere; qua ingens emicabat flãma, velut tutiſſimum iter petentes ſumma montium iuga. Tum in quoſdam boues palantes, à ſuis gregibus inciderunt: & primo cum procul cernerent, veluti flãmas ſpirantium miraculo attoniti cõſtiterũt. Deinde vt humana apparuit fraus, tum vero inſidias rati eſſe, cum multo maximoq; ſtrepitu concitant ſe in fugam, leuique armaturæ hoſtium incurre-

currere. Cæterum nox æquato timore neutros pugnam incipientes ad lucem tenuit.

Interea toto agmine Annibal traducto per saltum & quibusdā in ipso saltu hostiū oppressis, in agro Alifano posuit castra. Fabius quoq; mouit castra, transgressusq; saltum super Alifas loco alto ac munito consedit. Tum per Samnium Romam se petere simulans Annibal, usque in Pelignos populabundus rediit. Fabius mediis inter hostium agmen urbemque Romam iugis ducebat, nec absistens nec congrediens. Ex Pelignis Pœnus flexit iter, retroq; Apuliam repetens, Gerionem peruenit, urbem metu, quia collapsa ruinis pars mœnium erat, ab suis desertam. Dictator in Larinate agro castra communiit. Inde sacrorum causa Romam reuocatus, non imperio modo sed consilio etiam, ac prope precibus agens cum magistro equitum, ut plus consilio, quam fortunæ confidat, & se potius ducem, quam Sempronium Flaminiumque imitetur, ne nihil actum censeret, extracta prope æstate per ludificationem hostis: medicos quoque plus interdum quiete, quam mouendo atque agendo proficere: haud paruam rem esse, ab toties victore hoste vinci desisse, & ab continuis cladibus respirasse. Hæc nequicquam præmonito Magistro equitum Romam est profectus.

Consilia semper sunt certiora, quam euētus fortuiti.

Cornelius Celsus.

Quiete & abstinentia multi magni morbi curantur.

Ut autem solers cunctatio Fabij, quę paulùlum interualli cladibus Romanis fecerat, Annibalē non mediocri solicitum cura habebat, tandem cum militię magistrum delegisse Romanos cernentem, qui bellum rationi, non fortuna gereret: ita contemta erat inter ciues armatos pariter togatosque, utique postquam absente eo, temeritate magistri equitum læto, ut verius dixerim, quā prospero euentu pugnatū fuerat. Accesserant duæ res ad augendam inuidiam dictatoris. Una fraude ac dolo Annibalis: quod cum à perfugis ei moustratus ager dictatoris esset, omnibus circa solo ęquatis, ab uno eo ferrum ignemq; & vim omnē hostium abstineri iussit, ut occulti alicuius pacti ea merces videri posset. Altera ipsius facto, primo forsitā dubio, quia nō expectata in eo senatus auctoritas est: ad extremū haud ambigue in maximā laudem verso, in permutandis captiuis: Quod sicut primo

S 4 Punica

Punico bello factum erat, conuenerat inter duces Romanos Pœnumque, vt quæ pars plus recuperet quam daret, argenti pondo bina & selibras in militem præstarent CCXLVII. cum plures Romanus quam Pœnus recepisset, argentumque pro eis debitum, sæpe iactata in senatu re, quoniam non consuluisset patres, tardius rogaretur: in violatum ab hoste agrum misso Romam filio vendidit, fidemq; publicam impendio priuato exoluit. Cæterum Fabio ad vrbem profecto, sicut ante dictum est, Minucius magister equitum cum Annibale ferocius quam consultius dimicat, & vanissimas literas de egregia victoria Romam mittit. Cum læta ciuitate dictator vnus nihil nec famæ, nec literis crederet, vt si vera omnia essent, secunda se magis quam aduersa timere diceret: tum M. Metellus tribunus plebis id virum enimuero ferendum esse negat, non solum præsentem dictatorem obstitisse rei bene gerendæ, sed absentem etiam gestæ obstare, & in ducendo bello sedulo tempus terere, quo diutius in magistratu sit, solusque & Romæ & in exercitu imperium habeat. Quas ob res, si antiquus animus plebi Romanæ esset, audacter se laturum fuisse de abrogando Quinti Fabij imperio. Nunc modicam rogationem promulgaturum, de æquando magistri equitum & dictatoris iure.

Dictator concionibus se abstinuit, in actione minime popularis, ne in senatu quidem satis æquis auribus audiebatur, tunc cum hostem verbis extolleret, biennijque clades per temeritatem atque inscitiam ducum acceptas, referret: magistroque equitum, quod contra suum edictũ pugnasset, rationem diceret reddendã esse. Si penes se summa imperij consilijque sit, propediẽ effecturũ vt sciant homines, bono imperatori haud magni fortunam momenti esse: mentem rationemque dominari. Se sæuo tempore & sine ignominia seruasse exercitum, quam multa millia hostium occidisse, ducere maiorem gloriam esse. Huius generis orationibus frustra habitis, ne præsens de iure imperij dimicaret, pridie quã rogationis ferendæ dies adesset, nocte ad exercitum abiit.

Luce orta cum plebis concilium esset, vnus inuentus est

est suasor legis Caius Terentius Varro, qui priore anno prętor fuerat, loco non humili solum, sed etiam sordido ortus. Is prætura perfunctus iam ad consulatus spem cũ attolleret animos, haud parum callide auram fauorabilis populi, ex dictatoria inuidia petiit: sicq; plebis vnus gratiam tulit.

Omnes eam rogationem, quique Romæ quique in exercitu erant, æqui atque iniqui, præter ipsum dictatorem in contumeliam eius latam acceperunt. Ipse, qua grauitate animi criminantes se ad multitudinem inimicos tulerat, eadem & populi in se sæuientis iniuriam tulit, acceptisque in ipso itinere literis, senatusconsulti de æquato imperio, satis fidens haud quaquã eum imperij iure artem imperandi ęquatam, cumq; inuicto à ciuibus hostibusq; animo ad exercitum rediit. Minucius vero cum iam ante vix tolerabilis fuisset, secundis rebus ac fauore vulgi tum vtique immodice immodesteque non Annibale magis victo ab se, quam Fabio, gloriatur. Itaque quo die primũ congressus est cum Fabio, obtinuit, vt legiones, sicut consulibus mos esset, inter se diuiderent: sed aliquanto post insidiis Annibalis circumuentus eo recurrit, & id auidissime petiuit, quod paulo ante contempserat. Cum enim in castra reditum esset, Minucius conuocatis militibus, Sæpe ego, inquit, audiui milites, eum primum esse virum, qui ipse consulat, quid in rem sit: secundum eum, qui bene monenti obediat: qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, eum extremi ingenij esse. Nobis quoniã prima animi ingeniiq; negata sors, secundam ac mediam teneamus, & dum imperare discimus, parere prudenti in animum inducamus: castra cum Fabio iungamus: ad prætorium eius signa cum tulerimus: vbi ego eum parentem appellauero, quod beneficio eius erga nos ac maiestate dignum est: vos milites eos, quorum vos modo arma dexteræque texerunt, patronos salutabitis: & si nihil aliud, gratorũ certe nobis animorum gloriam dies hæc dederit. Signo dato, conclamatur inde vt colligantur vasa. Profecti agmine incedentes, ad dictatoris castra, in admirationem & ipsum, & omnes qui circa erant, conuerterunt. Vt constituta sunt ante tribunal signa, progressus ante alios magister

equitum, cum patrem Fabium appellasset, circumfusosque militum eius totum agmen patronos consalutasset: Parentibus., inquit, meis, dictator, quibus te modò nomine, quo fando possum, æquaui, vitam tantum debeo: tibi cum meam salutem tum omnium horum. Itaque Plebiscitum, quo oneratus magis, quam honoratus sum primus antiquo, abrogoq; : &, quod tibi, mihique, quod meo exercitui tuoq; conseruato ac conseruatori sit felix, sub imperiū auspiciumq; tuum redeo, & signa hæc legionesque restituo. Tu quæso placatus, me magistrum equitum, hos ordinibus suis quemque teneri iubeas. Tum dextræ interiunctæ: militesque concione dimissa à notis ignotisque benigne atque hospitaliter inuitati: lætusque dies ex admodum tristi ac prope execrabili factus. Romæ, vt est perlata fama rei gestæ, deinde literis non magis ipsorum imperatorum, quam vulgo militum ex vtroq; exercitu affirmata per se quisq; Maximū laudibus ad cælum fert. Par gloria apud Annibalem hostesque Pœnos erat: ac tum demum sentire, cum Romanis, atq; in Italia bellum esse: Nam biennio ante adeo & duces Romanos, & milites spreuerant, vt vix cum eadem gente bellum esse crederent, cuius terribilem eam famam à patribus accepissent. Annibalem quoq; ex acie redeuntem dixisse ferunt, tandem eam nubem, quæ sederet in iugis montium, sollicitatam procella imbrem dedisse.

De anno tertio.

Consules creati C. Terentius Varro, & L. Æmilius Paulus. Conciones, priusquā vrbe signa mouerentur, cōsulis Varronis multi ac feroces fuere, denūciantes, bellū accersitum in Italiam ab nobilib. mansurumq; in visceribus Reipub. si plures Fabios imperatores haberet, se quo die hostem vidisset, profligaturum. Collegæ eius Pauli vna, pridie quam ex vrbe proficisceretur, concio fuit, verior quam gratior populo, qua nihil inclementer in Varronem dictum, nisi id modo: Mirari se, quomodo quis dux, prius quam aut suum aut hostium exercitum, locorum situm, naturam regionis nosset: iam nunc locatus in vrbe sciret, quæ sibi agenda armato forent,

forent, & diem quoque prædicere posset, qua cum hoste signis collatis esset dimicaturus. Se, quæ consilia magis res dent hominibus, quam homines rebus, ea ante tempus immatura non præcepturum optare, vt quæ caute & consulte gesta essent, satis prospere euenirent. Temeritatem, præterquam quod stulta sit, infelicem etiam ad id locorum fuisse. Eum sua sponte apparebat tuta celeribus consiliis præpositurum, & quo ad constantius perseueraret, Q. Fabius maximus sic eum proficiscētem adlocutus fertur.

ORATIO FABII.

SI aut collegam, (id quod mallem) tui similem L. Æmili haberes, aut tu collegæ tui similis esses, superuacanea esset oratio mea. Nam & duo boni consules etiam me tacente omnia è Republ. fide vestra faceretis, & mali nec mea verba auribus vestris, nec consilia animis reciperetis. Nunc & collegam tuum, & te talem virum intuenti mihi, tecum omnis oratio est, quem video, nequicquam & virum bonum & ciuem fore, si altera parte claudicet Respublica, malis consiliis idem ac bonis iuris & potestatis erit. Erras enim Luci Paule, si tibi minus certaminis cum C. Terentio, quam cum Annibale futurum censes. Nescio an infestior hic aduersarius, quam ille hostis maneat, & cum illo in acie tantum, cum hoc omnibus locis ac temporibus certaturus es, & aduersus Annibalem legionesq; eius tuis equitibus ac peditibus pugnandum tibi est; Varro dux tuis militibus te est oppugnaturus. Ominis etiam causa tibi absit C. Flaminij memoria, tamen ille consul demum, & in prouincia & ad exercitum cœpit furere: hic priusquā peteret consulatum, deinde in petendo consulatu, nunc quoq; consul priusquam castra videat, aut hostē, insanit, & qui tantas iam nunc procellas, prœlia atq; acies iactando inter togatos ciet, quid inter armatā iuuentutem cēses facturum? & vbi extemplo verba res sequitur? Atque si hic, quod facturum se denunciat, extemplo pugnauerit: aut ego rem militarem, belli hoc genus, hostem hunc

ignoro,

ignoro, aut nobilior alius Thrasymeno locus nostris cladibus erit. Nec gloriandi tempus aduersus vnum est: & ego contemnendo potius, quam appetendo gloriam, modum excesserim. Sed ita res habet, vna ratio belli gerendi aduersus Annibalem est, qua ego gessi: nec euentus modo hoc docet: stultorum iste magister est: sed eadem ratio, quæ fuit, futuraq;, donec res eadē manebunt, immutabilis est. In Italia bellum gerimus in sede ac solo nostro. Omnia circa plena ciuium & sociorum sunt, armis, viris, equis, commeatibus iuuant, iuuabuntque: id iam fidei documentum in aduersis rebus nostris dederunt. Meliores, prudentiores, constantiores nos tempus diesque facit. Annibal contra in aliena, in hostili est terra, inter omnia inimica atq; infesta, procul à domo, procul à patria, neque illi terra, neque mari pax est. Nullæ eum vrbes accipiunt, nulla mœnia, nihil vsquam sui videt, in diem rapto viuit. Partem vix tertiam eius exercitus habet, quem Iberum amnem traiecit. Plures fames quam ferrum absumsit: nec his paucis iam victū suppeditat. Dubitas ergo, quin eum sedendo superaturi simus, qui senescat indies? non commeatus, non supplementum, non pecuniam habet? Quam diu pro Gerionis, castelli Apuliæ inopis, tanquā pro Carthaginis mœnibus pugnatum est. Sed ne aduersus te quidē ego gloriabor. Cn. Seruilius atque Attilius Regulus secundus (suffectus Flaminio interfecto) consules, vide, quemadmodum eum ludificati sint. Hæc vna salutis est via, Luci Pauli, quam difficilem, infestamque ciues tibi magis quā hostes facient. Idem enim tui, quod hostiū milites, volunt: Idē Varro consul Romanus, quod Annibal Pœnus imperator, cupiet. Duobus ducibus vnus resistas oportet. Resistes autem aduersus famā, rumoresque hominū si satis firmus steteris: si te neque collegæ vana gloria, neque tua falsa infamia mouerit. A veritate laborare nimis ius sæpe aiunt, extingui nunquā. Gloriam qui spreuerit, veram habebit. Sine timidum pro cauto, tardum pro considerato, imbellē pro perito belli vocent. Malo te sapiens hostis metuat, quam stulti ciues laudent. Omnia audentē contemnet Annibal: nil temere agentem metuet. Nec ego vt nihil agatur, moneo: sed vt agentem te ratio

te ratio ducat,non fortuna. Tuæ potestatis semper tuaque omnia sint:armatus intentusque sis,neque occasioni tuæ desis, neque suam occasionem hosti des. Omnia non properanti clara certaque erunt: festinatio improuida est & cæca. Aduersus ea oratio consulis haud sane læta fuit,magis fatentis ea,quæ diceret,vera, quam facilia factu esse. Cum vtriusque consulis eadem , quæ semper ante, fuisset sententia, cæterũ Varroni fere omnes, Paulo nemo , præter Seruilium prioris anni consulem assentiretur, maioris partis sententia ad nobilitandas clade Romana Cannas,vrgente fato profecti sunt. Prope eum vicũ Annibal castra posuerat auersa à Vulturno vento,qui campis torridis siccitate nubes pulueris vehit. Ibi rursus solicitari seditione militari, ac discordia consulum Romana castra:cum Paulus Sempronij & Flaminij temeritatem Varroni , Varro speciosum timidis ac segnibus ducibus exemplum Fabij obiiceret, testareturque Deos & homines, hic nullam penes se culpam esse, quod Annibal iam velut suam cepisset Italiam, se constrictum à collèga teneri , ferrum atque arma iratis & pugnare cupientibus adimi militibus: ille si quid proiectis ac proditis ad inconsultam atque improuidam pugnam legionibus accideret , se omnis culpæ exortem, omnis tamen euentus participem forè diceret: videret, vt quibus lingua prompta ac temeraria esset, æque in pugnam vigerent manus.

Dum altercationibus magis quam consiliis tempus teritur, Annibal aciem instruit, & Varro nihil consulto collega signũ proponit, in qua, breuiter de re maxima dicam, quadraginta millia peditum, duo millia septingenti equites, & tanta prope ciuium sociorumque pars cæsi dicuntur , & in his alter consulum Lucius Æmilius Paulus. Capta eo prælio tria millia peditum & equites trecenti dicuntur. Hæc est pugna Cannensi clade nobilitata. Annibali victori cum cæteri circumfusi gratularentur, suaderentque , vt tanto perfunctus bello , diei, quod reliquum esset noctisque insequentis, quietem & ipse sibi sumeret, & fessis daret militibus. Maharbal præfectus equitum minime cessandum ratus : imo vt quid hac pugna sit actũ , scias, die quinta, inquit, victor in capitolio

epula-

epulaberis. Sequere cum equite, vt prius te venisse, quam venturum sciant. Præcedant, Annibal inquit, nuncij. Læta res est, sed via maior, quam vt eam statim animo capere possim. Itaque voluntatem se laudare Maharbalis ait, ad consilium præstandum tempus opus esse. Tum Maharbal: Non omnia nimirum eidem dij dedere. Vincere scis Annibal, victoria vti nescis. Mora eius diei satis creditur saluti fuisse vrbi atque imperio.

Homo proponit, Deus disponit.

Cæterum tribunis militũ Romæ consultantibus, inter paucos de summa rerum, nunciat P. Furius Philus, consularis viri filius, necquicquam eos consultare: perditam spem fouere: desperatam comploratamq; rem esse publicam. Nobiles iuuenes quosdam, quorum principem L. Cæcilium Metellũ, mare ac naues spectare, vt deserta Italia, ad regem aliquem transfugiant. Quod malum præterquam quod atrox super tot clades, etiam nouum cum stupore ac miraculo torpidos defixisset, & qui aderant consiliũ aduocandũ de eo censerent: negat consilij rem esse Scipio, iuuenis, fatalis dux huiusce belli. Audendum atq; agendum, non consultandum ait in tanto malo esse. Irent secum extemplo armati, qui saluam Rempub. vellent, nusquam verius, quam vbi ea cogitentur, hostium castra esse. Pergit deinde ire sequentibus paucis, in hospitium Metelli, & cum consilium ibi iuuenum, de quibus allatum erat, iuuenisset, stricto super capita consultantium gladio: Ex mei animi sententia, inquit, iuro, vt ego Rempubl. non deseram, neq; alium ciuem Romanum deserere patiar. Si sciens fallo, tum me Iuppiter opt. max. domum, familiam, remque meam pessimo letho afficias. In hæc verba L. Cęcili, iures, expostulo, cæterique qui adestis: qui non iurauerint, in se hunc gladium strictum esse sciant. Haud secus pauidi, quàm si victorem Annibalem cernerent, iurant omnes custodiendosque semetipsos contra Annibalem Scipioni tradunt. Non omittẽda est hoc loco captiuorũ mentio, quorum suffragio decem delecti sunt, qui Romam ad senatũ irent, & ab ea precium, quo redempti dimitterentur, peterent, nec pignus aliud fidei, quam vt iurarent se redituros, acceptum. Cum egressi castris

essent,

essent vnus ex iis minime Romani ingenij homo, velut aliquid oblitus, iurisiurandi soluendi causa, cum in castra redisset, ante noctem comites assequitur. Legatis captiuorum senatus ab dictatore datus est, quorum princeps M. Iunius inter alia ita locutus fertur: Si videatis cathenas, squalorem deformidatemque ciuium vestrorum, non minus profecto vos ea species moueat, quam si ex altera parte cernatis stratas Cannensibus campis legiones vestras. Suum quisque habet animum: scio in discrimine esse vitã corpusq; meum: magis me famæ periculum mouet, ne à vobis damnati ac repulsi videamur. Neque enim vos pretio pepercisse homines credent. Vbi is finem fecit, tum T. Manlius Torquatus priscæ ac nimis duræ, vt plerisque videbatur, seueritatis interrogatus sententiam, censuit, nullam publicam impensam faciendam esse, nec Annibalem locupletandum esse, cum defraudatione ærarij iam pridem exhausti. Cum triste responsum, non redimi captiuos, redditum esset, nouusque super veterem luctus, tot iactura ciuium adiectus esset, cum magnis fletibus, questibusq; legatos ad portã prosecuti sunt. Vnus ex iis domum abiit, quod fallaci reditu in castra iureiurando se exoluisset. Quod vbi innotuit, relatumq; ad senatum est, omnes censuuerunt comprehendendum & custodibus datis deducendum ad Annibalem esse. Quanto autem maior hæc clades superiorib. fuerit, vel ea res indicio est, quod qui sociorum ad eam diem firmi steterant, tum labare cœperunt, nulla profecto alia de re, quam quod desperare cœperant de imperio.

Defecerunt autẽ ad Pœnos hi populi: Attellani, Callatini, Hirpini, Apulorum pars, Samnites, præter Petellinos, Brutij omnes, Lucani: præter hos, Surrentini & Grecorũ omnis fere ora, Tarẽtini, Metapontini, Crotoniẽses, Locriq; & Cisalpini oẽs Galli. Nec tñ hę clades defectionesq; sociorũ mouerunt, vt pacis vnquã mentio apud Romanos fieret. Nulla profecto alia gens tãta mole calamitatũ non obruta esset. Sed magnitudo populi Romani admirabilior aduersis rebus quã secundis fuit.

Annibal post Cannẽsem pugnã Capuã flectit iter, luxuriãtẽ longa felicitate atq; indulgẽtia fortunę: maxime

tamen

tamen inter corrupta omnia licentia plebis, sine modo libertatē exercentis. Prona semper ciuitas in luxuriam, non ingeniorum modo vitio, sed affluenti copia voluptatum, & illecebris omnis amœnitatis, maritimæ, terrestrisque: tum vero ita obsequio principum & licentia plebis lasciuire, vt nec libidini nec sumptibus modus esset. Ad contemtum legum, magistratuum, senatusque accessit Campani deficientis à societate Romana, & pacem cum Annibale facientis perfidia. Etsi autem Annibali agitanti conuiuia inter Campanos, à Perolla Pacuuij Calauij filio certæ insidiæ structæ erant: tamen ex his angustiis non tam intercessione patris, quam Dei prouidentia euasit. Seruat enim Deus magnos duces & ductores excellentes tantisper, donec curriculum suum absoluant.

Dum hæc in Italia gerūtur, nuncius victoriæ ad Cannas Carthaginem venerat Mago, Amilcaris filius. Is cum ei senatus datus esset, res gestas in Italia à fratre exposuit. Ad fidem deinde tam lætarum rerum effundi in vestibulo curiæ iussit annulos aureos, qui tantus aceruus fuit, vt metientibus dimidium super tres modios explesse dicantur. Adiecit deinde verbis, quo maioris cladis indicium esset, neminem nisi equitem, atq; eorum ipsorum primores id gerere insigne. Annibal Capua recepta in agrum Nolanum exercitum traducit. Nolam Claudius Marcellus prætor Romanus non sui magis fiducia præsidij, quam voluntate principum habebat. Cum igitur Punica acies ad muros succederet, oppugnatura vrbem, patefacta repente porta, Marcellus signa canere clamoremq; tolli ac pedites primum, deinde equites, quanto maximo possent impetu, in hostem erumpere iubet. Vix equidem ausim affirmare, quod quidam auctores sunt, duo millia & trecenta hostium cæsos, non plus vno Romanos amisisse. Sed siue rata siue minor victoria fuit, ingens eo die res, ac nescio an maxima illo bello gesta sit. Non vinci enim ab Annibale vincere solito, difficilius fuit, quam postea vincere. Annibal spe potiundæ Nolę adempta, Casilinum, quod Vulturno diuiditur amni summa contentione oppugnat. Cum autē fortuna non responderet optatis, in hyberna Capuam concessit.

Ibi

Ibi partem maiorem hyemis exercitum in tectis habuit, aduersus omnia humana mala sæpe ac diu durantem, bonis inexpertum atque insuetum. Itaque quos nulla mali vicerat vis, perdidere nimia bona ac voluptates immodicæ, & eo impensius, quo auidius ex insolentia in eas se immerserant. Somnus enim & vinũ, & epulæ & scorta, balneaque & otium consuetudine indies blandius, ita eneruauerunt corpora animosque, vt magis deinde præteritæ victoriæ eos, quam præsentes tutarentur vires: maiusque id peccatum ducis apud peritos artium militarium haberetur, quã quod non ex Cannensi acie protinus ad vrbem Romam duxisset. [1] Illa enim cunctatio distulisse modo victoriam videri potuit: hic error vires ademisse ad vincendum. Itaque hercule velut si cum alio exercitu a Capua exiret, nihil vnquã pristinæ disciplinæ tenuit. Nam redierunt plerique scortis implicati, & vbi primum sub pellibus haberi cœpti sunt, viaque & alius militaris labor excepit, tyronum modo corporibus animisque deficiebant, & deinde per omne æstiuorum tempus magna pars sine cõmeatibus ab signis dilabebãtur, neq; aliæ latebræ quam Capua, desertoribus erant. Cæterum mitescente iam hyeme, ducto ex hybernis milite Casilinum redit, vbi quamquam ab oppugnatione cessatum erat, obsidio tamen continuata, oppidanos præsidiumq; ad vltimum inopiæ adduxerat. Nam ad id inopiæ ventum erat, vt lora, detractasque scutis pelles, vbi feruida mollissent aqua, mandere conarentur, nec muribus alioue animali abstinerent, & omne herbarum, radicumq; genus aggeribus infimi muri eruerent, & cum hostes obarassent, quicquid herbidi terreni extra murum erat, raporum semen iniecerunt, vt Annibal: Eone vsque, dum ea nascantur, ad Casilinum sessurus sum, exclamaret? Et qui nullam ante pactionem auribus admiserat, tum demum agi secum est passus de redemtione liberorum capitum. Casilinum oppidum redditum Campanis est, firmatumq; est septingentorum militum de exercitu Annibalis præsidio, ne vbi Pœnus inde abscessisset, Romani oppugnarent.

De anno quarto.

COnſules creati L. Poſthumius, & T. Sempronius Gracchus. Sed L. Poſthumius in Gallia vna cum exercitu deletus eſt, in cuius locū Claudius Marcellus ſuffectus eſt. Mare arſit eo anno: ad Sinueſſam bos equuleū peperit: ſigna Lanuuij ad Iunonis Soſpitæ cruore manauere: lapidibusq; circa id templum pluit. Per idē tempus Romani ceperunt legatos Annibalis, euntes ad regem Macedonicum Philippum. Hoc exemplum oſtēdit, vſitatum fuiſſe legatos hoſtium perferentes mandata nocitura ſuæ patriæ intercipere. Eiuſdem anni æſtate maiores in Hiſpania, quam in Italia res geſtæ ſunt. Nam Cn. & Pub. Scipiones in Hiſpania Aſdrubalē vicerunt, & ſua comitate & benignitate omnes prope Hiſpanię populos ad Romanorū ſocietatē inclinarunt. Cum autē in exitu anni quarti ſuffragiis iuniorū T. Octacilius conſul dictus eſſet, Q. Fabius ſilentio facto inter alia his verbis vſus eſt. Octacilius ſororis meæ filiā vxorē, atq; ex ea liberos habet. Cæterū nō ea veſtra in me, maioresq; meos merita ſunt, vt nō potiorē priuatis neceſſitudinib. Remp. habeam. Quilibet nautarū vectorumq; tranquillo mari gubernare poteſt. Vbi ſæua orta tempeſtas eſt, ac turbato mari rapitur vento nauis: tum viro & gubernatore opus eſt. Non tranquillo nauigamus: ſed iam aliquot procellis ſubmerſi pene ſumus. Itaque quis ad gubernacula ſedeat, ſumma cura prouidendum & præcauendū nobis eſt. In minori re experti, T. Octacili, operam tuam ſumus, haud ſane cur ad maiora fidamus, documenti quicquam dediſti. Quamobrem nullius magis intereſt, quā tua, T. Octacili, non imponi ceruicibus tuis onus ſub quo concidas.

De anno quinto.

QVinto anno ſecundi Punici belli Q. Fabius Maximus quartū, Marcus Claudius Marcellus tertium conſulatū ineuntes plus ſolito conuerterant in ſe ciuitatis animos. Multis. n. annis tale conſulū par non fuerat. Abſens Marcellus conſul creatus, cum ad exercitū eſſet: præſenti Fabio atq; ipſo comitia habēte conſulatus cōtinua-

tinuatus. Tempus ac necessitas belli ac discrimē summæ rerum faciebant, ne quis aut in exemplū exquireret, aut suspectū cupiditatis imperij haberet. Quin laudabāt potius magnitudinē animi, quòd cum summo imperatore esse opus Reip. sciret, seq; eum haud dubie esse, minoris inuidiā suā, si qua ex re oriretur, quam vtilitatē Reip. fecisset. Romanus cū bellum nequaquā contemnendū in Sicilia oriretur, multis ad Carthaginenses deficientibus, Marco Marcello alteri consulū eam prouinciā decernit. Is primo tumultum, qui in Leontinis apud milites fuerat, feliciter cōprimit: deinde terra mariq; simul cœpit oppugnare Syracusas. Terra ab Hexapylo, mari ab Acradina, & quia sicut Leontinos terrore ac primo impetu ceperat, nō diffidebat vastā disiectamq; spacio vrbē parte aliqua se inuasurum, omnē apparatum oppugnandarū vrbium muris admouit. Et habuisset tanto impetu cœpta res fortunam, nisi vnus homo Syracusis eo tēpestate fuisset. Archimedes is erat, vnicus spectator cœli syderumq;, mirabilior tñ inuentor ac machinator bellicorū tormētorum, operumq; quibus ea, quæ hostes ingenti mole agerent, ipse perleui momēto ludificaretur. Murū per inæquales ductū colles, pleraq; alta & difficilia aditu, summissa quędā, & quę planis vallib. adite possent, vt cuiq; aptum visum est loco, ita omni genere tormētorū instruxit. Acradinæ murū, qui mari alluitur, ex quinqueremib. Marcellus oppugnabat: ex ceteris nauib. sagittarij funditoresq; & velites ēt, quorum telū inhabile ad remittēdū imperitis est, vix quenq̄ sine vulnere consistere in muro patiebantur. Hi, quia spacio missilibus opus est, ꝓcul muro tenebant naues, iunctæ aliæ binæ ad quinqueremes, demtis interioribus remis, vt latus lateri applicaretur, cum exteriore ordine remorū velut naues agerētur, turres contabulatas, machinamentaq; alia quatiendis muris portabāt. Aduersus hunc naualē apparatū Archimedes variæ magnitudinis tormenta in muris disposuit, in eas, q̄ ꝓcul erāt, naues saxa ingenti pōdere emittebat; ꝓpiores leuiorib. eoq; magis crebris petebat telis. Postremo vt sui vulnere intacti tela in hostē ingererēt, murū ab imo ad summū crebris cubitalib. fere cauis apuit, ꝑ q̄ caua pars sagittis, ꝑs scorpionib. modicis ex occulto petebat

 hostem.

hostem. Quæ propius quidem subibant naues, quo interiores ictibus tormentorum essent, in eas tollendas desuper murum eminentem ferrea manus firmæ catenæ illigata, cum iniecta proræ esset, grauique libramento plumbi recelleret ad solum suspensa prora, nauim in puppim statuebat. Deinde remissa subito velut ex muro cadentē nauim cum ingenti trepidatione nautarum ita vndæ affligebant, vt etiamsi recta recideret, aliquantum aquæ reciperet. Ita maritima oppugnatio est elusa, omnisque vis est auersa, vt totis viribus terra aggrederentur. Sed ea quoque pars eodem omni apparatu tormentorum instructa erat, Hieronis impensis curaque per multos annos, Archimedis vnica arte. Natura etiam adiuuabat loci, quod saxum, cui imposita, ita procliue est, vt non solum missa tormento, sed etiam, quæ pondere suo prouoluta essent, grauiter in hostem inciderēt. Eadem causa ad subeundum arduum aditum instabilemque ingressum præbebat. Ita consilio habito, cum omnis conatus ludibrio esset, absistere oppugnatione atque obsidendo tantum arcere commeatibus hostem placuit.

De anno sexto.

Consularia comitia habita à Q. Fabio Maximo, creati consules ambo absentes Q. Fabius Maximus consulis filius, & T. Sempronius Gracchus iterum. Hoc anno nihil memorabile gestum est: itaq; ad sequentis anni historiam propero.

De anno septimo.

Consules creati Q. Fuluius Flaccus & Appius Claudius Pulcher. Eo anno & Tarentum ad Annibalem defecit & Capua à Fuluio obsessa est.

Sed nihil eius anni ad memoriam insignius est, quam quod Marcellus Syracusas cepit, vrbem omnium ferme illa tempestate pulcherrimam, quam vt subiectam oculis vidit, illacrymasse dicitur partim gaudio tantæ perpetratæ rei, partim vetusta gloria vrbis. Atheniensium classes

classes demersæ & duo ingentes exercitus cum duobus clarissimis ducibus deleti occurrebant, & tot bella cum Carthaginensibus tanto cum discrimine gesta, tot ac tam opulenti tyranni regesque: ea cum vniuersa occurrerent animo, subiretq; cogitatio iam momento horæ arsura omnia diuturna felicitate cummulata bona, & ad cineres reditura, lacrymas tenere non potuit. Porro cum multa iræ, multa inuidiæ auaritiæq; fœda exempla ederentur: Archimedem memoriæ proditum est, in tanto tumultu, quantum capta vrbs in discursu diripientium militum ciere poterat, intentum formis, quas in puluere descripserat, ab ignaro milite quis esset, interfectum. Ægre id Marcellum tulisse, sepulturæq; curam habitam & propinquis etiam inquisitis, honori præsidioq; nomen ac memoriam eius fuisse. Hoc maxime modo Syracusæ captæ, in quibus tantum prædæ fuit, quantum vix capta Carthagine tum fuisset, cum qua viribus æquis certabatur. Eodem anno P. & Cn. Scipiones in Hispania interfecti sunt, cumq; deletus exercitus amissæq; Hispaniæ viderentur, vnus res perditas restituit L. Marcius eques Romanus, qui auctoritate inter milites præstabat. Menand.
Nam huius ductu reliquiæ exercituum Romanorum bina castra hostium expugnarunt, & ad triginta septem millia hostium trucidarunt. Quidam eius gloriæ etiam miracula addidit, flammam ei concionanti fusam è capite sine ipsius sensu, cum magno pauore circumstantium militum.

Bonus vir est conseruator multorum.

Dum hæc in Hispania geruntur Marcellus captis Syracusis cum cætera in Sicilia tanta fide atque integritate composuisset, vt non modo suam gloriam, sed etiam maiestatem populi Romani augeret: ornamenta vrbis, signa, tabulasq;, quibus abundabant Syracusæ Romam deuexit, hostium quidem illa spolia & parta belli iure: cæterum inde primum initium mirandi Græcarum artium opera, licentiæque hinc sacra profanaque omnia vulgo spoliandi factum est. Non igitur quid liceat summo iure, sed multo magis, quid exemplo tutius sit spectandum est.

De anno octauo.

CN. Fuluius Centimalus, Pub. Sulpicius Galba, consules cum idibus Martiis magistratum iniissent, senatu in capitolium vocato, de Rep. de administratione belli, de prouinciis, exercitibusq; patres consuluerunt. Q. Fuluio & A. Claudio prioris anni Coss. prorogatum imperium est, atq; exercitus, quos habebát, decreti, adiectumq;, ne à Capua quam obsidebant, abscederent, priusquam expugnassent. Ea cum cura maxime intētos habebat Romanos, non tam ob iram, quæ in nullam vnquam ciuitatem iustior fuit, quam quod vrbs tam nobilis ac potens, sicut defectione sua traxerat aliquot populos, ita recepta inclinatura rursus animos videbatur ad veteris imperij respectum. Inter hæc dum omnis vis belli in Capuā vertitur, Annibal vt solueret Capuanos obsidione, & exercitus Romanos domum retraheret, ad Aniené fluuium tria millia passuū ab vrbe castra admouit. Postero die transgressus Aniené in aciem omnes copias eduxit, nec Flaccus consulesq; certamē detrectauere, instructis vtrinq; exercitibus in eius pugnæ casum, in qua vrbs Roma victori præmiū esset, imber ingens grandine mistus, ita vtranq; aciem turbauit, vt vix armis retētis in castra se receperint, nullius rei minore, quam hostiū metu. Et postero die eodem loco acies instructas eadē tempestas diremit. Vbi recepissent se in castra, mira serenitas cum tranquillitate oriebatur. In religione ea res apud Pœnos versa est, auditaq; vox Annibalis fertur, potiundæ sibi vrbis Romę modo mentem non dari, modo fortunā. Minuere etiam spem eius aliæ paruæ magnæq; res. Magna illa, quod cum ipse ad mœnia vrbis Romæ armatus sederet, milites sub vexillis in supplementum Hispaniæ profectos audiuit: parua autem, quod per eos dies eum forte agrum, in quo ipse castra haberet, venisse, nihil ob id diminuto pretio cognitum ex quodam captiuo est. Id vero adeo superbum atque indignum visum, eius soli, quod ipse bello captum possideret haberetque, inuentum Romæ emptorem, vt extemplo vocato præcone tabernas argentarias, quæ circa forum Romanum tunc essent, iusserit venire. His motus ab vrbe in Campaniam

rediit.

rediit. Cæterum cum Romani Capuam diuturna obſidione premerent, & alij Capuani de legatis mittendis ad imperatores Romanos agerent: Vibius Virius, qui defectionis ab Romanis auctor fuerat, interrogatus ſententiam, inter alia his verbis vſus eſt: Feras beſtias cœco rabie & impetu concitatas, ſi ad cubilia & catulos earum ire pergas, ad opem ſuis ferendam auertas. Romanos Roma circumſeſſa, coniuges, liberi, quorum ploratus hic quoque prope exaudiebatur, aræ, foci, deum delubra, ſepulcra maiorum temerata ac violata à Capua non auerterunt. Tanta auiditas ſupplicij expetendi, tanta ſanguinis noſtri hauriendi eſt ſitis. Itaque quibus veſtrum ante fato cedere, quam cruciatus contumeliasque captiuorum ſuſtineant, in animo eſt: iis apud me hodie epulæ paratæ inſtructæque ſunt: ſaciatis vino ciboque poculum idem, quod mihi datum fuerit, circumferetur: ea potio corpus à cruciatu, animum à contumeliis, oculos, aures à videndis audiendisque omnibus acerbis indignisque quæ manent victos, vindicabit. Hæc vna via & honeſta & libera ad mortem. *Hac regula intelligenda eſt de ſolutariis.* Hanc orationem Virij plures audierunt cum aſſenſu, quam forti animo, id quod probabant, exequi potuerunt. Maior pars ſenatus multis ſæpe bellis expertã populi Romani clementiam, haud diffidentes ſibi quoque placabilem fore, legatos ad dedendam Romanis Capuã decreuerunt, miſeruntq;. Vibiũ Virium ſeptem & viginti ferme ſenatores domũ ſecuti ſunt, & veneno ſumto omnes, priusquã aperirentur hoſtibus portæ, expirarunt. Poſtero die, Iouis porta, quæ aduerſus caſtra Romana erat, iuſſu proconſulis aperta eſt. Ea intromiſſa legio vna & duæ alæ cum Caio Fuluio legato. Is cum omnium primum arma telaque, quæ Capuæ erant, ad ſe conferenda curaſſet, cuſtodiis ad omnes portas diſpoſitis, ne quis exire aut emitti poſſet, præſidium Punicũ comprehendit: ſenatum Campanum ire in caſtra ad imperatores Romanos iuſſit: quo cum veniſſent, extẽplo his omnib. catenæ iniectæ, iuſſique ad quæſtores deferri, quod auri argentique haberent. Poſtremo Fuluius cum in tribunali conſediſſet, ſummo iure vſus eſt & capitali ſupplicio ſenatores Capuanos affecit. Etſi enim non omnes

pariter fuerant auctores defectionis, omnes tamen defecerant, & in omnes animaduerti licebat. Est autē summum ius, cum leges seuere sine mitigatione retinentur, etiamsi aliqua circumstantia admittit mitigationem. Ita ad Capuam res compositæ consilio ab omni parte laudabili, seuere & celeriter in maxime noxios animaduersum: multitudo ciuium dissipata in nullam spem reditus, non sæuitum incendiis ruinisque in tecta innoxia murosque: & cum emolumento quæsita etiam apud socios lenitatis species, incolumitate vrbis nobilissimæ opulentissimæque: confessio expressa hosti, quanta vis in Romanis ad expetendas pœnas ab infidelibus sociis & quam nihil in Annibale auxilij ad receptos in fidem tuendos esset.

Post receptam Capuam non Italiæ iam maior quam Hispaniæ S.P.Q.R. cura erat. Itaque & exercitum augeri & imperatorem mitti placebat: nec tamen, quem mitterent, satis constabat: quoniam illuc vbi duo summi imperatores intra dies 30. cecidissent, qui in locum duorum succederet, extraordinaria cura deligendus esset. Cum alij alium nominarent, postremum eo decursum est, vt populus proconsuli creando in Hispaniam comitia haberet: diemque comitiis consules dixerunt. Primo expectauerant, vt qui se tanto imperio dignos crederēt, nomina profiterentur, quæ destituta expectatio est, redintegratus luctus acceptæ cladis desideriumque imperatorum amissorum. Mœsta itaque ciuitas prope inops consilij, comitiorum die tamen in campum descendit, atque in magistratus versi circumspectant ora principū aliorum alios intuētium, fremuntque adeo perditas res, desperatumque de Republ. esse, vt nemo audeat in Hispaniam imperium accipere: cum subito Publ. Cornelius illius qui in Hispania ceciderat filius, quatuor & viginti ferme annos natus, professus se petere, in superiore vnde conspici posset loco constitit. In quem postquam omnium ora conuersa sunt, clamore ac fauore ominati extemplo sunt felix faustumque imperium, iussi deinde inire suffragium ad vnum omnes non centuriæ modo, sed etiam homines, Publ. Scip. imperium esse in Hispaniam iusserunt.

De

De anno nono.

M. Claudium Marcellum fulgentem tum Sicilia domita, & M. Valerium Læuinum, qui egregie aduersus Philippum regem Macedoniæ terra marique res gesserat, absentes consules dixerunt, omnes centuriæ. Cæterum posteaquam Marcellus consul quarto creatus est, eius æmuli Syracusanos subornarunt, vt de eo Romam querelas afferrent, quod hostilia contra ius fœderis & societatis passi essent. Tum Marcellus rem diuinam in capitolio faciebat. Sedentibus itaque patribus, Syracusani more supplicũ in terram procumbunt, dicendi locum & aduersus vim iniustã deplorantes defensionem. Quod tum propter absentiam Marcelli ægre collega Læuinus ferret Syracusanos arcebat. Id simul atque Marcellus accepit, statim adfuit, & sella posita, cum sedisset, vt consul ius dixit: perfectis ceteris descendens è sella in eum locum vt priuatus abiit, quem in ius vocati tenere solent, & Syracusanis de se querendi facultatem præbuit, qui vbi viri dignitatem, auctoritatem, maiestatem, & inuictum armis ducem, animo versassent, confusi perturbatique sunt. Verumtamẽ aduersariorũ cohortationibus incitati flebilibus modis accusationẽ exorsi sunt, cuius summa hæc fuit: Se cum socij amiciq; populi essent, hostilia perpessos esse, & nullum fructum cepisse eius coniunctionis, quæ olim fuisset regi Hieroni cum populo Romano. Ad ea Marcellus, eos nihil nisi quod vi, & bello capti solent, quodque arceri non posset, pertulisse: deinde eius captiuitatis sibi ipsos auctores fuisse, qui multis ad pacem cohortanti illos non obtemperassent. His vtrumque dictis cum patres Syracusanos de more dimisissent, Marcellus in senatu relicto collega simul excessit, ante fores curiæ expectans summa cũ moderatione senatusconsultum. Cum autem patrum sententia Marcellus victor declaratus esset, Syracusani sese ad eius genua proiecerunt, lacrymis obsecrantes, vt iram in se præsentes effunderet & reliquæ multitudini vrbis Syracusanæ parceret. Hac suppplicum voce & lacrymis placatus non solum præsentibus, sed etiam vniuersis Syracusanis veniam dedit eosque in fidem & clientelam

 recepit.

recepit. Ex huius historiæ recitatione intelligi potest, quam vere illud à Seneca dicatur in 2. de ira. *Nihil est magnum quod non sit placidum*, hoc est, vt Ouidius interpretatur:

Et faciles motus mens generosa capit.

Vt enim parcere prostratis scit nobilis ira Leonis: ita Marcellus non violauit supplices, sed summi iuris probabili ratione seueritatem mitigauit. Iuxta memorabilem Salomonis sententiam Prouerb. 16. *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.*

In Hispania principio veris P. Scipio nouam Carthaginem oppugnauit, cum pulcerrimam opulentissimamque tum opportunissimam portu egregio, eamq; vno die cepit admirabili & pene incredibili felicitate vsus. Vt autem alia breuitatis causa omittam, illud certe silentio præterire nõ possum, quod Liuius de continentia Scipionis splendide commemorat. Vt enim Hesperus inter nocturnos ignes: ita casti pudoris decus in choro virtutum Scipionis eminet. Captiua, inquit, deinde à militibus, adducitur ad eum adulta virgo, adeo eximia forma, vt quacunq; incedebat, conuerteret omniũ oculos. Scipio percunctatus patriã, parentesq; inter cetera accepit desponsatam eam principi Celtiberorum adolescenti, cui Allucio nomen erat. Extemplo igitur parentibus sponsoq; ab domo accitis, cũ interim audiret, deperire eũ sponsæ amore: vbi primũ venit, accuratiore eum sermone, quã parentes alloquitur. Iuuenis, inquit, iuuenem appello, quo minus sit inter nos huius sermonis verecundia. Ego cum sponsa tua capta à militibus nostris ad me deducta esset, audiremq; eã tibi cordi esse, & forma faceret fidẽ; quia ipse si frui liceret ludo ætatis, præsertim recto & legitimo amore, & non Respub. animum nostrum occupasset, veniã mihi dari sponsam impensius amanti vellem: tuo, cuius possum, amori faueo. Fuit spõsa tua apud me a eadẽ qua apud soceros tuos, parentesq; suos verecundia: seruata tibi est, vt inuiolatum & dignum me teque dari tibi donum posset. Hanc mercedem vnam pro eo munere paciscor: Amicus populo Romano sis, & si me virum bonũ credis esse, quales patrem patruum-

patruumq; meum iam ante has gentes norãt: ſcias, multos noſtri ſimiles in ciuitate Romana eſſe, nec vllũ in terris populum hodie dici poſſe, quem minus tibi hoſtem tuisque eſſe velis, aut amicum malis. Cum adoleſcens ſimul pudore gaudioque perfuſus, dextram Scipionis tenens, Deos omnes inuocaret, ad gratiam illi pro ſe referendam, quoniam ſibi nequaquam ſatis facultatis pro ſuo animo atque illius erga ſe merito eſſet: parentes inde cognatique virginis appellati, qui quoniam gratis ſibi redderetur virgo, ad quam redimendam ſatis magnum attuliſſent auri pondus, orare Scipionem, vt id ad ſe domum acciperet, cœperunt, haud minorem eius rei apud ſe gratiam futuram, affirmantes, quam redditæ inuiolatæ erat virginis. Scipio quando tantopere peterent, accepturum ſe pollicitus, poni ante pedes iuſſit, vocatoque ad ſe Allucio: Super dotem, inquit, quam accepturus à ſocero es, hæc tibi à me dotalia dona accedent, aurumque tollere ac ſibi habere iuſſit. Hic lætus donis honoribusq; dimiſſus domũ, impleuit populares laudibus & meritis Scipionis. Veniſſe diis ſimillimum iuuenem, vincẽtem omnia cum armis tum benignitate ac beneficiis, itaq; delectu clientium habito cum delectis mille & quadringentis equitibus intra paucos dies ad Scipionem reuertit.

In hac hiſtoria ſunt exempla Q. triusq; generis virtutum neceſſariarum & earum, quæ ſunt ornamenta.

De anno decimo.

DEclarati conſules Q. Fabius Maximus quintũ, Q. Fuluius Flaccus quartum. Hoc anno Marcellus & conſulis literis excitatus, & quia ita in animum induxerat, neminem ducem Romanum tam parẽ Annibali quam ſe eſſe, vbi primum in agris pabuli copia fuit, ex hybernis profectus ad Cannuſium Annibali occurrit. Cum autem caſum aduerſæ pugnæ, in qua ad duo millia & ſeptingenti ciuium ſociorumque ceciderant, non ferret, poſtquam in caſtra reditum eſt, concionem adeo ſæuam atque acerbam apud milites habuit, vt prœlio per diẽ totam infeliciter tolerato triſtior iis irati ducis oratio eſſet. Clamor inde ortus, vt veniam eius diei daret, vbi vellet deinde experiretur militum ſuo-

ſuorum animos. Ego vero experiar, inquit, milites, & vos craſtino die in aciem educam, vt victores potius quam victi veniam impetretis, quam petitis. Ita concio dimiſſa fatentium iure ac merito ſeſe increpitos, neque illo die virum quenquam in acie Romana fuiſſe, præter vnum ducem, cui aut morte ſatisfaciendum aut egregia victoria eſſet. Poſtero die exercitus Romanus irritatus ducis ſui adhortationibus maximā hoſtium cædem fecit. Etenim cæſa ſunt ad 8000. hominum, quinque Elephanti: quanquā Romanis non incruenta victoria fuit. Eodem anno Fabius Maximus Tarentum proditione recepit, & maiore animo præda abſtinuit, quam Marcellus, qui interroganti ſcribæ, quid fieri de ſignis vellet (ingentis magnitudinis dij ſunt, ſuo quisque habitu in modum pugnantiū formati) deos iratos Tarentinis relinqui iuſſit. Annibal cum captam vrbem audiſſet & Romani, inquit, ſuum Annibalē habent. Eadem qua cepimus arte Tarentum, amiſimus.

Æſtatis eius principio, qua hæc agebantur, Scipio in Hiſpania reconciliandis barbarorū animis partim donis, partim remiſſione obſidum, captiuorumque occupatus fuit. Itaque Romæ fama Scipionis indies creſcere, Fabio Tarentum captum aſtu magis quam virtute, gloriæ tamen eſſe. Fuluij ſeneſcere fama. Marcellus etiam aduerſo rumore eſſe, propter Bibuli tribuni plebis conciones, quibus infamem, inuiſumque plebi Claudiū fecerat, & iam de imperio eius abrogando agebat, ſed has tribuni declamationes ita obruit Marcellus cōmemoratione rerum ſuarum, vt non rogatio ſolum de imperio eius abrogando antiquaretur, ſed poſtero die conſulem eum ingenti conſenſu centuriæ omnes crearent, adiuncta collega T. Quintio Criſpino. Vt enim Sol ſuo ſplendore nubes & nebulas diſſipat: ita virtus eſt victrix calumniarum, quæ velut ſpumę ſcopulis illiſæ rurſus defluunt. Et Cicero præclare inquit, de optima ratione refutandi calumnias: *Male mecum agetur, ſi me oratio mea potius quam vita purgat.*

De

De anno vndecimo.

VNdecimo anno Punici belli consulatum inierunt, M. Marcellus quintum & T. Quintius Crispinus. Hic annus Marcelli interitu insignis est.

Tumulus erat syluestris inter Punica & Romana castra, ab neutris primo occupatus: quia Romani qualis pars eius, quæ vergeret in hostium castra, esset, ignorarunt. Annibal insidiis quam castris aptiorem eum crediderat. Itaque nocte ad id missas aliquot Numidarum turmas, medio in saltu condiderat, quorũ interdiu nemo ab statione mouebatur, ne aut arma, aut ipsi procul conspicerentur. Fremebant vulgo in castris Romanis occupandum eum tumulum esse, & castello firmandũ: ne si occupatus ab Annibale foret, velut in ceruicibus haberent hostem: mouit ea res Marcellum, & collegæ: Quin imus, inquit, ipsi cum equitibus paucis exploratum? subiecta res oculis certius dabit consilium. Assentiente Crispino cum equitibus 220. proficiscuntur.

Cæterum consulem Marcellum tanta cupiditas tenebat dimicandi cum Annibale, vt nunquam satis castra castris collata duceret. Tum quoque vallo egrediens, signum dedit, vt ad locum miles esset paratus, si collis, in quem speculatum irent, placuisset, vasa colligerent ac sequerentur. Exiguum campi ante castra erat, inde in collem aperta vndique & conspecta ferebat via. Numidis speculator nequaquam in spem tantæ rei positus, sed si quos vagos pabuli aut lignorum causa longius à castris progressos possent excipere, signum dat, vt pariter ab suis quisque in latebris exorirentur. Non ante apparuere, quibus obuiis ab iugo ipso consurgendum erat, quam circumiere, qui ab tergo intercluderent viam. Tum omnes vndique exorti & clamore sublato impetum fecerunt. Cum in ea valle consules essent, vt neque euaderent in iugum occupatũ ab hoste, neq; receptum ab tergo circumuenti haberent: extrahi tamen diutius certamen potuisset, ni capta ab Hetruscis fuga pauorem cæteris iniecisset. Non tamen omisere pugnam deserti ab Hetruscis Fregellani, donec integri consules hortando, ipsique ex parte pugnando rem sustinebant. Sed post-

quam

quam vulneratos ambos Coss. Marcellum etiam transfixum, lancea prolabentem ex equo moribundum viderent, tum & ipsi (perpauci enim superant) cum Crispino consule duobus iaculis icto & Marcello adolescēte saucio & ipso effugerunt. Tumultuatum & in castris fuerat, vt consulibus irent subsidio, cum consulē & filium alterius consulis saucios, exiguasq; infelicis expeditionis reliquias ad castra venientes cernunt. Mors Marcelli cum alioqui miserabilis fuit, tum quod nec pro ætate (maior iam enim sexaginta annis erat) neq; pro veteris prudentia ducis tam improuide se collegamque & prope totam Rempub. in præceps dederat. Annibal magnum terrorē hostib. morte consulis vnius, vulnere alterius iniectū esse ratus, ne cui deesset occasioni, castra in tumulū, in quo pugnatum erat, extemplo transfert. Ibi inuentum Marcelli corpus sepelit. Crispinus & morte collegæ & suo vulnere territus silentio insequentis noctis profectus, quos proximos nactus est montes, in iis loco alto & tuto vndique castra posuit.

Cæterū cum duo consulares exercitus tam prope hostem sine ducibus essent, omnibus aliis omissis, vna præcipua cura patres populūq; incessit, cōsules primo quoque tempore creandi, & vt eos potissimū crearent, quorum virtus satis tuta à fraude Punica esset. Cum circumspicerent patres, quosnā consules facerent, longe ante alios eminebat C. Claudius Nero. Ei collega quęrebatur, & virum quidem eum egregium ducebant, sed promptiorem actioremq; quam tempora belli postularēt aut hostis Annibal. Temperandum acre eius ingenium moderato & prudenti viro adiuncto censebant, M. Liuius erat multis ante annis ex consulatu populi iudicio damnatus, (id est, deiectus de honore consulari) quam ignominiam adeo ægre tulit, vt delatum consulatum recusaret, leuitatem ciuitatis accusans. Sordidati rei non misertos cādidam togam inuito offerre: eodem honore honores pœnasque congeri. Si bonum virum ducerent, quid ita pro malo ac noxio damnassent? si innoxium cōperissent, quid ita male credito priore consulatu, alterum crederēt? Hæc taliaq; arguentem & querentē castigabant patres, & M. Furiū memorantes reuocatum de

exilio

exilio patriam pulsam sede sua restituisse: vt parentum sæuitiam; sic patriæ patiendo ac ferendo leniendam esse. Adnixi omnes cum C. Claudio Nerone M. Liuium consulem fecerunt.

De anno duodecimo.

CONsules facti duo peritissimi belli duces M. Liuius & C. Nero diuisis inter se copiis in prouincias proficiscuntur. Claudius in Salentinos, Liuius in Galliam Lombardi contendit aduersus Asdrubalē Brachinum, qui superatis alpibus ingētibus peditū equitumq; copiis iungere se fratri properabat. Accidit autem per id tempus, vt Annibal magnis afficeretur incommodis à Claudio consule, qui primū in Lucanis, adhibitis ēt Punica arte insidiis hostē fudit. Deinde in Apulia prope Venusiā Pœno congressus tumultuariā pugnam tanto impetu cōseruit, vt magnum numerū hostium interficeret, quo detrimento affectus Annibal extemplo ad reparandum exercitū Metapontum se contulit. Vbi paucos moratus dies copias ab Harmone accipit. & suis adiungit, & rursus Venusiam repetit. Claudius iam longe à Venusia habebat castra, & interceptis hostium literis cum Asdrubalem appropinquare cognouisset, dies noctesq; agitabat animo, quibus modis efficere posset, ne tantorū ducum copiæ simul iungerentur. Itaq; omni ratione subducta cōsiliū cepit periculosum, vt apparebat, futurum, sed forsitan eo tempore necessarium. Nam sub legati custodia castris relictis, ipse cum parte exercitus magnis itineribus in Picenū profectus, sexto die Senā peruenit, vbi consules ambo iunctis copiis prope Metaurum flumen Asdrubalem adorti secundissimo prœlio conflixerunt. Ad quinquaginta sex millia hostium eo die cæsa dicuntur, paremq; prope aiunt acceptę ad Cannas redditā hosti cladem. At Claudius Nero post hanc memorabilē victoriam nō minus celeriter, quā profectus erat, Venusiā repetens caput Asdrubalis prope stationes hostiū ponit, captiuosq; dimitti iussit, qui tantæ calamitatis nuncium ad Pœnum deferrent, nam eum ignorare compertum est, quæ parata primum occultis consiliis, quæ

deinde

deinde acta proximis diebus fuerant. In quo mirari libet astutissimi ducis solertiam sic deceptam fuisse à Claudio in tam modico castrorum interuallo, vt prius cæsum cum omnibus copiis fratrem, quam profectum reuersumque in castra consulem Romanum sciuit. Verum Annibal hoc tam ingenti non solum publico sed etiam priuato perculsus vulnere, agnoscere se fortunam Carthaginis dixit, pauloque post ex iis locis profectus in agrum Brutium se recepit.

Extremo æstatis eius patres non M. Liuium tantum redire ad vrbem, sed collegam quoq; eius C. Claudium iusserunt. Id modo in decreto interfuit, quod M. Liuij exercitum reduci, Neronis legiones Annibali oppositas manere in prouincia iussere. Inter consules ita per literas conuenit, vt quemadmodum vno animo Rempubl. gessissent: ita quanquam ex diuersis regionibus conuenirent, vno tempore ad vrbem accederent. Præneste qui prior venisset, collegam ibi operiri iussus. Forte ita euenit, vt eodem die ambo Præneste venirent, inde præmisso edicto, vt triduo post frequens senatus ad ædem Bellonæ adesset, omni multitudine obuiam effusa ad vrbem accessere. Non salutabant modo vniuersi, sed contingere pro se quisque victrices dextras consulum cupientes, alij gratulabantur, alij gratias agebant, quod eorum opera incolumis Respub. esset. In senatu cum more omnium imperatorum expositis rebus à se gestis postulassent, vt pro Republ. fortiter fideliterq; administrata & diis immortalibus haberetur honos, & ipsis triumphantibus vrbem inire liceret: se vero ea, quæ postularent, decernere patres merito deorum primum, dein secundum Deos consulum, responderunt, & supplicatione amborum nomine, & triumpho vtrique decreto. Inter ipsos, ne cum bellum communi animo gessissent, triumphum separarent, ita conuenit: quoniam in prouincia M. Liuij res gesta esset, & eo die quo pugnatum foret, eius forte auspicium fuisset: exercitus Liuianus deductus Romam venisset, Neronis de prouincia deduci non potuisset: vt M. Liuium quadrigis vrbem ineuntem milites sequerētur, C. Claudius equo sine militibus inueheretur. Ita cōsociatus triumphus, cum vtriq;

tum

tum magis ei, qui quantum merito anteibat, tãtum honore collegæ cesserat, gloriam auxit. Illum equitem dicebant sex dierum spacio transcurrisse longitudinem Italiæ, & eo die cum Asdrubale in Gallia signis collatis pugnasse, quo eum castra aduersus sese in Apulia posita habere credidisset: ita vnum consulem pro vtraque parte Italiæ aduersus duos duces, duos imperatores, hinc consilium suum, hinc corpus opposuisse, nomen Neronis satis fuisse ad continendum castris Annibalem: Asdrubalem vero qua alia re, quam aduentu eius obrutum atque extinctum esse? Itaque iret alter consul sublimis curru, multiiugis, si vellet, equis: vno equo per vrbem verũ triũphum vehi: Neronemq; etiamsi pedes incedat, vel parta eo bello, vel spreta eo triumpho gloria memorabilem fore. Hi sermones spectantium Neronem vsq; in Capitolium prosequuti sunt.

De anno decimotertio.

A M. Liuio dictatore creati consules L. Veturius, Q. Cæcilius, is ipse, qui tum erat magister equitum. In ciuitate tanto discrimine belli solicita, tum omnium secundorum aduersorumque causas in deos verterent, multa prodigia nunciabantur. Ab Antio nunciatum est, cruentas spicas metentibus visas esse. Et bos in agro Rom. locutus, & ara Neptuni multo sudore manasse in circo Flaminio dicebatur. Plus omnibus aut nunciatis peregre, aut visis domi prodigiis, terruit animos hominum ignis in æde Vestæ extinctus. Ob quam causam cęsa flagro est Vestalis, cuius custodia noctis eius fuerat, iussu P. Licinij pontificis.

Cum Annibale nihil eo anno rei gestum est. Nam neque ipse se obtulit in tam recenti vulnere publico priuatoq;, neque lacessierunt quietum Romani. Tantam inesse vim, etsi omnia alia circa eum ruerent, in vno belli duce censebant. Ac nescio, an mirabilior fuerit aduersis quam secundis rebus: quippe qui cum in hostium terra per annos 13. tam procul ab domo, varia fortuna bellum gereret, exercitu non suo ciuili, sed misto ex colluuione omnium gentium, quibus non lex, non mos, non

lingua communis, alius habitus, alia vestis, alia arma, alij ritus, alia sacra, alij prope dij essent: ita quondam vno vinculo copulauerit eos, vt nulla nec interipsos, nec aduersus ducem seditio extiterit, cum & pecunia sæpe in stipendium, & commeatus in hostium agro deessent: quorum inopia priore Punico bello multa infanda inter duces militesque commissa fuerant. Post Asdrubalis vero exercitum cum duce, in quibus spes omnis reposita victoriæ fuerat, deletum, cui non videatur mirabile, nullum motum in castris factum? Eodem anno debellauit Scipio in Hispania victo Asdrubale Gisconis, & pulsis Carthaginensibus, quinto anno postquam prouinciam & exercitum accepit. L. Scipio cum multis nobilibus captiuis nuncius receptæ Hispaniæ Romam est missus. Et cum cæteri lætitia gloriaq; ingenti eam rem vulgo ferrent, vnus qui gesserat, inexplebilis virtutis veræq; laudis, paruũ instar eorum, quæ spe ac magnitudine animi concepisset, receptas Hispanias ducebat. Iam Africã magnamq; Carthaginem & in suum decus nomenq; velut consummatã eius belli gloriam spectabat. Itaq; præmoliendas ibi ratus iam res, cõciliandosq; regũ gentiumq; animos, Syphacẽ primum regem statuit tentare. Masæsylorũ is rex erat. Masæsyli gens affinis Mauris, regionẽ Hispaniæ, maxime qua sita Noua Carthago est, spectant. Fœdus ea tempestate regi cum Carthaginẽsibus erat, ꝙ haud grauius ei sanctiusq; quam vulgo barbaris, quibus ex fortuna pendet fides, ratus fore, oratorẽ ad eum C. Lælium cum donis mittit, quibus barbarus lætus, & quia res tum prosperæ vbique Romanis, Pœnis in Italia aduersæ, in Hispania nullę iam erant, amicitiam se Romanorũ accipere annuit. Firmãdæ eius fidem nec dare nec accipere, nisi cum ipso coram duce Romano. Ita Lælius in id modo fide ab rege accepta, tutum aduentũ fore, ad Scipionem rediit. Cum aũt vno die duorũ opulentissimorũ ea tempestate duces populorũ Asdrubal & Scipio ad Syphacẽ venissent, vtrumque in hospitiũ rex inuitat, & quoniã sors eos sub vno tecto esse, atq; ad eosdem penates voluisset, contrahere in colloquiũ, dirimendarum simultatũ causa, est conatus. Scipione abnuente aũt priuatim sibi vllum cum Pœno

odium

odium esse, quod colloquendo finiret: aut de Republ. se quicquã cum hoste agere iniussu senatus posse. Illud magnopere cõtendẽte, ne alter hospitũ exclusus mẽsa videretur, vt in animum induceret, ad easdẽ venire epulas, haud abnuit: cænatum simul apud regẽ est: eodem ẽt lecto Scipio atque Asdrubal, quia ita cordi erat regi, accubuerunt. Tanta aũt inerat comitas Scipioni atq; ad omnia naturalis ingenij dexteritas, vt non Syphacẽ modo barbarum, insuetumque moribus Romanis, sed hostem ẽt infestissimũ facunde alloquendo conciliarit, mirabiliorem q; sibi eum cõgressu corã visum ferebat, quã bello rebus gestis, nec dubitare, quin Syphax regnumq; eius in Romanorũ esset potestate, eã artẽ illi viro ad cõciliandos animos esse. Itaq; non quomodo Hispania amissa sit, quærendum magis Carthaginensibus esse, quã quomodo Africam retineant, cogitandũ. Non peregrinabundũ neq; circa amœnas oras vagantẽ tantũ ducem Romanũ, relicta prouincia nouæ ditionis, relictis exercitibus, duab. nauibus in Africã traiecisse, & cõmisisse se in hostilẽ terram in potestatẽ regiam, in fidem inexpertam, sed potiundæ Africæ spem affectantẽ. Hoc cum iam pridem volutare in animo, hoc palam fremere, quod nõ quemadmodum Annibal in Italia, sic Scipio in Africa bellũ gereret. Scipio fœdere icto cum Syphace, profectus ex Africa dubiis & plærumq; sæuis in alto iactatus ventis, die quarto Nouæ Carthaginis portum tenuit. Post paucos dies Scipio graui morbo implicitus, grauiore tñ fama, cum ad id quisq; ꝙ audierat, insita hominibus libidine alendi de industria rumores, adiiceret aliquid: ꝓuinciam omnẽ ac maxime longinqua eius turbauit: apparuitq; quantã excitatura molem vera fuisset clades, cũ vanus rumor tantas procellas exciuisset. Ciuilis furor in castris ad Sucronem ortus. Octo ibi millia militum erãt, ꝓ̨sidium gentibus, quæ cis Iberum incolunt, impositũ. Motæ autem eorum mentes non tum cum primũ de vita imperatoris dubij rumores allati sunt, sed iã ante, licẽtia ex diutino, vt fit, ocio collecta, & nõnihil, ꝙ in hostico laxius rapto suetis viuere, arctiores res in pace erãt. Omnia igitur licẽtia ac libidine militũ, nihil instituto ac disciplina militari, aut impio cotũ qui ꝑerãt, gerebatur.

Erupit deinde seditio, & ad principes seditionis gregarios milites, C. Albinum Calenum, & C. Atrium Vmbrũ, delatum omnium consensu imperium est. Qui nequaquam tribunitiis contenti ornamentis, insignia etiam summi imperij, fasces securesq; attrectare ausi: neque iis venit in mentem, suis tergis, suis ceruicibus virgas illas securesq; imminere, quas ad metum aliorum pra ferrẽt. Scipionem bellis assuetum ad seditionum procellas rudem, solicitum habebat res, ne aut exercitus peccando, aut ipse puniẽdo modum excederet. In præsentia, vt cœpisset, leniter agi placuit, & missis circa stipendiaras ciuitates exactoribus, spem stipendij propinquam facere. Edictum subinde proposuit, vt ad stipendium petendum conuenirent Carthaginem, seu carptim partes, seu vniuersi mallent. Vt autem imperator in tribunal conscendit, & à tribunis sine vllo tumultu auctores seditionis per idoneos homines inducti in hospitia cõprehensi ac vincti sunt, tum omnis ferocia concidit flagitantium stipendium procacius, quam ex more & modestia militati erat, & vt postea fatebantur, nihil ęque eos terruit, quam præter spem robur & color imperatoris, quem affectum visuros esse crediderant, vultusq; qualem ne in acie quidem aiebant meminisse. Sedit tacitus paulisper, donec nunciatum est, deductos in forum seditionis auctores & parata iam omnia esse. Tum silentio per præconem facto, ad hunc modum verba fecit: Inuitus furorem & amentiam vestram tanquam vulnera attingo: sed nisi tacta tractataque sanari non possunt. Equidem pulsis Hispania Carthaginensibus nullum locum in tota prouincia, nullos homines credebam esse, vbi vita inuisa esset mea. Sic me non solum aduersus socios gesseram, sed etiam aduersus hostes. In castris meis (en quantum me opinio fefellit) fama mortis meæ non accepta solum, sed etiam expectata est, non quod ego vulgari facinus per omnes velim: (equidem si totum exercitum meum mortem mihi optasse crederem, hic statim ante oculos vestros morerer, nec me vita iuuaret, inuisa ciuib. & militibus meis) sed multitudo omnis, sicut natura maris per se immobilis est, vt venti & auræ cient, aut tranquilli aut procellosi. Et causa in vobis & origo omnis furoris penes

nes auctores est, vos contagione insanistis. Itaque quod ad vos vniuersos attinet, si erroris pœnitet, satis superq; pœnarum habeo. Albius Calenus & Atrius Vmber, & cęteri nefariæ seditionis auctores sanguine luēt, quod admiserunt. Vobis supplicij eorum spectaculum, non modo non acerbum, sed lætum etiam, si sana mens rediit, debet esse. De nullis enim quam de vobis infestius aut iniquius consuluerunt. Vix finem dicendi fecerat, cum ex præparato simul omnium rerum terror oculis auribusq; est offusus. Exercitus, qui corona concionem circumdederat, gladiis ad scuta concrepuit. Præconis audita vox citantis nomina damnatorum in concilio. Nudi in medium protrahebantur, & simul omnis apparatus supplicij expromebatur. Deligati ad palum, virgisq; cæsi & securi percussi adeo torpentibus metu, qui aderant, vt non modo nulla ferocior vox aduersus atrocitatē pœnæ, sed ne gemitus quidē exaudiretur. Tracti inde de medio omnes, purgatoque loco, citati milites nominatim apud tribunos militum in verba P. Scipionis iurarunt, stipendiumq; ad nomen singulis persolutum. Hunc finem exitumque seditio militum cœpta apud Sucronem habuit. Eodem anno Masanissa rex Numidarum in colloquium cum Scipione venit. Cœperat iam ante Numidam ex fama rerum gestarum admiratio viri, substitueratque animo speciem quoque corporis amplam ac magnificam, cæterum maior præsentis veneratio cœperat, & præterquam quod suapte natura multa maiestas inerat, adornabat promissa cæsaries, habitusq; corporis, non cultus munditiis, sed virilis vere ac militaris & ætas erat in medio virium robore, quod plenius nitidiusque ex morbo velut renouatus flos iuuentæ faciebat. Prope attonitus ipso congressu Numida gratias de fratris filio remisso agit. Ex eo tempore affirmat, eam se quæsisse occasionem, quam tandem oblatam deûm immortalium beneficio non omiserit. Cupere se illi, populoque Romano operam nauare: ita vt nemo vnus externus magis enixe adiuuerit rem Romanam. Id se, etiamsi iampridem vellet, minus præstare in Hispania, terra aliena atque ignota potuisse: in qua autem genitus, educatusque in spem paterni regni esset, facile præstaturum. Siquidem eundem

Scipionem ducem in Africam mittant Romani, satis sperare perbreuis æui Carthaginem esse. Lætus eum Scipio vidit audiuitq;, cum caput rerũ in omni hostium equitatu Masanissam fuisse sciret, & ipse iuuenis specimen animi præ se ferret. Fide data acceptaq; profectus retro Tarraconem est. Masanissa Gades rediit.

De anno decimoquarto.

Decimoquarto anno Punici belli P. Cornelius Scipio & P. Licinius Crassus pontifex maximus cõsulatum inerunt. Nominatæ Coss. prouinciæ sunt: Sicilia Scipioni extra sortem, concedente collega, quia cura sacrorum pontificem maximũ in Italia retinebat: Brutij Crasso. Porro cum Africam nouã prouinciam extra sortem P. Scipioni destinari homines fama ferrent: & ipse nulla iam modica gloria contentus, nõ ad gerẽdum modo bellum, sed ad finiendum diceret se consulem declaratum esse, neque aliter finiri id posse, quam si ipse in Africam exercitũ transportasset & acturum se id per populum aperte ferret, si senatus aduersaretur, idq; consiliũ haudquaquam primoribus patrum placeret, cæterique per metum aut ambitionem mussarent: Q. Fabius Maximus rogatus sententiam ita disseruit: Tu cum Annibal in Italia sit, relinquere Italiam paras, non quia Reipub. id vtile, sed quia tibi amplum & gloriosum censes esse. Ego P. Cornelium, P. C. Reip. nobisq;, nõ sibi ipsi priuatim creatum consulem existimo, exercitusq; ad custodiã vrbis atq; Italiæ scriptos esse, non quos regio more per superbiam consules, quo terrarum velint, traiiciant. Cum oratione ad tempus parata, tum auctoritate & inueterata prudentiæ fama magnam partem senatus & seniores maxime mouisset, pluresque consilium senis, quam animum adolescentis laudarent, Scipio ita locutus fertur: Requiescat aliquandiu vexata Italia, vratur, populeturq; inuicem Africa. Castra Rom. potius Carthaginis portis immineant, quam nos iterum vallum hostium ex mœnibus nostris videamus: Africa sit reliqui belli sedes, illuc terror fugaque, populatio agrorum, defectio sociorum, ceteræ belli clades, quæ in nos per 14. annos ingruerunt, vertantur.

Minus

Minus æquis animis auditus est Scipio, quia vulgatū erat, si apud senatum non obtinuisset, vt prouincia Africa sibi decerneretur, ad populum extemplo laturū. Post longam altercationem Scipioni decretæ sunt 30. rostratæ naues, quas C. Seruilius superiori anno habuisset, permissumq; vt in Africam, si ita è Repub. esse censeret, traiiceret.

Eodem anno Scipio vrbem Locrensium recepit, quæ sub defectionem Italiæ desciuerat & ipsa ad Pœnos. Pleminio legato præsidioq; ad tuēdam vrbem relicto, cum quibus venerat copiis, Messanam traiecit.

De anno decimoquinto.

CONsules facti M. Cornelius Cethegus, P. Sempronius Tuditanus absens, cum prouinciam Græciam haberet. Omnes alias curas vna occupauit, postquam Locrensium clades, quæ ignotæ ad eam diem fuerant, legatorum aduentu vulgatæ sunt: nec tam Q. Pleminij scelus, quam Scipionis in eo aut ambitio aut negligentia iras hominum irritauit. Decem legati Locrensium obsiti squalore & sordibus, in comitio sedentibus consulibus, velamenta supplicum, ramos oleo (vt Græcis mos est) porrigentes ante tribunal cum flebeli vociferatione humi procubuere. Quærentibus consulibus, Locrēses se dixerunt esse, ea passos à Q. Pleminio legato Romanisq; militibus, quæ pati ne quidem Carthaginenses velit populus Romanus. Orare, vt sibi patres adeundi deplorandiq; ęrumnas suas potestatē facerent. Senatu dato, maximus natu ex iis inter alia his verbis vsus est: Q. Pleminius legatus est missus cū præsidio, ad recuperandos à Carthaginēsibus Locros, & cum eodē ibi relictus est pręsidio. In hoc legato vestro (dant. n. animū ad loquendū libere vltimæ miseriæ) nec hominis quicquā est, P. C. pręter figurā & speciē, nec Rom. ciues, pter habitū & sonū Latinę linguæ. Pestis ac bellua immanis, qualē fretum quondā, quo ab Sicilia diuidimur, ad perniciē nauigantiū circumsedisse fabulę ferunt. Ac si scelus, libidinē & auaritiā solus ipse exercere in socios vestros satis haberet, vnā profundā qdem voraginem tn patiētia nostra expleremus, nunc oēs centuriones, militesq; vestros

(adeo in promiscuo licentiam atque improbitatem esse voluit) Pleminius fecit: omnes rapiunt, spoliant, verberant, vulnerant, occidunt, constuprant matronas, virgines, ingenuos raptos ex complexu parentum. Quotidie capitur vrbs nostra, quotidie diripitur, dies noctesq; omnia passim mulierum, puerorumq;, qui rapiuntur atq; asportantur, ploratibus sonant. Miretur, qui sciat, quomodo aut nos ad patiendum sufficiamus, aut illos, qui faciunt, nondum tantarum iniuriarum satietas ceperit. Neque ego exequi possum, nec vobis operæ est, audire singula, quæ passi sumus, communiter omnia complectar. Nego domum vllam Locris, nego quemquam hominem expertem iniuriæ esse: nego vllum genus sceleris, libidinis, auaritiæ superesse, quod in vllo, qui pati potuerit, prætermissum sit. Hęc cum ab legatis dicta essent, quæsissetque ab iis Q. Fabius, detulissentne eas querelas ad P. Scipionem; responderunt, missos legatos esse, sed eum belli apparatu occupatum esse, & in Africã aut iam traiecisse, aut intra paucos dies traiecturum. Iussis excedere è templo legatis, non Pleminius modo, sed etiam Scipio principum orationibus lacerari. Ante omnes Q. Fabius natum ad corrumpendum disciplinam militarem arguere. Sententiam deinde trucem orationi adiecit. Pleminium legatum vinctum Romam deportari placebat, & ex vinculis causam dicere, ac si vera forent, quæ Locrenses quererentur in carcere necari, bonaque eius publicari. P. Scipionē, quód de prouincia discesserit iniussu senatus, reuocari, agique cum tribunis plebis, vt de imperio eius abrogando ferrent ad populum. Perrogari eo die sententiæ accensis studiis pro Scipione & aduersus Scipionem non potuere. Vicit tamen Q. Metelli sententia, qui de cæteris Maximo assensus, de Scipionis causa dissensit. Ita enim censuit, Scipionem indicta causa nequaquam ex prouincia reuocandum esse, nec temere credendum iis, quæ vulgata sermonibus erant, de cultu ac desidia imperatoris, solutaque militiæ disciplina. Hac sententia comprobata decem legati ad Scipionem profecti sunt, vt comperta oculis perferrent Romam.

Venientibus iis Syracusas Scipio res non verba ad purgan-

purgandum se parauit. Exercitum omnem eo conuenire, classem expediri iussit tanquam dimicandum eo die terra marique cum Carthaginensibus esset. Quo die venerunt hospitio comiter accepti. Postero die terrestrem, naualemque exercitus, non instructos modo sed hos decurrentes classem in portu simulacrum & ipsam edentem naualis pugnæ ostendit: tum circa armamentaria & horrea, aliumque belli apparatum visendum prætor, legatiq; ducti: tantaque admiratio singularum, vniuersarumque rerum incussa, vt satis crederent, aut illo duce atque exercitu vinci Carthaginensem populũ, aut nullo alio posse, iuberentque, quod dij bene verterent, traiiceret & spei bene conceptæ, quo die omnes illum centuriæ consulem dixissent, primo quoque tempore compotem populum Romanum faceret, adeoque lætis inde animis profecti sunt, tanquam victoriam non belli magnificum apparatum nunciaturi Romam essent. Pleminius, quiq; in eadem causa erant, postquam Romam est ventum, extemplo in carcerem conditi, ac primo producti ad populum à tribunis, apud præoccupatos Locrensium clade animos, nullum misericordiæ locum habuerunt. Postea cum sæpius producerentur, iam senescente inuidia molliebatur ira, & ipsa deformitas Pleminij (naso auribusq; mutilati) memoriaq; absentis Scipionis fauorem ad vulgus conciliabat. Mortuus tamen prius in vinculis est, quam iudicium de eo perficeretur. Dum hæc apud Romanos geruntur, Syphax contrahit nuptias cum filia Asdrubalis, & ad Scipionem legatos mittit, per quos monet eum ne prioribus suis promissis fretus in Africã traiiciat, se & nuptiis ciuis Carthaginensis filiæ, & publico etiã fœdere cum populo Carthaginensi iunctũ. Quod si nõ abstineat Africa Scipio & Carthagini exercitũ admoueat, sibi necessarium fore, & pro terra, in qua & ipse genitus, & pro patria coniugis suæ, proque parente ac penatibus dimicare. Cum his mandatis ab rege legati ad Scipionem missi Syracusis eum conuenerunt, Scipio priusquam res vulgaretur, auertit à vero falsis præoccupando mentes hominum, & vocatis ad concionem militibus, non vltra esse cunctandum ait: instare, vt in Africam quam primum traiiciat, socios reges. Itaq; iam satis

omnibus instructis præparatisque & re iam non vltra recipiente cunctationem, in animo sibi esse, Lilybæum classe traducta, eodemque omnibus peditum equitúmque copiis contractis, quæ prima dies cursum nauibus daret, diis bene iuuantibus in Africam traiicere. Hac oratione audita, tantis omnibus ardor erat in Africam traiiciendi, vt non ad bellum duci viderentur, sed ad certa victoriæ præmia. Cum autem prospera nauigatione sine terrore ac tumultu in Africam traiecisset, 40. ferme dies nequicquam omnia experiens Scipio obsedit Vticam. Hæc in Africa vsque ad extremum Autumni gesta. Eodem tempore Annibal victus est in agro Crotoniensi à Sempronio consule.

De anno decimosexto.

CN. Seruilius, Scipio & Cn. Seruilius Geminus Coss. creati. In Affrica Scipio Carthaginenses & Syphacē Numidarū regem & Asdrubalem pluribus prœliis vicit adiuuāte Masanissa, binaq; hostiū castra expugnata, in quibus 40000. hominum ferro ignique consumta sunt. Syphacem per Caium Læliū cœpit: Masanissa Sophonisbam vxorem Syphacis filiam Asdrubalis captam statim adamauit & nuptiis factis vxorem habuit, castigatusq; à Scipione venenum ei misit, quo quidem fortiter hausto illa decessit. Et quia castigatio Scipionis valde memorabilis est, non possum eam silentio transire.

Aliqua te existimo Masanissa intuentem in me bona, & principio in Hispaniam ad iungēdam mecum amicitiam venisse, & postea in Africa teipsum, spesque omnes tuas in meam fidem commisisse. Atqui nulla earum virtus est, propter quas appetendus tibi visus sim, qua ego æque atq; temperantia atq; continentia libidinum gloriatus fuerim. Hanc te quoque ad cæteras tuas eximias virtutes Masanissa adiecisse velim. Namq; non est (mihi crede) tantum ab hostibus armatis ætati nostræ periculi, quantū à circumfusis vndiq; voluptatibus. Qui eas sua temperātia frænauit & domuit, multo maius decus maioremq; victoriam sibi peperit, quam nos Syphace victo habe-

habemus. Vince animum, caue deformes multa bona vno vitio & tot meritorum gratiam maiore culpa, quam causa culpæ est, corrumpas. Cæterum ab Annibale nihil vltra rei in Italia gestum. Nam ad eum Legati ab Carthagine vocantes in Africam venerunt. Frendens gemensque ac vix lacrymis temperans, dicitur legatorum verba audisse. Raro quemquam alium patriã exilij causa relinquentem magis mœstum abisse ferunt, quam Annibalem hostium terra excedentẽ. Respexisse sæpe Italiæ littora, & Deos hominesq; accusantẽ, se quoq; ac suum ipsius caput execratum, quod non cruentum ab Cannensi victoria militem Romam duxisset. Scipionem ire ad Carthaginem ausum, qui consul hostem in Italia Pœnum non vidisset: se centum millibus armatorum ad Thrasymenum & Cannas cæsis, circa Casilinum, Cannas, Nolamq; consenuisse. Hæc accusans querensq; ex diutina possessione Italiæ est detractus.

De anno decimoseptimo.

M. Seruilius Geminus, qui tum magister equitum erat, & Titus Claudius Nero Coss. facti sunt.

Hoc anno, qui & aquarum magnitudine & annonæ vilitate insignis fuit Q. Fabius mortuus est, qui cautior quam promptior habitus est, & sicut dubites, vtrum ingenio cunctator fuerit, an, quia ita bello propriè quod tum gerebatur aptum erat, sic nihil certius est, quam vnum hominem nobis cunctando rem restituisse, sicut Ennius ait. Annibal nuncium ad Scipionem misit, vt colloquendi secum potestatẽ faceret. Scipio cum colloquium haud abnuisset, summotis pari spacio armatis cum singulis interpretibus congressi sunt, non suæ modo ætatis maximi duces, sed omnis ante se memoriæ omniũ gentiũ cuilibet regũ imperatorũue pares. Paulisper alter alterius conspectu admiratione mutua propè attoniti cõticuere. Tũ Annibal petẽs à Scipione pacẽ, argumentũ sumit ex loco cõi de fortunæ incõstantia, quod maxime fallere soleat, cum initio nimium blanda fuerit, & hunc locum spargit in totam orationem. Maxime, inquit, cuique fortunæ minime credendum est, melior tutiorque

est cer-

est certa pax, quam sperata victoria. Hæc in tua, illa in Deorum manu est. Ne tot annorum felicitatem in vnius horæ dederis discrimen, cum tuas vires tum vim fortunæ Martemque belli communem propone animo. Vtrinque ferrum, corpora humana erunt: nusquam minus, quam in bello euentus respondent. Aduersus hæc Imperator Romanus in hanc fere sententiam respondit. Neque patres nostri priores de Sicilia, neque nos de Hispania fecimus bellum. Et tunc Mammertinorum sociorum periculum, & nunc Sagunti excidium nobis pia ac iusta induerunt arma. Vos lacessisse, & tu ipse fateris, & dij testes sunt, qui & illius belli exitum secundum, fasq; dederunt huius dant & dabunt. Quod ad me attinet, & humanæ infirmitatis memini, & vim fortunæ reputo, & omnia quæcunque agimus, subiecta esse mille casibus scio. Cæterũ sicut tibi curæ est sentire ciues tuos, quo eo per te onere iuuentur, sic mihi laborandũ est, ne quæ tũc pepigerunt, hodie subtracta ex conditionibus pacis prẹmia perfidiæ habeam. Ita infecta pace ex colloquio ad suos cum se recepissent, frustra verba pacata renunciant, armis decernendũ esse, habendamque eam fortunã, quã dij dedissent. Postremo die certamen parant duarũ nobilissimarum bello gentium duo clarissimi duces imperium orbis terræ breui spacio suis Rebuspubl. aut daturi aut erepturi. Locus prope Zanam fuisse traditur (in tabulis Africæ) vbi supremas vires in medium quasi effundentes pugnam memorabilem conseruere, in qua victores Romani totam aciem Punicam profligarunt. Cæsa aut capta ex Carthaginẽsium copiis supra 40000. hominum à Romanis dicuntur.

Responsio ad locum communem de fortunæ inconstantia.

De anno decimooctauo.

CReati Coss. Cn. Cornelius Lentulus, P. Ælius Pætus. Cn. Lentulus consul cupiditate flagrabat prouinciæ Africæ, seu bellũ foret, facilem victoriam, seu iam finiretur, finiti tanti belli se consule gloriam petens. Negare itaque prius quicquam agi passurum, quã sibi Africa decreta esset. Concedente collega moderato viro & prudenti, qui gloriæ eius certamen cum Scipione,

præterquam quod iniquum esset etiam impar futurum cernebat. Eodem anno pax Carthaginensibus petentibus data est, & bellum finitum anno 17. postquam initum erat. Scipio pace, terra marique parta exercitu in naues imposito, in Siciliam Lilybæum traiecit. Inde per Italiam effusis non vrbibus modo ad habẽdos honores, sed agrestium etiam turba obsidente vias Romam peruenit, triumphoq; omnium clarissimo vrbem est inuectus. Prim⁹ certe hic imperator nomine victæ ab se gentis est nobilitatus.

Hactenus quam breuissime summam historiæ de secundo bello Punico ex Liuio aliisque auctoribus complexus repetiui, in qua potissimum spectandæ sunt personarum imagines, vt verbi causa, Annibalis, Fabij, Marcelli, Scipionis & similium, vt cogitemus, quorũ velimus esse similes aut dissimiles. Deinde obseruemus exempla prouidentiæ diuinæ, quæ res humanas inter varios casus, & tot discrimina rerum sic gubernat, vt exitus tandem cõgruat cum iustitia. Discamus ergo iustitiam moniti & non temnere diuos, & vitam nostram sic moderemur, ne prouidentiæ & iustitiæ Dei nos capiat obliuio.

CHRONOLOGIA ADMONENS studiosos de serie temporum & collatione historiarum populi Romani & aliarum gentium.

Extat in Ptolemæo in fine lib. 3. tempus annotatum a morte Alexandri ad primum annum regni Augusti, post mortem anni videlicet 294. Ergo si principium Augusti post interfectum Cæsarem habere voles detrahendi erunt anni 12. eruntque à morte Alexandri ad interfectum Cæsarem 282. his adde annos 42. Augusti, eruntq; ad natum Christum à morte Alexandri iuxta hanc computationem anni 324 vel circiter. Hac hypothesi constituta, videamus quo tempore bellum secundum Punicum inchoatum & finitum sit. Congruit ergo initiũ huius belli cum anno 108. & exitus cum 125. anno

à morte

à morte Alexandri. Ex quo perspicuum est, hoc bellum confectum esse annis circiter 200. ante natum Christum. Incidit autem duratio eiusdem belli in gubernationem Ptolemæi Philopatoris & Antiochi magni regum Ægypti & Syriæ. Quare, ne quid de perpetua historiarum serie desit, horum regum mentio facienda est, sicut & supra catalogum aliquot regum Syriæ & Ægypti annotauimus, eaq; res plurimum lucis affert Iustino, ad quem enarrandum properauimus.

DE PTOLEMÆO PHILOPATORE 4. rege Aegypti.

PTolemæus Philopater sic dictus est Ironice cum patrem, matrem & fratrem interfecerit. Ignauia eius Antiocho Magno spem fecit recuperandarum vrbium in Syria, quas Seleuco Callinico Euergetes ademerat. Quare Antiochus Magnus iuuenis incensus cupiditate glorię militaris, bellum infert huic regi Ægyptio, & multas ciuitates recipit. Tandem vero occurrit Philopator, & cum vterq; magnas haberet copias, vicit Antiochum & propter segnitiem & luxũ statim in Ægyptum redit. Erant autẽ Iudæi initio coniuncti Antiocho, postea mutata fortuna hospitio victorem Ægyptium exceperunt ac placarunt data pecunia. Cum autẽ Ptolemæus Philopator visurus templum in vestibulum ingressus esset, sacerdotes obnixe orant, ne pergat, nec penetret in adytum interius, quo non erat fas ingredi cuiquã præter pontificem, etsi negat se obtemperaturum piis monitis rex superbus: tamen Deus templum defendit, & mox subito terrore consternatum regem ita reprimit, vt semiuiuus ex templo exportaretur. Quare Iudæis iratus cum Alexandriam redisset crudelia edicta proponit: Iudæos iubet in vincula rapi & multos elephantis cõculcandos obiici in spectaculis. Interea domi ipse interfecta coniuge nefandis se libidinibus contaminat, & regebatur aula non ab ipso aut principibus, sed a turpissimis & à flagitiosissimis libidinum sociis. Talis furor nunquam est diuturnus, vt dicitur de peccatis clamantibus in cœlum. Quare post victoriam, de qua dictum est, non fuit diu superstes.

DE

DE ANTIOCHO MAGNO.

ANtiochus magnus fratrem habuit Seleucum maiorem natu, qui statim postquam regnare cœpisset, in trãsitu Tauri interfectus est à suis, vt narrat Polybius lib. 4. apud quem extant initia rerum gestarũ Antiochi Magni. Primum bellum gessit Antiochus adolescens cum Molone duce, qui ab ipso defecerat. Hunc tandem acie victum & captum in crucem egit. Postea Syriæ ciuitates Seleucum & alias, quas Ægyptij priore bello occuparant, partim vi recepit, partim ad deditionem certis pactionibus adegit. Hæc fuit causa noui & magni belli inter Antiochum Magnum & Ptolemæum Philopatorem. Cæterum à Polybio lib. 5. apparatus belli & prœlia regum describuntur: Ptolemæus exercitũ duxit in Syriam 70000. peditum, 5000. equitum. Antiochi copiæ fuerunt 6000. Equitum & 60000. peditum. Hi exercitus in Syria ad Raphiã conflixerũt, fuitq; victor Ptolemæus & amissas ciuitates recuperauit. Antiocho petenti pax data est. Nam Ptolemæus etsi progredi, & plures regni partes Antiocho eripere poterat: tamẽ propter ignauiam gaudebat se labore militiæ liberari.

Cum autem post paucos annos domi mortuus esset Ptolemęus Philopator relicto filio impubere Ptolemęo Epiphane, rursus bellum mouet Antiochus. Nã propter hostis infantiã videbat se facilius inclinaturũ voluntates ciuitatum ad defectionẽ. Miserunt autem Ægyptij legatos Romam ac petierunt, vt senatus Romanus tutelam pueri regij susciperet. Quod cum esset factum, senatus iussit Antiochum ab Ægypto abstinere. Id ægre ferens & hospitem habens Annibalem, qui erat hortator, vt cæteri reges se coniungerent ad reprimendos Romanos, societatem cum Philippo Macedonum rege fecit. Hæc fuerunt semina belli cum Romanis, quod à Liuio 4. decad. describitur. Tandem autem victus Antiochus cessit Romanis tota Asia citra Taurum montem. Coactus est & obsides dare duos filios Antiochum Epiphanem & Demetrium. Aliquanto post spoliaturus templum quoddam in Syria a suis interfectus est.

IN

IN LIBRVM XXIX. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

PHILIPPVS) pater Persei. Virg 2. Æneid. de Helena.

Troiæ & patriæ communis erinnys.

Id est, Helena fuit vas iræ Dei & organum exitiale.

DESCRIPTIO PHILIPPI REGIS Macedonici, qui fuit pater Persei, quæ extat apud Polybium lib. 4.

PHilippus & eloquentia & suauitate orationis in militum concionibus & in rebus bellicis calliditate atque audacia non solum militum, sed omnium Peloponnesiorum iudicio præstabat, nec facile fuisset regem reperire pluribus naturę dotibus ornatum. Solertia quidem & memoria & gratia erat in hoc homine insignis: præterea aspectus imperio dignus, regia potentia, maximum robur, & inaudita in rebus bellicis animi magnitudo, quibus tot tantisq; virtutibus cum imperij fundamenta iecisset, quæ tandem causa naturam eius peruerterit, & ex iusto & pio rege impium ac sceleratū tyrannum fecerit, haud facile est disserere. Quamobrem hoc in alıud tempus est reseruandum. Daniel 8. cap. comparat reges Macedonicos Pardali, cuius est incredibilis celeritas, & alia multa, &c. Sed has dotes deformauit libidi-

bidinum cupido. Nam Pardalides vino inebratæ capiuntur.

Liuius de Attalo Rege in 4. decad. sic inquit:

ATtalus ita regnum administrauit iustitia, beneficentia, liberalitate, & ceteris virtutibus regiis, vt quanquam non esset natus in familia regum: tamen posteri ipsius tenuerint possessionem regni multos annos.

DE PHILOPOEMENE.

POlyb. lib. 2. describens Rempub. Achæorum, hoc est, maximæ partis in Peloponneso, quæ fuit optimis legibus temperata, & plurimarum rerum similitudine coniuncta, tres Achæorum duces potissimum laudat, & his titulis ornat. Primus inquit Arat⁹ fuit ἀρχηγὸς, id est, primus fundator. Secūdus fuit Philopœmenes, quē Polybius appellat τελειουργὸν, id est, perfectorē & consummatorem incoati operis ab Arato. Tertius fuit Lycortas, quem nominat βεβαιωτὴν μόνιμον, id est, confirmatorem stabilem illius status, quem superiores duces constituerant. Vt autem Aratus Sicyonius excelluit Politicis virtutibus & iis artibus, quibus studia hominum conciliātur: ita Philopœmenes fortiter pro patria dimicās ab hostibus captus est, vt infra audiemus. Cæterum epitheta Græca, quibus Polybius ornat tres duces Achæorum, notatu digna sunt propter articulum de tribus personis diuinitatis, ad quem non inepte accommodari possunt. Nam pater æternus omnium rerum est ἀρχηγὸς, hoc est, principium & fons: Filius, per quem omnia facta sunt & sustentantur, est τελειουργός: Spiritus S. qui fouet res conditas, commode appellari potest βεβαιώτης μόνιμος totius naturæ rerum & ecclesiæ. Sed de his alio loco fortasse plura dicemus. Qui autem plura de Arato & Philopœmene cupit cognoscere, legat vel Polybiū vel Plutarchum, qui descripsit vitam vtriusq; ducis Arati & Philopœmenis.

IN LIBRVM XXX. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

Seneca in Thyeste inquit:

SANCTITAS, fides, probitas priuata bona sunt, qua iuuat, reges eant. *Iust.* Macedonas Romana fortuna vicit. Imperia nō tantum humanis viribus constituuntur, sed diuinitus quadam fatali lege, cui nulli apparatus possunt obsistere.

Sed & Flaminius.)

Liuius lib. 4. dec. 4. Græci non magis bello virtutem Flaminij, quam in victoria temperantiam iustitiãque & moderationem mirati sunt. Hæc Liuius. Vt autem maxima pars heroicorum virorum deformata est insignibus probris: ita etiam hic Flaminius liberator Græciæ postremum vitæ actum contaminauit libidine. Ex quo apparet, quam languida sit & infirma omnibus telis Diaboli proposita communis virtus humana, si careat gubernatione & defensione diuina. Ac nos quidem talia exempla legentes conferamus cum dictis Psalmorum, in quibus ardentissime petitur gubernatio diuina. Vt Psalm. 143. *Doce me domine facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu, Spiritus tuus bonus deducat me in via recta.*

IN

IN LIBRVM XXXI. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

VERSVS Menandri de pestibus aularum. Hæc vna, inquit Menander, gaudet improbis potissimum, inter quos primum locum tenet adulatio, proximum Sycophanta vel calumniator. Tertium κακοηθής.

Hanc imaginem illustrat Iustinus proposito exemplo Annibalis, qui cum venisset in aulam Antiochi magni, varie iactatus est, & vndiq; circumflatus ventis inuidiæ.

Liuius decad. 3.

HOmines mouentur publicis malis eatenus quatenus putant ad priuata pertinere. Tantum nimirum ex publicis malis sentimus, quantum ad priuatas res pertinet.

Idem lib. 2. decad. 4. Modum imponere secundis rebus, nec nimis credere serenitati præsentis fortunæ prudentis hominis & merito felicis est.

IN LIBRVM XXXII. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

De Philopœmene Liuius lib.5.decad.4.

ERAT autem Philopœmenes pcipuæ in ducendo agmine locisq; capiendis solertiæ atque vsus, nec belli tantum temporibus, sed etiam in pace ad id maxime animum exercuerat. Vbi iter quopiam faceret contemplatus ab omni parte loci naturã; cum solus iret secum ipse agitabat animo; cum comites haberet, ab iis quærebat, si hostis eo loco apparuisset, quid si à fronte, quid si ab latere hoc aut illo, quid si à tergo adoriretur, capiendum consilij foret. His curis cogitationibusque ita ab ineunte ætate animum agitauerat, vt nulla ei noua in tali re cogitatio esset.

Sophocles.

Nullum grauius vulnus est, quam perfidia amici.

Cicero in quadam Philippica.

QVo maior est vis animi, quam corporis, tanto grauiora sunt ea, quæ animo quam quæ corpore concipiuntur.

Epiphonema Liuianum quod extat lib.9.decad.4.de inconstantia rerum humanarum.

TRium clarissimorum suæ cuiusque gentis virorum non magis tempore cõgruente compatabilis mors vide-

videtur esse, quam quod nemo eorum satis dignũ splendore vitæ exitum habuit. Iam primum omnes non in patrio solo mortui, nec sepulti sunt. Veneno absumti Annibal & Philopœmenes: exul Annibal proditus ab hospite: capt⁹ Philopœmenes in carcere & in vinculis expirauit. Scipio etsi nõ exul neq; damnatus, die tamẽ dicta ad quam non adfuerat, reus absens citatus voluntarium non sibimet ipsi solum, sed etiam funeri suo exilium indixit. *Vide Psalm. 119.*

IN LIBRVM XXXIII. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

SVMMA HISTORIAE DE BELlo, quod Romani gesserunt cum Perseo vltimo rege Macedonum.

IN omnibus historiis exempla iudicij diuini considerentur. Primum, vt pœnæ nos admoneant, ne iudicium & iram Dei contemnamus, q atrocia delicta seuere punit. Deinde vt cogitatione humanæ imbecillitatis permoti gubernationem diuinam in omnibus vitæ cõsiliis & moribus ardenter petamus.

Quantus vir fuerit & quantis naturæ dotibus ornatus Philippus posterior pater Persei, supra ex Polybio commemoraui. Sed hic præstans vir quia sese obscænis libidinibus polluerat, spectator fuit tragœdiæ filiorum, & calamitosum exitum habuit. Cum enim Perseus vre-

retur gratia, qua fratrem Demetrium apud patrem & Romanos valere videbat, ac metueret, ne frater regni successor constitueretur, re probauit illud, quod in tragœdia dicitur: *Si violandum est ius, regnandi causa violandum est.* Etenim calumniis astute cogitatis ita patris animum aduersus Demetrium concitauit, vt pater suæ στοργῆς oblitus filio venenum dari iusserit. Quo hausto mox coortis doloribus, cum in cubiculū recepisset sese de crudelitate patris conquerēs, & parricidiū fratris accusans torquebatur. Intromissi deinde quidā administri sceleris, iniectis tapetib. in caput faucesq; spiritū interclúserunt. Itaq; innoxius adolescens cū in eo ne simplici quidem genere mortis contenti inimici fuissent, interficitur. Philippus post necem filij, animo magis quā corpore æger, curisq; & vigiliis, cum identidē species & vmbræ insontis interempti filij eū diris agitarent, extinctus est, cum execrationib. alterius. Perseus ex fraterna cæde raptum diadema in templo Samothracū velut præsente Deo exigente pœnam ad pedes victoris hostis ꝓstratus posuit. Cum igitur hæc historia exemplū iudicij diuini illustre contineat, breuiter eā ex Liuio repetā. Perseus ex quo regnū adeptus est, verbis quidē renouauit fœdus factum inter Romanos & Philippū patrē, sed re multipliciter violauit. Itaq; Romani bellū ei denunciant, quod à II. consulibus gestum Æmilius tandē confecit. Ante postremū prœlium, vt alia breuitatis causa omittā, C. Sulpitius Gallus tribunus militū secundæ legionis, qui prætor superiori anno fuerat, cōsulis ꝑmissu ad cōcionē militib. vocatis pronunciauit, nocte ꝓxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora secunda vsq; ad quartā horā noctis lunā defecturā esse, id quia naturali ordine statis temporib. fiat & sciri ante & ꝓdici posse. Itaq; quēadmodū quia certi solis lunæq; & ort⁹ & occasus sint, nūc pleno orbe nunc senescente exiguo cornu fulgere lunā non mirarentur: ita ne obscurari quidē cum condatur vmbra terræ, trahere in ꝓdigium debere. Nocte, q̄ pridie nonas Septēbris insecuta est dies, edita hora, luna cū defecisset, Rom. militibus Galli sapientia ꝓpe diuina videri, Macedonas vt triste prodigiū occasum regni perniciēq; gentis portēdens mouit, & clamor vlulatusq; in castris Macedonum fuit, donec luna in suam lucē emersit.

Postero die prœlio cõmiſſo victi ſunt Macedones ac cæſa ad viginti millia hominũ, ad ſex millia, qui Pydnam ex acie profugerant, viui in poteſtatẽ peruenerunt, & vagi è fuga quinq; millia hominũ capta. Ex victorib. ceciderunt non plus centũ: vulnerati aliquanto plures ſunt. Quod ſi matutius pugnari cęptũ eſſet, vt ſatis diei victorib. ad perſequendũ ſupereſſet, delatæ oẽs copiæ forent. Nunc imminens nox & fugientes texit, & Romanis pigritiẽ ad inſequẽdũ locis ignotis fecit. Perſeus cum regio comitatu in Samothraciã fugit, ad quẽ perſequendum Octauius à conſule miſſus eſt. Cum autẽ iuſſu Octauij pronunciatũ eſſet per præconẽ, regios pueros Macedonasq; alios, qui Samothracię eſſent, ſi tranſierent ad Romanos, incolumitatẽ libertatẽq; & ſua omnia ſeruaturos, q̃ aut ſecum haberẽt, aut in Macedonia reliquiſſent: ad hanc vocẽ tranſitio omniũ facta eſt nominaq; dabãt ad Caiũ Poſthumiũ tribunum militũ. Liberos quoq; paruos regios Ion Theſſalonicẽſis Octauio tradidit, & cũ neminẽ quẽquã præter Philippum Maximũ natu è filiis cũ rege reliquiſſent: tũ ſeſe filiũq; Octauio tradidit fortunã Deosq; quorũ templa erant, nulla ope ſupplicẽ iuuantes accuſans. Perſeo in caſtra Rom. ingreſſo, Æmilius, Exẽplũ inſigne cernitis, inquit, mutationis rerũ humanarũ. Vobis hoc p̃cipue dico iuuenes. Ideo in ſecũdis reb. nihil in quenquã ſuperbe ac violenter cõſulere decet, nec pręſenti credere fortunæ, cũ, quid veſper ferat, incertũ ſit. Is demũ vir erit, cui' animũ nec p̃ſpera fortuna flatu ſuo efferet, nec aduerſa infringet. Conſilio dimiſſo tuẽdi cura regis Q. Ælio mandatur. Eo die & inuitatus ad cõſulem Perſeus & alius omnis honos habitus eſt ei, qui haberi in tali fortuna poterat. Exercitus deinde in hyberna dimiſſus eſt. Maximã partẽ copiatũ Amphipolis, reliquas propinquæ vrbes acceperunt. Hic finis belli, cũ quadrienniũ continuũ bellatũ eſſet inter Rom. & Perſea fuit, idẽq; finis inclyti p̃ Europã atq; Aſiam oẽm regni. Viceſimũ ab Carano, q̃ primus in Maced. regnauit, Perſea numerant. Perſeus regnauit xi. ann. Totũ vero regnũ Macedonũ inde vſq; ab morte Alexandri diſtractũ in multa regna, dũ ad ſe quisq; opes rapiũt lacerãtes virib. à ſummo culmine fortunę ad vltimũ finẽ centũ quinquaginta annos ſtetit.

Pydna fuit aula Persei.

Locus communis de moderatione in rebus secundis.

Cæterum Paulus ante reditum in patriam leges Macedoniæ dedit, cum tanta cura, vt non hostibus victis, sed sociis benemeritis dare videretur, & quas ne vsus quidem longo tempore, qui vnus est legum corrector, experiendo argueret. Sed nō Perseus tantum per illos dies documentum humanorum casuum fuit in catenis ante currum victoris ducis per vrbem hostium ductus, sed etiam victor Paulus auro, purpuraque fulgens. Nam duobus è filiis, quos duobus datis in adoptionem, solius nominis, sacrorum familiæque hæredes retinuerat domi, minor ferme 12. annos natus, quinque diebus ante triumphum: maior 14. annorum triduo post triumphum decessit, quos prætextatos curru vehi cum patre sibi ipsis similes prædestinantes triumphos oportuerat. Paucis post diebus data a M. Antonio tribuno plebis concione, cum de suis rebus gestis more cæterorum imperatorum disseruisset, memorabilis eius oratio & digna Romano principe fuit: Cum mihi ipsi nimia fortuna mea videretur eoque suspecta esset, illud optaui, vt cum ex summo retro volui fortuna consuesceret, mutationem eius domus mea potius quam Respub. sentiret. Itaq; defunctam esse fortunam publicam, mea tam insigni calamitate, spero, quod triumphus meus velut ad ludibrium casuum humanorum duobus funeribus liberorum meorum est interpositus. Sed hanc cladem domus meæ vestra felicitas & secunda fortuna consolatur. Hæc tanta dicta magis confoderūt audientium animos, quam si miserabiliter orbitatem suam dolendo locutus esset.

SERIES FAMILIAE REGVM Macedonum.

Hercules
Hyllus
Cleodorus
Aristomachus.

Inde initium sumit regnum Macedonicum.

1 Temenus, quem alij videntur Caranum appellasse.
2 Perdiccas.
3 Argæus.

4 Phi-

4 Philippus.
5 Æropus.
6 Alcetas.
7 Amyntas.
8 Alexander.
9 Perdiccas.
10 Archelaus.
11 Amyntas.
12 Philippus.
13 Alexander Magnus.

Successores Alexandri Magni.

1 Antigonus.
2 Demetrius πολιορκητὴς.
3 Antigonus Gonatas.
4 Demetrius.
5 Antigonus tutor Philippi.
6 Perseus vltimus Macedonum rex.

Iucundum est considerare in historiis, qualia fuerint initia & incrementa atque progressiones, denique quales inclinationes & ruinæ imperiorum. Hæc consideratio illustrat carmen Mariæ virginis, in quo dicitur: *Fecit potentiam: deposuit potentes, &c.* Est enim manus Dei potens ad exaltandum & ad humiliandum. Vt Æsopus interrogatus, quid ageret Deus? respondit: Deus exaltat humilia & deiicit alta. Hoc videre licet in imperiis, quæ vocantur 4. Monarchiæ.

Series Regum Syriæ ab Antiocho Magno vsq; ad finem regni.

Seleucus Philopator & fratres, Antiochus Epiphanes, & Demetrius filij Antiochi magni.
Antiochus Eupator natus patre Ephipane.
Demetrius Iunior & frater Antiochus, filij Demetrij.
Antiochus Gryphus filius Demetrij Iunioris.
Antiochus Cyzicenus filius Sedetis.

De filiis Antiochi Magni.

ANtiochus magnus reliquit 3. filios: Seleucum Philopatora, Antiochum Epiphanem & Demetrium.

Seleucus exiguo tempore post patrem regnauit.

De Antiocho Epiphane.

ANtiochus Epiphanes frater Seleuci Romæ cognita morte patris, clã inde discessit, vt ignauo fratri regnum eriperet. Fuit autẽ hic Epiphanes callido, acri, & sæuo ingenio præditus, qui mox postquã regnare cœpisset insidias struxit Ægyptiis. Nam mortuo Ptolemæo Epiphane venit in Ægyptum quasi tutor futurus cognati pupilli. Nam Cleopatra mater pupilli, erat soror Antiochi Ephiphanis. Collocat igitur præsidia in vrbes Ægypti tutorio nomine, cum re ipsa hoc ageret, vt occupatas tunc honesto prætextu postea retineret. Inde rediens Ierosolymã venit inuitatus à Iasone, cui pontificatum dederat contra Iudaicas leges. In hoc primo itinere Antiochus spoliauit templũ. Post biennium Antiochus rursus duxit exercitũ in Ægyptum, quia rex Ægyptius Ptolemæus Philometor iam adoleuerat & cognita fraude auunculi ex aliquibus suis vrbib. Syriaca præsidia expulerat, & auxilium à Romanis aduersus Antiochum petiuerat. Venit igitur eo tempore legatus Popilius, qui iussit Antiochum ab Ægypto abstinere. Cumq; Antiochus ambigue respõderet, ducto circulo in puluere circa eum, iussit eum clare respondere antequã ex eo circulo egrederetur. Ibi perterrefactus Antiochus pacem promittit & fremens discedit, vt narrat Liuius lib. 5. decad. 5.

Tyrannorum artes.

Quia vero magnos sumtus in ea expeditione fecerat, egens venit Ierosolymam, ibiq; facultates locupletũ diripit, profanat templũ, statua Iouis Olympij in eo collocata, proponit crudelia edicta de abolenda tota religione tradita voce Dei per Abraham, Moysen, & Prophetas, & hæc edicta defendit additis præsidiis, quæ magnã sæuitiam exercebant in homines pios, qui professionẽ legis diuinæ abiicere nolebant. Hæc acciderunt anno 145. post mortem Alexandri, vt testatur historia Machabeorum

rum lib. 11. cap. 1. Hic Deus excitat senẽ Matathiam, ex tribu sacerdotali patrẽ Machabeorum, qui collecto exercitu cœpit passim euertere idola & dimicare cum cohorte Antiochi. Post patrẽ Iudas Machabæus duxit exercitum. Hæ paruæ copiæ priuato cõsilio collectæ recuperarunt templũ & deleuerunt Antiochi exercitus multis prœliis. Estque templum recuperatum tertio anno, postquam Antiochus ibi collocauerat idolum & præsidia, videlicet anno post mortẽ Alexandri 148. Reliqua historia petatur ex libris Machabeorum. Porro Antiochus Epiphanes, quia acceperat insignes clades, non solum in Iudæa, sed et in Persia, animi dolore extinctus est, vt narrat 1. liber Machabeorũ cap. 6. Alij scribunt excussum è curru tam duriter allisum esse solo, vt inde morbus lethalis ortus sit, quo extinctus dicitur, cum tenuisset regnum annos 12.

De reliquis Syriæ regibus.

Adiiciam breuiter reliquos Syriæ reges, vt pœnę cõsiderentur de quib. concionatur primũ præceptũ.

Fuerunt inter posteros Antiochi post profanationem templi cõtinua parricidia. Successit Antiocho Epiphani frater Demetrius, qui vna fuerat obses Romæ. Hic veniens in Syriã mox iubet interfici filiũ fratris Antiochi iam regnantẽ, Antiochum εὐπάτορα. Aliquanto post Demetrius dat pœnas parricidij, Interficitur. n. à quodam Alexandro seditioso, qui regnũ inuasit adiutus ab Ægyptiis. Demetrio fuerunt duo filij, Demetrius Iunior & Antiochus Sedetes. Hic iunior Demetrius interficit Alexãdrũ. Postea Tryphon regno Demetrium expulit. Antiochus Sedetes a Parthis interfectus est. Hi fratres reliquerunt liberos. Demetrio fuit filius Antiochus Gryphus, Sedeti filius fuit Antiochus Cyzicenus. Hi dimicantes de regno ambo interfecti sunt. Postea Syriã inuasit vicinus rex Tigranes, cui eam Pompeius eripuit. Hoc modo domesticis seditionibus & parricidiis pœnas dederunt impiorũ regũ posteri, donec tãdem familia tota extincta & regium nomen sublatum & Syria à Rom. occupata est.

Εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λώια· δυσσεβέων δ' οὔ.

Id est, Piorum liberis melius est, impiorum deterius.

DE

DE ALIQVOT REGIBVS ÆGYPTI.

De Ptolemæo Epiphane.

PTolemæus Ephiphanes pene infans patri succeſſit. Cum autem Antiochus Magnus exiſtimaret, Ægyptios ſegnius defenſuros eſſe Syriam in hac regis infantia, rurſus mouit bellum. Quare Ægyptij diffidentes ſuis viribus Romam legatos miſerunt, qui peterent vt Romanus ſenatus tutelam regis Ægyptij ſuſciperet. Interim Antiochus pleraſq; vrbes inferioris Syriæ ac Phœniciæ recepit, & ducem Scopam miſſum ab Ægyptiis ad tuendam eam oram profligauit. Hic Iudæi grauiter afflicti ſunt, primum à Scopa, poſtea à victore Antiocho. Deinde cum legati Romani aduenissent, iuſſerunt Antiochum reſtituere vrbes occupatas eique bellum denunciarunt, niſi obtemperaret. Hanc legationem vt arte eluderet, nec Romanos exercitus in Syriam adduceret, pacē fecit cum Ægyptio, data ei filia Cleopatra. Iratus vero Romanis, fœdus fecit cum Philippo Macedone, & traiecit in Græciam & bellum geſſit cum Romanis.

De Ptolemæo Philometore.

PTolemæus Philometor natus eſt ex filia Antiochi M. cum eius ætas mortuo patre gubernationi nondum idonea eſſet, venit in Ægyptum Antiochus Epiphanes auunculus, ſimulans ſe tutorem fore nepotis ſui, vt eo prætextu vrbibus Ægypti præſidia imponeret & pupillum regno ſpoliaret. Sed aliquanto poſt diſceſſum Antiochi auxilium à ſenatu Rom. mater Ptolemæi petiuit & pulſis Antiochi præſidiis vrbes recepit. Redit igitur Antiochus iratus, nepotem vel dolo per ſimulationem amicitiæ vel armis oppreſſurus. Sed Romani legatū miſerunt Popilium, qui iuſſit Antiochū ab Ægypto abſtinere. Ita fruſtratus ſua ſpe Antiochus & egens rediit in Syriam, vt ſupra narratum eſt.

DE BELLO ACHAICO.

BElli Achaici causa fuit, quod legati populi Romani Corinthum missi, vt eas ciuitates, quæ sub ditione Philippi fuerant, ab Achaico concilio secernerent, ab Achaicis pulsati, vel vt Strabo narrat, sordibus perfusi sunt. Hanc iniuriam nequaquaquam ferentes Romani, Q. Cæcilium Metellum in Græciam miserunt, qui cum Achæis eorumq; sociis Thebanis & Chalcidensibus ad Thermopylas bello conflixit, quibus victis dux eorum Critolaus, veneno sibi mortem cõsciuit, in cuius locum Dracus Achaici motus primus auctor ab Achæis dux creatus ad Isthmum à L. Mumio consule victus est, qui omni Achaia in deditionem accepta Corinthum ex senatus consulto diruit, quia ibi legati Romanorum violati erant. Thebæ quoque & Chalcis, quæ auxilio fuerant, dirutæ & ante oculos prostratæ. Ipse L. Mumius rarum abstinentiæ specimen præbuit, nihil enim ex signis ęreis, marmoreisq; & tabulis pictis, deniq; ex omnibus opibus ornamentisq;, quæ prædiues Corinthus habuit in domum suam transtulit.

DE TERTIO BELLO PVNICO.

TErtij Punici belli initium altero & sexcentesimo anno ab vrbe condita, intra quintum annũ, quam erat cœptum, consummatum omnino est.

Inter Marcum Portium Catonem & Scipionem Nasicam, quorum alterum sapientissimum virum in ciuitate habebant, alter vir optimus à senatu indicatus erat, diuersis certatum est sententiis, Catone suadẽte bellum & vt omnino deleretur Carthago; Nasica dissuadente. Placuit nihilominus eo quod contra fœdus naues haberent & extra fines exercitum duxissent, quodque socio populi Romani Masinissæ arma intulissent, & quod filium eius Gulussam, qui cum legatis Romanis erat, in oppidum minime recepissent, bellum iis indici. Priusquam

quam vllæ copiæ in naues imponerentur, Vticenses legati Romam venerunt, se suaque omnia dedentes. Ea legatio velut maximum belli omen grata patribus, acerba Carthaginensibus fuit. Cæterum legati 30. Romam venerunt, per quos Carthaginenses se dedebant. Catonis sententia peruicit, vt decreto perstaretur, & vt consules quam primum proficiscerētur ad bellum. Qui vbi in Africam transierunt, acceptis, quos imperauerant, trecentis obsidibus, & armis omnibusq; instrumentis belli, si qua Carthagine erant, tunc cum ex auctoritate patrum iuberent, vt in alio loco, procul in mari decē millia passuum nec minus remoto, oppidum facerent, indignitate rei ad bellandum Carthaginenses compulerunt. Carthago labore maximo obsessa & per partes capta est. Primum à Mancino legato: deinde à Scipione posteriore Pauli Æmilij filio, consule, cui extra sortem prouincia Africa data est. Carthaginenses portu nouo, quia vetus à Scipione erat obstructus, facto, & contracta exiguo tempore ampla classe nauali prœlio infeliciter pugnauerunt. Asdrubalis quoq; eorum ducis castra ad Nesentem oppidum loco difficillimo sita, cum exercitu deleta sunt à Scipione, qui tandem vrbem expugnauit septingētesimo anno, quam erat condita. Spoliorum maior pars Siculis, quibus ablata erat, reddita. Narrant, Scipionem capta Carthagine spectantem incendium vrbis illacrymasse ac dixisse, deplorandam esse fortunæ incōstantiam in rebus humanis, se non modo dolere vicem Carthaginis, quæ olim florens virtute, opibus & imperio, nunc spoliata & capta incendio pereat, sed etiam de Romæ fato cogitare, quæ aliquanto post simili calamitate peritura sit, quia nulla imperia perpetua sint.

Principiis omen inesse solet.

IN LIBRVM XXXIV. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

IN hoc libro describitur bellum Achaicum quod gessit L. Mumius. Virgilius Æneid. 2. de Priamo.

Hac finis Priami fatorum: hic exitus illum:
Sorte tulit, Troiam incensam, & prolapsa videntem
Pergama, tot quondam populis terrisque superbum.
Regnatorem Asiæ ——.

Rex Antiochus) Epiphanes.
Sororis) Cleopatræ.

IN

IN LIBRVM XXXVI. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

IN hoc libro præcipuus locus eſt de initiis & incrementis gentis Iudaicæ.

Locus Strabonis, qui extat in lib. 16. de populo Iudaico.

FAma aſſerit, Ægyptios fuiſſe eorum progenitores, qui nunc Iudæi appellantur. Nam Moyſes vnus ex Ægyptiis ſacerdoribus, cum partem quandam regni haberet, ac moleſte ferret corũ inſtituta, hinc eo commigrauit. Diſceſſere cum eo multi, quibus diuina curæ erant. Docebat enim ille, quomodo Ægyptij non recte ſentirẽt, qui ferarum ac pecorum imagines Deo tribuerent, nec Græci, qui Deos hominum figuris inſignirent, & quod id ſolum Deus eſſet, quod nos contineret, terram ac mare, quod cœlum & mundũ & rerum omnium naturas appellamus, cuius profecto imaginem nemo ſanæ mentis noſtræ ſimilem audeat effingere. Oportere itaque relicta omni ſimulacrorum effigie, & digno ei fano ac templo cõſtituto, ſine forma colere, ac ſemper bonum aliquod & donum & ſignum à Deo expectare, eos præſertim, qui caſte integreque & cum iuſtitia viuerent, cæteros vero nequaquam. Ille hæc dicens hominibus bonis non ſane paucis id perſuaſit, & in eum locum deduxit, vbi nunc condita ſunt Ieroſolyma.

DE

DE BELLO MITHRIDATICO.

VEnuste quidam dixit Mithritadem potentissimum regem à L. Sylla debilitatum, à Lucullo fractum, à Pompeio tandem victum esse. Causæ vero belli diuturni inter populum Romanum & Mithridatem hæ fuerunt.

Mithridates Ponti rex Bithynia & Cappadocia occupatis Phrygiam prouinciam populi Romani cum ingēti exercitu inuasit, &, quicquid ciuium Romanorum in Asia fuit, vno die trucidari iussit. Dicuntur autem centum quinquaginta millia trucidata esse. Aduersus hunc grassatorem Sylla missus primùm Athenas, quas Archelaus præfectus regis occupauerat, post longam obsidionem maximo labore expugnauit, & satis crudeliter sæuiit in ciues. Deinde copias regis, qui Macedonia occupata, in Thessaliam venerat, prœlio vicit, cæsis hostium 100000. Postremo cum in Asiam traiecisset, pacem cum Mithridate fecit, ita vt cederet prouinciis Asia, Bithynia, Cappadocia.

Cum autem Mithridates mortuo Sylla bellum renouasset, Lucullus proconsul ad Cyzicum vrbem exercitum Mithridatis fame ferroque deletum, pulsumq; Bithynia regem variis belli ac naufragiorum casibus fractum, coegit in Pontum fugere. Idem Proconsul in Ponto aduerlus Mithridatem feliciter pugnauit, cæsis hostium amplius quam 60. millibus. His cladibus acceptis Mithridates ad generum Tigranem Armeniæ regem confugit. Neque vero armis tantum insignis fuit Lucullus, sed etiā amore iustitiæ. Nam in Asia præfiniuit modum vsuris, ne plus quam cētesima solueretur, id est, quæ centesimo mense æquat sortem. Cæterum Tigranes soceri calamitate permotus, exercitum ducentorum & quinquaginta millium in aciem eduxit, dimicaturus cum Lucullo. Hæ immensæ copiæ non sustinentes Romanorum impetum priusquam iniretur certamen profligatæ sunt, anno vrbis 684. Peditum in ea fuga vltra 100. millia cecidisse proditum est, equites paucos admo-

In Bithynia, vbi etiam sita est Nicea & Chalcis.

dum effugisse, cùm quidem quinquaginta millia fuissent, Romanorũ vulnerati 100. quinque interfecti sunt. Ex quo perspicuum est equum parati ad bellum, sed à Deo victoriam donari.

Lucullum vero, ne persequeretur Mithridatem ac Tigranem summamq; victoriæ imponeret, seditio militum impediuit, qui sequi nolebant prætextu vacationis, quam sibi iure ac merito deberi contendebant. Itaque cum paulo post lege Manilia Pompeio bellum Mithridaticum decretum esset, Lucullus dixisse fertur, Simulacra & vmbras belli Pompeium persequi & alieno cadaueri tanquam volucrem insidere.

Pompeius ad gerendum bellum aduersus Mithridatem profectus cum rege Parthorum Phraate amicitiam renouauit & Tigranem in deditionem accepit, eique ademptis Syria, Phœnicia & Cilicia regnum Armeniæ restituit, cumque Mithridatem nocturno prœlio victum, ac fugientem persequeretur, in vltimas ignotasque gentes penetrauit, Iberos & Albanos. Ad extremum Mithridates à filio Pharnace obsessus in regia, cum veneno hausto mortem sibi consciscere non posset, à milite Gallo cui Bithoco nomen erat, interfectus est. Hic finis Mithridatis fatorum hic exitus illum sorte tulit, tot quondam populis terrisque superbum regnatorem Asiæ, vt de Priamo Virgil. ait. *Lib 2. Aeneid.* Postea cum Pompeius pacato Oriente venisset Damascum, & Aristobulus rex Iudaicus misso magnifico munere fratrem Hircanum, vt turbatorem communis pacis in Iudæa atrociter accusasset, iussi sunt ambo fratres ineunte vere, ad Pompeium venire Damascum. Pompeius audita controuersia æquior factus Hircano & propter causam ipsam & præcipue propter Antipatrum dimittit Aristobulum in patriam certis conditionibus. Sed cum ille pactis non staret, & machinationibus quibusdam iussa eluderet, iratus Pompeius cum exercitu, quem contra Nabatheos Arabes ducturus fuerat, Iudæam ingreditur, vbi, cum denuo promissis pecuniis Gabinium legatum ludificatus esset, magis iratus Pompeius perfidia Aristobuli, exercitum & machinas Ierosolymorum mœnibus admo-

admotum, & non dedentibus se Iudæis vi expugnatam vrbem cœpit, adiutus consiliis Hircani die ieiunij Mensis tertij circa Pentecosten, anno quo M. T. Cicero consul Romæ coniurationem Catilinæ repressit, hoc est, anno sexagesimo ante natum Christum. *Anno Vrbis Rom. 691.*

Capta vrbe vltra viginti duo millia Iudæorum interfecti sunt à militibus Romanis. Pompeius cum suis amicis sanctum sanctorum ingressus perlustrauit ea, quæ solis summis sacerdotibus aspicere licebat, vbi cum ingentem vim auri facti, & pecuniæ duodecim tonnas in thesauris esse comperisset, illis omnibus ibidem relictis egressus iussit locum rursus expiari: Hircano sacerdotium summum restituit: auctores belli, qui Aristobulum ad rebellandum impulerāt, securi percussit: Ierosolymorum muros deiici mandauit & totam Iudæam tributariam populo Romano fecit, coactam exigui temporis spacio pendere myriadem talentorum, hoc est, sexaginta tonnas auri.

Denique decedens relictis in Iudæa duabus legionibus cum Scauro, captum Aristobulum cum duobus filiis Alexandro & Antigono secum ad triumphum abduxit. Hoc fuit initium seruitutis genti Iudaicæ cum in potestatem Romanorum veniret, causam autem huius calamitatis præbuit duorum fratrum discordia. Cæterum Pompeius 14. annis post occupatam vrbem Ierosolymam pugna Pharsalica victus à Cæsare, cum ad Ptolemæi Auletæ filium supplex confugisset, ad Pelusium oppidum Ægypti, quod abest ab vrbe Ierosolyma paulum supra 30. milliaria Germanica, regrediens ex nauicula fere sexagenarius iussu regis Ptolemæi occiditur. Neque vero casu hæc acciderunt, sed diuinitus ita factum est, vt quasi in conspectu eius loci extingueretur, quem ipse & sanguine & temerario suo ausu profanauerat.

DE BELLO CIMBRICO.

QVemadmodum Planetę alias progrediuntur iuxta seriem signorum, interdum aliquam confecti itineris partem retro legunt: ita in narrationibus historiarum necesse est, nos sæpe vsurpare illud, quod Græci vocant ὕστερον πρότερον. Nam in tanta rerum varietate fieri nequit, vt omnia simul aut perpetua serie & cõtinuatione exponantur. Quare nemini mirum videatur, quod progressi in historia de Mithridate & Pompeio vsque ad annum vrbis 691. nunc quasi retro legentes vestigia, antiquiorem historiam de bello Cimbrico persequimur. Etenim anno vrbis 650. Cimbri in Italiam infusi sunt, & Romanos maximis cladibus affecerunt. Sed antequam ad historiæ cõmemorationem accedo, pauca de appellatione Cimbrorum dicenda videntur. Narratio quæ in Genesi capit. 16. extat, testatur, alterum parentem generis humani Noa tres filios suscepisse, atque ab his varias ac diuersas gentes propagatas esse, videlicet Iaphet, Sem, & Cham. Ac vt de aliis nepotibus Noę nihil dicam, illud certe constat, primogenitum filium Iaphet fuisse Gomer, à quo Cimmerios seu Cimbros ortos esse cũ alia multa tum vel maxime nominis similitudo indicat. Occuparunt autem Cimbri eas oras Septentrionis, quas hodie Lituani, Liuonienses, Dani & Holsatienses incolunt. Huius asseuerationis locuples testis est ipsum nomen Cimbricæ Chersonnesi, quod Danis & Holsatiẽsibus impositum est. Cognita appellatione, deinceps summa sequar fastigia rerum, quæ in bello Cimbrico acciderunt.

Cimbri gens vaga populabundi in Illyricum venerunt: ab iis Papyrius Carbo consul cum exercitu fusus est. Post hunc M. Iunius Syllanus consul aduersus Cimbros infeliciter pugnauit. Aurelius quoq; Scaurus legatus consulis à Cimbris fuso exercitu captus est, cumque in consilium ab iis adhibitus deterreret eos, ne Alpes transirent, Italiam petituri, eo quod diceret Romanos vinci minime posse, à Bolo rege feroce iuuene occisus

est.

est. Ab iisdem hostibus Caius Manlius & Q. Seruilius Cæpio proconsules victi prælio castrisque binis exuti sunt, octoginta millia militum occisa, calonum ac lixarum 40. millia. Hæ clades continuatæ plus terroris populo Romano, & vniuersæ Italiæ incusserunt, quam bellum cum Annibale gestum & clades ab eo acceptæ. Itaque bellum Cimbricum Caio Mario decretum est, cuius viri vitia si cum virtutibus comparentur, haud facile sit dictu vtrum bello melior, an pace perniciosior fuerit. Quam enim Rempub. armatus aduersus Cimbrorum & Teutonum irruptionem defendit, eam paulo post crudelissimo luctuosissimoq; bello implicauit, vt suo loco dicam.

Cimbri vastatis omnibus, quæ circa Rhodanum & Pyrenæum sunt, per saltum in Hispaniam transgressi ibique multa loca populati à Celtiberis fugati sunt, reuersiq; in Galliam bellicosis se Teutonibus coniunxerunt. Caius Marius consul summa vi oppugnata à Teutonibus castra virtute & calliditate defendit, duobus deinde præliis circa aquas Sextias hostes deleuit, in quibus cæsa traduntur hostium ducenta millia, capta 90. millia. Cimbri repulso ab Alpibus fugatoque Q. Catulo proconsule, qui fauces alpium obsederat & ad flumē Athesin castellum occupatum reliquerat, vbi virtute sua explicata fugientem proconsulem exercitumque prosecuti in Italiam traiecissent iunctis eiusdē Catuli & Caij Marij exercitib. prœlio victi sunt ab eis, in quo cæsa traduntur hominum centum quadraginta millia, capta sexaginta. Etsi autem cogitantes de tot fortium virorum miserabili interitu toto pectore contremiscimus: tamen his longe tristiora in eodem prœlio acciderunt, quorum recordatio nos de humana infirmitate obnoxia tyrannidi Diaboli admoneat. Nam mulieres, quæ in castris relictæ erant, viros fugientes iugularunt, quædam infantes strangulatos ad pedes iumentorum abiiciētes, sibi necem consciuerunt. Vnam aiunt è summo temone suspensam, infantes laqueo malleolis pedum alligatos appendisse, vires autem arborum penuria alios cornibus, alios cruribus boum fune colla alligasse: deinde stimulo, quem manu ferebant actis bobus tractos expirasse.

tasse. Hæc horrenda spectacula non prætereamus otiosis animis, sed deploremus horrendam iram Dei aduersus peccata generis humani & fateamur, Diabolum vero grassari aduersus homines & eos, qui deserti sunt a Deo, horrenda mole ærumnarum opprimere.

IN LIBRVM XXXVII. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

DE BELLO MARII ET Syllæ.

LITIS initium, inquit Salomon, perinde est, ac si alueum ruperit aqua, quæ postea nulla vi cõtineri potest. Ita in Repub. à paruis initiis ortæ dissensiones, cum inualuerunt nullis remediis sanari possunt. Etsi autem omnium seculorum atq; ætatũ historiæ plenæ sunt exemplorum, in quibus conspici potest, sæpe certamina accensa seu quadã morositate ingeniorum, seu odiis aut inuidia, magnis imperiis ac ciuitatibus exitio fuisse: tamen haud scio an vllum exter illustrius, quam Marij, qui cum vreretur gloria Syllæ, conatus est eum vi spoliare exercitu & prouincia, & patriam implicuit crudelissimo luctuosissimoque bello. De hoc bello deinceps breuiter dicam, vt studiosos huius tragœdiæ consideratio ad moderationem & regendos animorum impetus hortetur.

Cum Syllæ decreta esset prouincia Asia, quam Mithridates inuaserat, Marius subobnauit tribunum plebis Sul-

bis Sulpitium hominem audacem & temerarium, qui contrariam rogationem ferret de abrogando imperio Syllæ & creando Mario duce belli Mithridatici. Huius Sulpitij tanta fuit insolentia, vt nunquam in senatum veniret, nisi stipatus sexcentis equitibus, quos antesenatum appellauit.

Cum autem Marius iam ad expeditionem accinctus esset duosque tribunos militum à Sylla exercitum accepturos ablegasset, Sylla, qui in castris habebat sex legiones, trucidatis legatis Marij ad vrbem copias duxit, cuius aduentu cognito Marius in amicos Syllæ crudeliter sæuiit, ac bonis eorum direptis sese in fugam coniecit. Sylla, interfecto tribuno Sulpitio & quibusdam aliis aduersæ factionis, exercitum in Græciam traiecit, bellum gesturus cum Mithridate. Hæc semina fuerunt maximorum malorum, quæ paulo post consecuta sunt. Nam Marius Romam reuersus absente Sylla septimum consulatum obtinuit, cum quidem septuagesimum ætatis annum ageret. In eo consulatu intra dies septem & decem clarissimos & nobilissimos ciues crudelissime interfecit. Ac, vt cæteros, quorum longa est enumeratio, omittam, duo certe inprimis deplorandi sunt, Q. Catulus collega Marij, cuius paulo ante in historia belli Cimbrici mentionem feci, & M. Antonius homo eloquentissimus. Etenim Catulus cum ab irato Mario vitam impetrare non posset, inclusus domi accensis carbonibus se suffocauit. M. Antonius à quodam Annio iussu Marij trucidatus est. Horum miserabilem interitum deplorans Cicero in 3 de Orato: sic inquit: Tenemus enim memoria Q. Catulum virum omni laude præstantem, cum sibi nō incolumem fortunam, sed exilium & fugam deprecaretur, esse coactum, vt vita se ipse priuaret. Iam Marci Antonij in iis ipsis rostris, in quibus ille Rempub. constantissime consul defenderat, quæque censor imperatoriis manubiis ornarat, positum caput illud fuit, à quo erant multorū ciuiū capita seruata. Post hanc cædem omniū crudelissimam Marius diem suum obiit, extinctus partim laterum dolore, partim phrenesi decimo septimo Ianuarij, vt scribit Plutarchus, vel vt alij volunt, Idibus Ianuarij. Sylla cum ad eum

de morte Marij allatum esset, è vestigio in Italiam traiecit, vindicaturus patriam in primisque nobilitatem à sæuitia Marianæ factionis. Nam filius Marij patri ἐπώνυμος omnem, quæ in vrbe erat, nobilitatem trucidauerat, ne Scæuolæ quidem pontifici maximo parcens, sed eius sanguine simulacrum Vestæ respergens. Quamobrem Sylla C. Marium exercitu eius fuso deletoque in oppido Preneste obsedit, & vrbem ex inimicorum manibus recepit. Sed hanc pulcerrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo homine vnquam fuit, fœdissime contaminauit. Etenim octo millia deditorum in via publica trucidauit: cumque senatum eius rei atrocitate cõsternatum videret, paucos quosdam seditiosos castigari dixit, nec propterea quenquam animo angi debere. Deinde tabulam proscriptionis proposuit, in qua interfectori hominis proscripti mercedem duorum talentorũ constituit, & pœnam capitalem denunciauit non modo ceteris, sed etiam parentibus & liberis, qui proscriptos recepissent, aut quoquo modo ab interitu seruassent. Denique vrbem & vniuersam Italiam cædibus compleuit. Postea dictator factus, quod nemo vnquam ante ipsum fecerat, cum fascibus viginti quatuor processit, rebusq; nouis Reip. statum confirmauit, ita enim tribunitiam potestatem imminuit, vt omne ius ferendarum legum ei adimeret. Pontificũ vero Augurumq; collegium sic ampliauit, vt essent numero quindecim, & senatum ex equestri ordine suppleuit. Etsi autem ipse vagis libidinibus contaminatus erat: tamen leges honestas de coniugio & de moderatione sumptuum ciuibus tulit, qua ex re prouerbium natum est: *Loqueris vt Cato, viuis vt Sylla.* Multa sunt huius viri crudelia facta odio dignissima & ab omnibus hominibus execranda, sed hoc inprimis, quod Lucretium Asellam, cuius opera Caius Marius iunior in eas angustias redactus fuerat, vt sibi necem conscisceret, consulatum petentem, contra voluntatẽ suam, interfici iussit in foro. Id cum indigne ferret populus Romanus concione vocata, se iussisse dixit. Quis autem nõ iure miretur huius hominis confidentiam, qui tot ciuiũ cruore conspersus dictatura se abdicare & priuatam vitam agere non dubitauit? Ad extremum in phtiriasin incidit

cidit & vi morbi superatus, sine cæde & vulnere, quod paucis tyrannis vsu venit, ad generum Cereris descendit, cui quidem mortuo tantus honos à senatu habitus est, vt in campo Martio sepeliretur. Monumenti inscriptio ab ipso composita hæc fuit. *Nemo amicorum beneficiis me superauit, nec quisquam inimicorum in inferendis iniuriis.*

Cum autem exempla tragica Marij & Syllæ declarēt, quantam pestem perniciemque societati humanæ afferant leuis ambitio & vindictæ effrenis cupiditas. Nostrū est his exemplis lectis atque auditis à Deo petere, vt animos flectat ad veram humilitatem & mansuetudinem, sine quibus non potest conseruari publica tranquillitas & concordia.

IN LIBRVM XXXVIII. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

HVIVS libri tres sunt loci præcipui, I. continet semina belli Mithridatici, II. locus est oratio luculenta, qua Mithridates suos milites hortatur, vt ingenti animo se ducē sequantur, inferentem bellum Romanis. III. Locus huius libri est pictura monstrosi regis Ptolemæi.

DE PTOLEMAEO PHYSCONE.

PTolemæus Phyſcon ſic dictus à ſagina ventris turpiter inflati. Nam φύσκη ſignificat craſſum inteſtinũ, cuius vſus eſt in faciendis farciminibus. Fuit autem hic Phyſcon frater Philometoris, de quo ſupra dixi. Et quanquam in Euſebij Chronico inter Philometorem & Phyſconem inſeritur quidam Euergetes: tamen Strabo lib. 17. teſtatur eundem eſſe Phyſconem, qui ironice nominatus eſt εὐεργέτης. Vicit enim omnes crudelitate & obſcœnitate. Duxit ſororem, quæ antea priori fratri nupta fuerat, & in die nuptiali puerũ filium fratris in complexu matris interfecit. Aliquanto poſt duxit filiam ſuæ cõiugis ex fratre natã repudiata matre. Erat autẽ ei filiolus ex priore coniuge & ſorore natus, hunc interfectũ & diſiectum miſit matri in die natali inter epulas. Nec fuit mitior in ciues: nam Alexandriæ quotidianis cædibus pene vaſtitatem effecit. Quare Romani legatos Alexandriam miſerunt, inter quos fuerunt & Scipio poſterior & Polybius hiſtoricus, vt auctoritate ſenatus imperarent ei, vt iniuſte graſſari in ſuos deſineret, quia ſenatus defenſurus eum non eſſet, nec in regnũ reducturus, ſi propter crudelitatem excuteretur. Ac legati ridicula deformitate regis conſpecta, non ſolum fœdiſſimos ipſius mores, ſed etiam monſtroſam ſpeciem corporis execrati ſunt. Breui poſt ſcelerũ pœnas dedit tyrannus Phyſcon, eiectus regno ab Alexandrinis. Tales hiſtoriæ lectores admoneant non ſolum de Dei iudicio, qui teſtatur ſe atrocia delicta in hac vita manifeſtis ſuppliciis punire, ſed etiam de miſeria cõmuni generis humani, & de Diaboli furore, qui odio Dei & contemptu generis humani tantis flagitiis deformat imagines Dei, & quidem in ſummo loco, in imperiis, vbi excellere virtus dicitur, vt ita horrenda Diaboli ſpectacula vniuerſa rerum natura abominetur. Quare filium Dei oremus, vt opera Diaboli graſſantis cum in toto genere humano, tum vero præcipue in ſummis ordinibus deſtruat, ſicut ſcriptum eſt, filium Dei apparuiſſe, vt deſtruat opera Diaboli.

DE PTOLEMÆO LATHVRO.

PTolemæus Lathurus, ſic enim à Strabone nominatur, opinor ideo, quod exul occulte tentauit reditũ. Nam mater ſeditione mota hunc Ptolemæum Ægypto expulit, & filio minori Alexandro, quem ſibi magis obtemperaturum eſſe ſperabat, regnũ tradidit. Exul autem hæc geſſiſſe ſcribitur: Cum Iudæi viderent ſe nactos eſſe occaſionẽ vicinas vrbes occupandi propter domeſticas diſcordias, cum in Ægypto tum in Syria ortas, bellũ aduerſus vicinos mouerunt. Hi ex Cypro accerſunt Ptolemæum, qui ſperans ſe per eam occaſionẽ in Ægyptum reditturũ eſſe, mediocres copias in Phœnicen adduxit, ac ſtatim in Iudæam irruptionem fecit, cepitq; in Sabbatho quoddã Gallileæ oppidum. Poſtea acerrimo prœlio cum Iudæis ad Iordanẽ conflixit, cumq; magna multitudo Iudæorũ in acie trucidata eſſet, victor Ptolemæus in finib. Iudææ populatus eſt villas, & iuſſit occidi mulieres & infantes, & diſſecta eorũ membra coqui, quibus elixis & aſſatis veſci Iudæos coegit. Tanta immanitas in victoria non habuit diuturnos ſucceſſus. Nã Iudæi à Ptolemæi matre auxilia aduerſus eum petiuerunt, quæ miſit exercitũ eo celerius, vt filiũ ab Ægypto arceret. Cum igitur fruſtra tentaret reditũ Ptolemæus, nec tueri occupatas vrbes in Phœnice poſſet, rurſus fugit in Cyprum. Aliquanto poſt Alexander, qui in Ægypto regnabat, matrẽ interfecit. Pulſo igitur Alexandro, reuocatus eſt in Ægyptũ hic Ptolemæus Lathurus, quem ibi nouæ ſeditionis exceperunt, fortaſſe, quia aliqui fauebãt fratri. Dicitur hic Ptolemæus funditus deleuiſſe maximam & celebratiſſimam vrbem Thebas Ægyptias.

DE PTOLEMAEO AVLETE.

PTolemæus αὐλητὴς, id eſt, tibicen, ſic dictus quia publice in habitu regio tibiis certare cũ artificib. ſolebat, regno pp ignauiã & crudelitatẽ expulſus, venit Romã vbi Pompeius reduci eũ ſuaſit. Et quanquã diu ea de re contentiones extractæ ſunt: tamen per Gabiniũ tandem reductus eſt, qui Archelaum, qui interea regnauerat,

uerat, interfecit. Hic Auletes reliquit filium Ptolemæum Dionysium, qui adolescens Pompeium ex Pharsalica pugna fugientem in Ægyptum, iussit interfici. Postea cum Iulio Cæsari struxisset insidias, interfectus est à Cæsare, qui regnum dedit eius sorori Cleopatræ. Cleopatra ad extremum, cum Augustus venisset in Ægyptum, sibi mortem consciuit. Hæc est series regum Ægypti, in qua non solum hoc deplorandum est, quod posteri nati ex hominibus virtute præstantissimis adeo turpiter degenerant: sed illud etiam, quod Diabolus tam petulanter grassatur in his, qui imperia tenent.

Sed hæ sunt pœnæ idololatriæ, vt ad Rom. 1 scribitur. Nusquam autem plus fuit idolorum, quam in Ægypto & in Syria. In hac commemoratione & hoc obseruandum est, quod Ecclesiam Dei, cuius sedes tunc erat inter duo regna Syriacum & Ægyptium, videmus exiguam esse & duriter affligi, nec humana ope aut humanis præsidiis defendi, sed mirabiliter ab ipso Deo regi & seruari. Hæc imago est vltimæ senectæ mundi, in qua Ecclesia vera Dei iacet oppressa multiplici seruitute & tyrannide.

DE BELLO CIVILI INTER POMPEIVM ET Cæsarem.

CVM Cæsar prouinciam Galliam à se deuictam atque subactam ad imperium Romanum adiunxisset, petiuit absens consulatum, non tantum, vt honos rebus à se gestis in Gallia haberetur, sed multo magis, vt hoc præsidio aduersus inimicorum iniurias munitus esset. Erant enim non parum multi, quos gloria rerum gestarum Cæsaris vrebat, quique in perniciem Cæsaris omnia parabant atque meditabantur. Etsi autem tribunorũ intercessione & Pompeij consensu perfectum erat, vt sequentis anni consulatus Cæsari decerneretur: tamen cum tempus comitiorum instaret, Cato, Lentulus, Scipio & quidam alij, qui veteres inimicitias cum Cæsare

Cęſare gerebant, adeo ſenatum inprimiſq; Pompeium, qui neminem dignitate ſecum exæquari volebat, aduerſus Cæſarem incitarunt, vt & conſulatum ei eriperent & decurrerent ad illud extremum atque vltimum ſenatusconſultum, ad quod niſi pene in ipſo vrbis incẽdio, atq; in deſperatione omnium rerum nunquam ante diſceſſum eſt: Dent operam conſules populi R. tribuni plebis, quique conſules ſunt ad vrbem, ne quid Reſpubl. detrimenti capiat. Hoc ſenatusconſulto facto, quanquam nulli erat dubium, quin arma contra Cæſarem pararentur, tamen Cæſar omnia eſſe patienda ſtatuit, quoad ſibi ſpes aliqua relinqueretur, iure potius diſceptandi quã belli gerendi. Poſtquam vero fruſtra de compoſitione agi, & rem ad arma deduci, totaque Italia delectus haberi, animaduertit, iam de bello gerendo ſibi cogitandum eſſe iudicauit. Itaque vt ſe à contumeliis inimicorum defenderet, vt tribunos plebis ex ciuitate expulſos ad ſuam dignitatem reſtitueret, vt ſe & populum Romanum paucorum factione oppreſſum in libertatem vindicaret, ex hybernis copias educit, nec vllum officium boni imperatoris prætermittit. Quibus rebus Romam nuntiatis, tantus repente terror nobilitatem inuaſit, vt Lentulus conſul eiuſq; collega Marcellus & plæriq; magiſtratus Pompeium in Græciam fugientem ſequerentur.

Cæſar etſi ad ſpem conficiendi negotij maxime probabat coactis nauibus mare tranſire & Pompeium ſequi, tamen propter multa ac varia impedimenta in præſentia Pompeij inſequendi rationem omittit, & in Hiſpaniam proficiſci conſtituit, quæ erat maximis beneficiis Pompeij deuincta. Rebus in Hiſpania confectis ad vrbem properat, quia ſe dictatorem dictum à M. Lepido prætore cognorat. Dictatore habente comitia Cæſare, conſules creantur Iulius Cæſar & P. Seruilius. Is enim erat annus, quo per leges ei conſulem fieri licebat. Perfectis comitiis & feriis Latinis, quibus vndecim dies tribuit, dictatura ſe abdicat & ab vrbe proficiſcitur, Brũduſiumq; peruenit, inde naue ſoluens impoſitis legionibus ſeptem, poſtridie terram Græcorum attingit. Cum autem ſciret boni imperatoris eſſe, Omnia ptius con-

ſilio

silio quam armis experiri. L. Vibullium Rufum cum mādatis ad Pompeium mittit, quorum erat hæc summa: Debere vtrumque pertinaciæ finem facere & ab armis discedere, neque amplius fortunam periclitari: satis esse magna vtrinque incommoda accepta, quæ pro disciplina haberē possent, vt reliquos casus timerent. Proinde sibi ac Reipup. parcerent, cum quantum in bello fortuna posset, ipsi incommodis suis satis essent documento: Hoc vnum esse tempus de pace agendi, dum sibi vterque confideret & pares ambo viderentur, si vero alteri paulum modo tribuisset fortuna, non esse vsurum conditionibus pacis, qui superior videretur, neque fore æqua parte contentum, qui se omnia habiturum confideret. Conditiones, quoniam antea conuenire nō potuissent, Romæ à senatu & à populo peti debere. Interea & Reipubl. & ipsis placere oportere, si vterq; in concione statim iurauisset: se triduo proximo exercitū dimissurum, ac depositis armis auxiliisq;, quibus nunc confiderent, necessario populi senatusque iudicio fore vtrumque contentum.

Superba vox Pompeii. Hæc cum Vibullius agere instituisset, eum ingressum in sermonē Pompeius interpellauit, & loqui plura prohibuit. Quid mihi, inquit, aut vita aut ciuitate opus est, quam beneficio Cæsaris habere videbor, cuius rei opinio tolli non poterit, nisi cum in Italiam, ex qua profectus sum, reductus existimabor bello perfecto. Labienus vero vt homo stolidus Vibullio respondit: Desine de compositione loqui, nam nobis nisi Cæsaris capite relato pax esse nulla potest.

Vt autem prœlia ad Dyrrachium facta omittam, in pugna certe Pharsalica, veterani milites Cæsaris vsu periti, ac superioribus pugnis exercitati, infestis signis tanta vi in Pompeij equites impetum fecerūt, vt eorum nemo consisteret, omnesq; conuersi, non solum loco excederent, sed protinus incitati fuga, montes altissimos peterent, quibus summotis, omnes sagittarij funditoresq; destituti inermes sine præsidio interfecti sunt. In eo prælio non amplius ducentos milites Cæsar desiderauit, sed centuriones fortes viros circiter triginta amisit. Ex Pompeiano exercitu circiter millia quindecim cecidisse dicuntur.

cuntur. Sed in deditionem venerunt amplius millia viginti quatuor. Pompeius ex acie fugiens Pelusium peruenir. Ibi casu rex erat Ptolemæus puer ætate copiis cum sorore Cleopatra gerens bellum, quam paucis ante mẽsibus propter suos propinquos atq; amicos regno expulerat, castraque Cleopatræ non longo spacio ab eius castris distabant. Ad eum Pompeius misit, vt pro hospitio atque amicitia patris, Alexandria reciperetur, atq; illius opibus in calamitate tegeretur. Sed qui ab eo missi erãt, confecto legationis officio liberius cum militibus regis colloqui cœperunt, eosque hortari sunt, ut suum officium Pompeio præstarent, neue eius fortunam despicerent. In hoc erant numero complures Pompeij milites, quos ex eius exercitu acceptos in Syria Gabinius Alexandrinam traduxerat, belloque confecto apud Ptolemæum patrem pueri reliquerat. His tunc cognitis rebus amici regis, qui propter ætatẽ in eius procuratione erãt regni siue timore adducti, vt postea prædicabant, ne solicitato exercitu regio Pompeius Alexandriam Ægyptumq; occuparet, siue despecta eius fortuna, vt plerũque in calamitate ex amicis inimici existunt, iis qui erãt ab eo missi palam liberaliter responderunt, eumq; ad regem venire iusserunt, ipsi clam consilio inito Achillam præfectũ regium singulari hominem audacia & L. Septimium tribunũ militum ad interficiendum Pompeiũ miserunt. Ab his liberaliter ipse appellatus & quadã notitia Septimij productus, quod bello prædonum apud eũ ordinem duxerat, nauiculam paruulam cõscẽdit cum paucis suis, & ibi ab Achilla & Septimio interficitur. Sed de Pompeij miserabiliii interitu supra pluribus verbis dixi.

Plato. *Amicus est animal natura mutabile.*

Quas autem res Cæsar post interfectum Pompeium gesserit in Ægypto, Africa & Hispania, dum reliquias belli persequitur, & qua ratione à coniuratis in senatu confossus sit, ex Plutarcho, qui volet cognoscat. Neque enim commemoratio singulorum euentuum, quæ infinitum opus desiderat, in hoc commentario nobis proposita est, sed hoc tantum agimus, vt de præcipuis historiis iuniores commonefiant.

DE BELLO INTER AVGVSTVM ET ANTONIUM.

POst interfectum Iulium Cæsarem Octauius à senatu & Populo Rom. cum annos 18. natus esset, imperator Augustus appellatus est, annno 42. ante Christum natum. Is Antonio Triumuiro, imperij Romani florentissimam partem ab Euphrate & Armenia ad mare Ionium attribuit. Quam quidem ille tenere poterat securus non impediente Octauio, sed dum extra metas sui muneris prouehitur, ac solus vniuersum imperium concupiscit, bellum non necessarium Octauio infert, in quo victus cum supplex ab irato vitam impetrare non posset, ipse sibi mortem consciscit. De hoc bello non necessaria causa moto, pauca ex Plutarcho repetam, vt discant iuniores, quam necessaria diligentia sit, videre metas officij, nec extra has vagari, nec appetere maiora. Multa prodigia sub initium huius belli conspecta sunt, quæ non obscure Antonio exitium denunciabant. Pisaurus vrbs non longe ab Hadria, in quam Antonius colonos deduxerat, hiatu terræ absorpta est. Albæ statua quædam Antonij lapidea multos dies sudauit, & cum à quibusdam desiccaretur, non destitit sudorem emittere. In naui Cleopatræ, quæ Antonias dicebatur, cum sub puppi hirundines nidificassent, superuenientes aliæ prioribus per vim expulsis nidos destruxerunt. His prodigiis posthabitis Antonius tota mente atque omni animo ad bellum inferendum Octauio conuersus, naues non pauciores quingētis instruit, in quibus octiremes & decemremes erant permultæ His imponi iussit militum millia centum, equitum millia duodecim. Octauius vt se & imperium aduersus πολυπραγμοσύνη Antonij defenderet, peditum octoginta millia, equitum decem millia armat. Cum igitur vtraque classis ad Actium staret promontorium Epiri, Augustus nauali prœlio Antonium & Cleopatram vicit, ac paulo post bellis ciuilibus finem imposuit. Nam Marcus Antonius victus Alexandriam fugit, obsessusque ab Octauio in vltima rerum despera-

tione

tione mortem sibi consciuit. Octauius Antonij morte cognita in tentorium secedens deplorauit interitum & affinis & collegæ, & multarum rerum bellorumq; socij. Cleopatra, ne in potestatem victoris veniret, veneno sibi vitam eripuit. Etsi autem in Alexandrinos iure belli victor sæuire poterat: tamen prostratis more supplicum pepercit, primum propter conditorem Alexandrũ Magnum: deinde propter vrbis amplitudinem: postremo propter Arium Philosophum, quem præcipuo amore complectebatur. In vrbem reuersus tres triumphos egit, vnum ex Illyrico: alterum ex Actiaca victoria: tertium ex Cleopatra.

IN LIBRVM XXXIX. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

ANtiocho) scilicet Sedete.
Demetrius) id est, Iunior.

CHRONOLOGIA TERTIAE MOnarchiæ vsque ad Christum natum.

OLympiade centesima decima, hoc est, anno mundi 3628. & annis ante Christum natum. 334. Alexander M. Philippo patri successit.

Anni Alexandri.

1 Thebæ Bœotiæ ab Alexandro M. funditus deletæ, 20. Augusti.
2 Expeditio Alexandri in Asiam & prœlium cum satrapis Darij ad Granicum Phrygiæ flumen.

3 Pugna cum Dario ad Issum Ciliciæ.
4 Obsidio Tyri.
5 Ædificatio Alexandriæ in Ægypto & peregrinatio ad Iouem Hammonem.
6 Prœlium ad Arbela, 26. Augusti, & translatio Monarchiæ à Persis ad Græcos. Babylon capta, & direpta Persepolis.
7 Parmenio pater & Philotas filius ab Alexandro interfecti.
8 Pœna proditoris Bessi. Clytus ab Alex. interfectus.
9 Expeditio aduersus Indos.
10 Mors Hephæstionis.
11 Prædictio Chaldæorum de morte Alexandri.
12 Mors Alexandri 28. Iunij anno ætatis 32. anno regni 12. ante Christum natum 323.

De successoribus Alexandri.

POst mortem Alexandri Cassander Macedoniam occupauit, Asiam Antigonus, Ptolemæus Ægyptum, Seleucus Syriam. Cum autem regnum Ptolemæorum in Ægypto vsq; ad Augustum durauerit, recensebo annos regni Ægyptiaci & cum iis conferam aliorum regnorum insignes mutationes, vsque ad fatales periodos. Quorsum enim attinet nudis numeris multas paginas complere. Vbi autem ad primum bellum Punicũ, quod Romani cum Carthaginensibus gesserunt, ipsa temporum series & continuatio nos deduxerit, incipiam res Rom. cum Græcis conferre.

I. *PTOLEMAEVS LAGI FILIVS primus Rex Aegypti, cœpit regnare centesima decimaquarta Olympiade, anno mundi 3640.*

1
2
3 Perdiccas primus auctor seditionis inter commilitones Alexandri, pœnas dedit, interfectus à suis equitibus anno 3. post Alexandri mortem.
4
5
6 Agatholicis initium.

7 Cas-

7 Caſſander Antipatri filius interfecit Olympiadē Alexandri matrem, vxores duas Roxanen & Barſinen: item duos filios Alex. & Herculem.
8
9
10
11 Demetrius Antigoni filius à Ptolemæo ad Tyrum acie victus eſt.
12
13 Demetrius Ptolemæi exercitū ſubito oppreſſum vna cum duce incolumem Ptolemæo remiſit.
14 Initium annorum, quibus vtuntur libri Machabæorū & Ioſephus, quoties numerant annos regni Græcorum. Hoc enim anno Seleucus Nicanor Syriam occupauit.
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24 Dimicatio de ſumma rei non procul ab Epheſo, in qua Antigonus interfectus eſt.
25 Demetrius filius Antigoni fugit Athenas.
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38.
39.

40 Mors Ptolemæi Lagi, Olympiade 124. teste Polybio lib. 2. hoc est, post Alexandri mortem quadraginta annis, qua Olympiade & Lysimachus & Seleucus & Ceraunus perierunt.

Σύγχρονοι Ptolemæi Lagi.

Menander.
Theophrastus.
Demetrius Phaleræus.

II. *Ptolemeus Philadelphus tenuit regnum annos 36. anno mundi 3680.*

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12 Mors Pyrrhi.
13
14
15 Libri Moysis & aliorum prophetarũ in linguam Græcam conuersi opera septuaginta interpretum, quos Philadelphus ex Iudæa accersiuit, teste Epiphanio in libello de mensuris & ponderibus.
16
17
18
19
20
21 Initium primi belli Punici, Olympiade 129. anno vrbis 489.
22
23

24
25.
26.
27.
28. Marcus Attilius Regulus captus à Carthaginensibus.
29.
30.
31.
32.
33.
34.
35. Marcus Regulus data fide Romam missus & non impetrata captiuorum commutatione Carthaginem reuersus est & nouo supplicij genere excruciatus.
36. Mors Philadelphi.

Σύγχρονοι Philadelphi.

1. Theocritus.
2. Callimachus.
3. Apollonius auctor carminis Argonautici.
4. Aratus qui scripsit φαινόμενα.
5. Erasistratus Medicus.

Ptolemaus Euergetes, annis 26. Olympiade 133. anno mundi 3716. III.

1.
2.
3.
4.
5.
6. Res gestæ Arati Sicyonij.
7.
8. Luctatius consul finem primo bello Punico imposuit, quod durauit annos. 24.
9.
10.
11.
12.

11
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26 Olympiade 119. obierunt tres reges Ptolemæus Euergetes, Seleucus Callinici filius, & Antigonus Philippi posterioris regis Macedoniæ.

IIII. *Ptolemæus Philopator annos 17. anno mundi 3724.*

1
2
3
4
5 Pugna Antiochi Magni & Philopatoris ad Raphiã.

Anni belli Punici secundi.

6 Initium secundi belli Punici. Saguntum expugnatur. Clades Romanorum ad Trebiam.
7 Clades Romanorum ad Thrasymenum. 2
8 Clades Cannensis. 3
9 4
10 Marcellus ab oppugnatione Syracusarum machinis Archimedis depellitur. 5
11 6
12 Syracusæ à Marcello captæ. 7
13 Annibalis castra ad vrbem. Capua recepta à Fuluio. 8
14 Noua Carthago à Scipione capta. 9
15 Tarentum receptum. 10
16 Marcelli interitus. 11
17 Asdrubal vna cum exercitu ad Senam deletus. 12

Σύγχρο-

Σύγχρονοι Philopatoris.

1 Annibal.
2 Fabius Maximus.
3 Marcellus.
4 Scipio.
5 Archimedes.
6 Eratosthenes Philosophus.

Ptolemaeus Epiphanes, annis 24. anno mundi 3759.

1 Scipionis fœdus cum Syphace & Masanissa. 13
2 Scipioni prouincia Africa decreta. 14
3 Scipionis expeditio in Africam 15
4 Discessus Annibalis ex Italia. 16
5 Finis secundi belli Punici, quod durauit annos 16. 17
6
7
8
9 Scopas dux Ægyptius ad Iordanem ab Antiocho M. victus.
10
11
12
13
14
15
16
17 Antiochus M. victus à Scipione cessit Romanis tota Asia citra Taurum montem.
18 Antiochus M. spoliaturus templum quoddam insidiis à suis interfectus est.
19
20
21
22
23
24 Hic annus insignis est morte trium clarissimorum suæ cuiusq; gentis ducum, Scipionis, Annibalis, & Philopœmenis.

Σύγχρονοι Ptolemai Philopatoris.

Næuius.
Plautus.
Ennius.

VI. *Ptolemaus Philometor annis 35. anno mundi 3783.*

1
2
3
4
5
6
7 Initium Antiochi Epiphanis. De hoc Daniel. c.12.
8
9
10
11
12 Antiochi Epiphanis prima expeditio in Ægyptum, inde rediens spoliauit templum Hierosolymitanum.
13
14 Altera expeditio Antiochi Epiphanis in Ægyptum. Sed à Popilio Legato Romano Ægypto excedere iussus rediit Ierosolymam, atque ibi templum profanauit, statua Iouis Olympij in eo collocata, vt testatur primus liber Machab. cap. 1.

Finis regni Macedonici

15 Perseus vltimus rex Macedonum à Lucio Æmilio Paulo victus, cum stetisset regnum Macedonicum à morte Alexandri annos 150.
16
17
18 Mors crudelissimi tyranni Antiochi Epiphanis anno regni 12. Templum à Machabæis repurgatum ante Christum natum 162. annis.
19
20
21

22
23
24
25
26
27
28
29
30
31 Initium tertij belli Punici, anno vrbis altero & sexcentesimo.
32
33
34
35 Carthago à Scipione posteriore: Conrinthus à L.Mumio deletur.

Σύγχρονοι Philometoris.

Cato.
Scipio posterior.
Terentius.

Ptolemaus Physcon annis 27.anno mundi 3818.anno vrbis 607. VII.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14 Numantia deleta à Scipione posteriore, 14. anno post Carthaginem deletam.
15

16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29

VIII. *Ptolemæus Lathurus annis 35. anno mundi 3847. anno urbis 636.*

1
2
3
4
5
6
7
8 Bellum Iugurthinum.
9
10
11
12
13 M. Tullius Cicero natus, anno vrbis 648. ante
14 Christum natum 103.
15 Clades Romanorum à Cimbris accepta anno vrbis 650.
16 Bellum Cimbricum à Mario confectum.
17
18 Ptolemæus Lathurus à matre Cleopatra Ægypto expulsus.
19
20
21
22

23
24
25
26
27
28 Ptolemæus Lathurus à subditis in regnum reuocatus.
29
30
31 Bellum Marij & Syllæ anno vrbis *666.*
32
33 Marius post cædem omnium crudelissimã moritur 17. Ianuarij.
34
35

Ptolemæus Auletes annis 30. anno mundi 3882. anno vrbis 671. IX.

1
2 Tigranes Parthorum rex Syriæ regnum occupauit: quod tenuit annos 18.
3 Syllæ tyrannis.
4
5
6 Syllæ mors.
7
8
9
10
11
12
13 Lucullus vincit Tigranem.
14 Vergilius natus.
15
16
17 Pompeius contra Mithridatem imperator designatus.
18
19 Tigranes à Pompeio victus. Syria in formam prouinciæ redacta. *Finis regni Syriaci.*

20
Initium seruitutis Iudaicæ.
21 Ierosolyma à Pompeio capta anno vrbis 691. hoc est, anno 60. ante natum Christum.
22
23
24
25
26 Ciceronis exilium. Bellum Gallicum quod Cæsar gessit.
27 Ciceronis reditus.
28 Auletes à Gabinio reductus in regnum.
29
30 Crassus à Parthis interfectus, anno ante Christum natum 51.

Cleopatra, annis 22. anno mundi 3912. anno vrbis 701.

1
2
3
4
5 Bellum Cæsaris & Pompeij.
6
7 Pompeius in Ægypto interfectus.
8
9
10 Caius Iulius Cæsar in senatu viginti tribus vulneribus confossus.
11 Caius Cæsar Octauius à senatu & populo Romano imperator Augustus appellatus anno 42. ante natum Christum. 1

Anni Augusti Imperatoris.

12 Mors Ciceronis. 2
13 3
14 4
15 5
16 6
17 7
18 Initium regni Herodis. 8
19 9
20

20 10
21 11
22 Victis Antonio & Cleopatra apud Actium Ægyptus in prouinciæ formam redacta est. 12 *Finis regni Aegypti.*

Augustus Imperator post Antonij mortem.

13
14
15
16
17
18
19
20 Tota Hispania à Cæsare subacta.
21
22
23
24
25
26
27
28 Maria Saluatoris mater teste Hieronymo.
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42 Iesus Christus Saluator noster natus ex virgine anno mundi 3962. anno regni Augusti 42.

Finis χρονολογίας.

IN LIBRVM XXXIX. & XL. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

Quas sexus ipse & periculis bellorum.)

Virg. lib 2. Æneid.

——*Nullum memorabile nomen*
Feminea in pœna est, nec habet victoria laudem.

Plutarchus:

Πᾶν δειλὸν φονικόν, id est, omne timidum est naturâ propensum ad faciendam cædem.

Ad externa.)

Lib. XL. QVandocunq; accersuntur externa auxilia, instar fatalis periodus alicuius regni, vel Reipublicæ. Exemplo fuerunt ante annos centum plus minus reges Cõstantinopolitani, qui attraxerunt Turcas, quia & ipsi diffidebant. Ibi cum Turci prompte tulissent auxilium eis, non potuerunt iterũ eiici ex Thracia & Græcia, & ita paulatim eas oras occuparunt. Quemadmodũ idem fabula cum erynaceo & lepusculo testatur. Cum enim hyberno tempore veniret erynaceus ad lepusculum, rogans, vt se hospitio exciperet, inquit lepusculus, reciperem quidẽ te nisi meruerem tuos aculeos, alias te leuarem a frigore. Ibi inquit erynaceus: Ego possum eos contrahere, & extendere contra hostes. Cui respondet lepusculus: Introito igitur: cumq; intrasset, erynaceus iterum acculeos suos extẽdit. Sed cum quereretur de iniuria lepusculus, tunc respondet Erynaceus: Cui non placet mos meus, exeat.

IN

IN LIBRVM XLI. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

Procurrentibus equis.)

ID est, eminus. Duplex est pugna: alia stataria, alia motoria. Stataria in qua miles in eodem vestigio subsistit, nec loco mouetur, qualis veterum Germanorum pugna fuit. Motoria, quæ est illa tergiuersatio & vicissitudo pugnæ ac fugæ, &c. **Duplex pugna.**

Sepultura vulgo.)

PRopter tres causas mortui honeste sunt sepeliendi. I. Propter imaginem Dei, II. Quia sunt domicilia non modo animæ sed etiam S. sancti. III. Quia certa est spes resurrectionis.

GENEALOGIA IASONIS.

Enarea.

1	Salmoneus.	1	Creteus.
2	Tyro.	2.	Æson.
3	Pelias	3	Iason.

IN

IN LIBRVM XLII. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

Et posthac.)

PLVTARCHVS in vita Crassi: Crassus locupletissimus Romanorum princeps intulit bellum Parthis vna cum filio, tantum fiducia suarum opum & quadam auaritia, qua inhiabat eorum bonis. Sed propter multas causas præsertim propter profanationem templi Iudaici vna cum multis ciuibus Romanis est interfectus. De his lege Plutarchum in vita Crassi.

REGES LATINORVM XV.

		Regnauit annos.
1	Æneas	3
2	Ascanius	34
3	Syluius	29
4	Æneas Syluius	31
5	Latinus Syluius	50
6	Alba Syluius	39
7	Athis Sylvis	24
8	Capys Syluius	28
9	Calpetus Syluius	13
10	Tiberinus Syluius	8
11	Agrippa Syluius	40
12	Alladius Syluius	19
13	Auentinus Syluius	37
14	Procas Syluius	23
15	Amulius Syluius frater Numitoris	44

RE-

REGES ROMANORVM.

1	*Romulus*	Regnauit annos,	37
2	*Numa*		43
3	*Tullus Hostilius*		32
4	*Arcus Martius*		24
5	*Tarquinius Priscus*		38
6	*Seruius Tullus.*		44
7	*L. Tarquinius Superbus.*		25

Huius filius stuprauit Lucretiam.

IN LIBRVM XLIII. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

Vt Saturnalibus.)

SATVRNALIA celebrata Romæ 14. Calend. Ianuarij, id est 19. Decembris. Macrobius lib. 1. Saturnaliorum cap. 10.

Troia à Græcis expugnata.)

Annis ante vrbem conditam 432. die 24. April. ante Christum natum 1183. Plutarchus in Camillo.

Seneca: Calamitas virtutis occasio,

Statimq; bello exceptus.)

LIVIVS: Sapientis Reipub. est in pace cogitare de bello. Hoc multo verius ad Ecclesiam accommodari potest, quę etiamsi habeat aliqua halcyonia: tamen semper futuras commentetur miserias, quod si secus euenit, id habendum est pro lucro, vt inquit Poëta.

IN LIBRUM XLIV. ET POSTREMUM HISTORIARUM IUSTINI.

Commentarius Victorini Strigelij.

Hiſpania, ſicuti Europa terminos.)

HISPANIA omnis olim diuiſa eſt in vlteriorem & citeriorẽ. Citerior appellata eſt Tarraconenſis, hebraica appellatione vt aliqui volũt, à boum poſſeſſione (Dor Chaldaice bos, Cana, id eſt, poſſedit. Hinc Cain nomen habet.)

Vlterior in duas prouincias diuiſa eſt, quarum vna eſt Bætica, ſic dicta à fluuio Bæto: Altera Luſitania à Luſo ſocio Bachi, vt narrat Plinius. Ea prouincia hodie Portugallia appellatur, quaſi portus Gallorum.

Hæc vetus partitio Hiſpaniæ, in Bæticam, Luſitaniam, & Tarraconẽſem, digna eſt conſideratione propter veterum lectionem, à quibus ſepenumero vſurpantur hæ prouinciarum Hiſpaniæ appellationes.

EPI-

EPILOGVS COMmentationum in Iustinum.

QVEMADMODVM musici quædam carmina sic modulantur, vt finis cum principio congruat: ita nos in Epilogo commentationum in Epitomen Iustini pauca admodum repetemus ex ijs, quæ in vestibulo tradita sunt.

Primum igitur Deo gratiæ agēdæ sunt, quod continuam historiam de ecclesia & de imperijs scribi voluit, eamq; inter tot mutationes rerum humanarum conseruauit. Nam euentus ecclesiæ & imperiorum à condito mundo vsque ad Monarchiam Persicā à Moyse & reliquis Prophetis optima fide in literas relati sunt. Deinde Herodotus, Thucydides & Xenophon res Persicas illustrarunt. Res verò Græcas & Romanas Diodorus Siculus, Polybius, Liuius & multi alij memoriæ prodiderunt. Hoc ingens beneficium agnoscamus ac grati prędicemus, ac semper cum reliquis doctrinæ studijs lectionem historiarum coniungamus, qua post habita necesse est homines in summo errore atq; in maximarum rerum ignoratione versari. Nam homines destituti cognitione historiarum, non cogitant fuisse aliquod mundi initium, sed infinitam æternitatem generis humani imaginantur. Ignorant etiam, quæ prior, quæ posterior doctrina

 fuerit,

fuerit, & quibus testimonijs se DEVS patefecerit; quando instet resurrectio & finis harum miseriarum ecclesiæ. Hæ tātæ res prorsus ignotæ essent, nisi ordinem annorum mundi & Monarchiarum seriem consideraremus. Non est igitur obscurum, quam necessaria sit historiæ cognitio.

Deinde Vtilitates huius lectionis omnibus in conspectu sint. Primùm enim collatio euētuum, qui recitantur in historijs Ethnicis, cum prædictionibus nostrorum vatum; valde confirmat animos, ne dubitent de certitudine doctrinæ à Deo per Prophetas traditæ. Cum enim eventus accuratè respondeant vaticinijs Propheticis, non dubium est & reliquam doctrinā horum vatum divinam esse. Accedit illa quoque vtilitas, quod historiæ formāt iudicium de maximis rebus. Huius vtilitatis testes sunt Demosthenes & Scipio, quorum ille Thucydidē octies descripsit; hic Xenophontem nunquam de manu deposuit. Maximè vero perspicuam vtilitatem moribus afferunt, quia virtutum & vitiorum illustria exempla proponunt; & commemorationem horribilium pœnarum, quæ sceleratos oppresserunt, vt nos ad iustitiam flectant. Quid dicam de orationibus, in quorum scriptis historiæ velut gemmæ insignes eminēt. Hęc cùm ita sint, non tantum legantur historiæ, sed etiam ad vsum accommodentur in magnis rebus iudicandis, in regendis moribus, denique in exercitio styli.

INDEX

INDEX RERVM IN HOC COMMENTARIO memorabilium.

13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26 Olympiade 119. obierunt tres reges Ptolemæus Euergetes, Seleucus Callinici filius, & Antigonus Philippi posterioris regis Macedoniæ.

IIII. *Ptolemæus Philopator annos 17. anno mundi 3724.*

1
2
3
4
5 Pugna Antiochi Magni & Philopatoris ad Raphiā.
Anni belli Punici secundi.
6 Initium secundi belli Punici. Saguntum expugnatur. Clades Romanorum ad Trebiam.
7 Clades Romanorum ad Thrasymenum. 2
8 Clades Cannensis. 3
9 4
10 Marcellus ab oppugnatione Syracusarum machinis Archimedis depellitur. 5
11 6
12 Syracusæ à Marcello captæ. 7
13 Annibalis castra ad vrbem. Capua recepta à Fuluio. 8
14 Noua Carthago à Scipione capta. 9
15 Tarentum receptum. 10
16 Marcelli interitus. 11
17 Asdrubal vna cum exercitu ad Senam deletus. 12

Σύγχρο-

Σύγχρονοι *Philopatoris*.

1 Annibal.
2 Fabius Maximus.
3 Marcellus.
4 Scipio.
5 Archimedes.
6 Eratosthenes Philosophus.

Ptolemaeus Epiphanes, annis 24. anno mundi 3759.

1 Scipionis fœdus cum Syphace & Masanissa. 13
2 Scipioni prouincia Africa decreta. 14
3 Scipionis expeditio in Africam 15
4 Discessus Annibalis ex Italia. 16
5 Finis secundi belli Punici, quod durauit annos 16. 17
6
7
8
9 Scopas dux Ægyptius ad Iordanem ab Antiocho M. victus.
10
11
12
13
14
15
16
17 Antiochus M. victus à Scipione cessit Romanis tota Asia citra Taurum montem.
18 Antiochus M. spoliaturus templum quoddam insidiis à suis interfectus est.
19
20
21
22
23
24 Hic annus insignis est morte trium clarissimorum suæ cuiusq; gentis ducum, Scipionis, Annibalis, & Philopœmenis.

Σύγχρονοι Ptolemæi Philopatoris.

Næuius.
Plautus.
Ennius.

VI. *Ptolemæus Philometor annis 35. anno mundi 3783.*

1
2
3
4
5
6
7 Initium Antiochi Epiphanis. De hoc Daniel. c. 12.
8
9
10
11
12 Antiochi Epiphanis prima expeditio in Ægyptum, inde rediens spoliauit templum Hierosolymitanum.
13
14 Altera expeditio Antiochi Epiphanis in Ægyptum. Sed à Popilio Legato Romano Ægypto excedere iussus rediit Ierosolymam, atque ibi templum profanauit, statua Iouis Olympij in eo collocata, vt testatur primus liber Machab. cap. 1.

Finis regni Macedonici

15 Perseus vltimus rex Macedonum à Lucio Æmilio Paulo victus, cum stetisset regnum Macedonicum à morte Alexandri annos 150.
16
17
18 Mors crudelissimi tyranni Antiochi Epiphanis anno regni 12. Templum à Machabæis repurgatum ante Christum natum 162. annis.
19
20
21
22

22
23
24
25
26
27
28
29
30
31 Initium tertij belli Punici, anno vrbis altero & sexcentesimo.
32
33
34
35 Carthago à Scipione posteriore: Corinthus à L. Mumio deletur.

Σύγχρονοι *Philometoris.*

Cato.
Scipio posterior.
Terentius.

Ptolemaeus Physcon annis 27. anno mundi 3818. anno vrbis 607. VII.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14 Numantia deleta à Scipione posteriore, 14. anno post Carthaginem deletam.
15

16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29

VIII. *Ptolemæus Lathurus annis 35. anno mundi 3847. anno vrbis 636.*

1
2
3
4
5
6
7
8 Bellum Iugurthinum.
9
10
11
12
13 M. Tullius Cicero natus, anno vrbis 648. ante Christum natum 103.
14
15 Clades Romanorum à Cimbris accepta anno vrbis 650.
16 Bellum Cimbricum à Mario confectum.
17
18 Ptolemæus Lathurus à matre Cleopatra Ægypto expulsus.
19
20
21
22

23
24
25
26
27
28 Ptolemæus Lathurus à subditis in regnum reuocatus.
29
30
31 Bellum Marij & Syllæ anno vrbis *666.*
32
33 Marius post cædem omnium crudelissimã moritur 17. Ianuarij.
34
35

Ptolemæus Auletes annis 30. anno mundi 3882. anno vrbis 671. IX.

1
2 Tigranes Parthorum rex Syriæ regnum occupauit: quod tenuit annos 18.
3 Syllæ tyrannis.
4
5
6 Syllæ mors.
7
8
9
10
11
12
13 Lucullus vincit Tigranem.
14 Vergilius natus.
15
16
17 Pompeius contra Mithridatem imperator designatus.
18
19 Tigranes à Pompeio victus. Syria in formam prouinciæ redacta. *Finis regni Syriaci.*

20
21 Ierosolyma à Pompeio capta anno vrbis 691. hoc est, anno 60. ante natum Christum. — *Initium seruitutis Iudaicæ.*
22
23
24
25
26 Ciceronis exilium. Bellum Gallicum quod Cæsar gessit.
27 Ciceronis reditus.
28 Auletes à Gabinio reductus in regnum.
29
30 Crassus à Parthis interfectus, anno ante Christum natum 51.

Cleopatra, annis 22. anno mundi 3912. anno vrbis 701.

1
2
3
4
5 Bellum Cæsaris & Pompeij.
6
7 Pompeius in Ægypto interfectus.
8
9
10 Caius Iulius Cæsar in senatu viginti tribus vulneribus confossus.
11 Caius Cæsar Octauius à senatu & populo Romano imperator Augustus appellatus anno 42. ante natum Christum. 1 — *Anni Augusti Imperatoris.*
12 Mors Ciceronis. 2
13 3
14 4
15 5
16 6
17 7
18 Initium regni Herodis. 8
19 9
20

20 10
21 11
22 Victis Antonio & Cleopatra apud Actium Æ- *Finis regni*
gyptus in prouinciæ formam redacta est. 12 *Aegypti.*

Augustus Imperator post Antonij mortem.

13
14
15
16
17
18
19
20 Tota Hispania à Cæsare subacta.
21
22
23
24
25
26
27
28 Maria Saluatoris mater teste Hieronymo.
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42 Iesus Christus Saluator noster natus ex virgine
anno mundi 3962. anno regni Augusti 42.

Finis χρονολογίας.

IN LIBRUM XXXIX. & XL. HISTORIARUM IUSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

Quas sexus ipse & periculis bellorum.)

Virg. lib 2. Æneid.

——*Nullum memorabile nomen*
Feminea in pœna est, nec habet victoria laudem.

Plutarchus:

Πᾶν δειλὸν φονικὸν, id est, omne timidum est naturâ propensum ad faciendam cædem.

Ad externa.)

Lib. XL. QVandocunq; accersuntur externa auxilia, instar fatalis periodus alicuius regni, vel Reipublicæ. Exemplo fuerunt ante annos centum plus minus reges Cõstantinopolitani, qui attraxerunt Turcas, quia & ipsi diffidebant. Ibi cum Turci prompte tulissent auxilium eis, non potuerunt iterũ eiici ex Thracia & Græcia, & ita paulatim eas oras occuparunt. Quemadmodũ idem fabula cum erynaceo & lepusculo restatur. Cum enim hyberno tempore veniret erynaceus ad lepusculum, rogans, ut se hospitio exciperet, inquit lepusculus, reciperem quidẽ te nisi metuerem tuos aculeos, alias te leuarem a frigore. Ibi inquit erynaceus: Ego possum eos contrahere, & extendere contra hostes. Cui respondet lepusculus: Introito igitur: cumq; intrasset, erynaceus iterum acculeos suos extẽdit. Sed cum quereretur de iniuria lepusculus, tunc respondet Erynaceus: Cui non placet mos meus, exeat.

IN

IN LIBRVM XLI. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

Procurrentibus equis.)

IDest, eminus. Duplex est pugna: alia statatia, alia motoria. Statatia in qua miles in eodem vestigio subsistit, nec loco mouetur, qualis veterum Germanorum pugna fuit. Motoria, quæ est illa tergiuersatio & vicissitudo pugnæ ac fugæ, &c. *Duplex pugna.*

Sepultura vulgo.)

PRopter tres causas mortui honeste sunt sepeliendi. I. Propter imaginem Dei, II. Quia sunt domicilia non modo animæ sed etiam S. sancti. III. Quia certa est spes resurrectionis.

GENEALOGIA IASONIS.

Enarea.

1 Salmoneus.	1 Creteus.
2 Tyro.	2. Æson.
3 Pelias	3 Iason.

IN

IN LIBRVM XLII. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

Et posthac.)

PLVTARCHVS in vita Crassi: Crassus locupletissimus Romanorum princeps intulit bellum Parthis vna cum filio, tantum fiducia suarum opum & quadam auaritia, qua inhiabat eorum bonis. Sed propter multas causas præsertim propter profanationem templi Iudaici vna cum multis ciuibus Romanis est interfectus. De his lege Plutarchum in vita Crassi.

REGES LATINORVM XV.

1	Æneas	Regnauit annos.	3
2	Ascanius		34
3	Syluius		29
4	Æneas Syluius		31
5	Latinus Syluius		50
6	Alba Syluius		39
7	Athis Syluis		24
8	Capys Syluius		28
9	Calpetus Syluius		13
10	Tiberinus Syluius		8
11	Agrippa Syluius		40
12	Alladius Syluius		19
13	Auentinus Syluius		37
14	Procas Syluius		23
15	Amulius Syluius frater Numitoris		44

REGES ROMANORVM.

1	*Romulus*	*Regnauit annos,*	37
2	*Numa*		43
3	*Tullus Hostilius*		32
4	*Arcus Martius*		24
5	*Tarquinius Priscus*		38
6	*Seruius Tullus.*		44
7	*L. Tarquinius Superbus.*		25

Huius filius ſtuprauit Lucretiam.

IN LIBRVM XLIII. HISTORIARVM IVSTINI,

Commentarius Victorini Strigelij.

Vt Saturnalibus.)

SATVRNALIA celebrata Romæ 14. Calend. Ianuarij, id eſt 19. Decembris. Macrobius lib. 1. Saturnaliorum cap. 10.

Troia à Græcis expugnata.)

Annis ante vrbem conditam 432. die 24. April. ante Chriſtum natum 1183. Plutarchus in Camillo.

Seneca: Calamitas virtutis occaſio,

Statimq́; bello exceptus.)

LIVIVS: Sapientis Reipub. eſt in pace cogitare de bello. Hoc multo verius ad Eccleſiam accommodari poteſt, quę etiamſi habeat aliqua halcyonia: tamen ſemper futuras commentetur miſerias, quod ſi ſecus euenit, id habendum eſt pro lucro, vt inquit Poëta.

IN LIBRVM XLIV. ET POSTREMVM HISTORIARVM IVSTINI.

Commentarius Victorini Strigelij.

Hispania, sicuti Europæ terminos.)

HISPANIA omnis olim diuisa est in vlteriorem & citeriorẽ. Citerior appellata est Tarraconensis, hebraica appellatione vt aliqui volůt, à boum possessione (Dor Chaldaice bos, Cana, id est, possedit. Hinc Cain nomen habet.)

Vlterior in duas prouincias diuisa est, quarum vna est Bætica, sic dicta à fluuio Bæto: Altera Lusitania à Luso socio Bachi, vt narrat Plinius. Ea prouincia hodie Portugallia appellatur, quasi portus Gallorum.

Hæc vetus partitio Hispaniæ, in Bæticam, Lusitaniam, & Tarraconẽsem, digna est consideratione propter veterum lectionem, à quibus sepenumero vsurpantur hæ prouinciarum Hispaniæ appellationes.

EPI-

EPILOGVS COMmentationum in Iustinum.

QVEMADMODVM musici quædam carmina sic modulantur, vt finis cum principio congruat: ita nos in Epilogo commentationum in Epitomen Iustini pauca admodum repetemus ex ijs, quæ in vestibulo tradita sunt.

Primum igitur Deo gratiæ agēdæ sunt, quod continuam historiam de ecclesia & de imperijs scribi voluit, eamq; inter tot mutationes rerum humanarum conseruauit. Nam euentus ecclesiæ & imperiorum à condito mundo vsque ad Monarchiam Persicā à Moyse & reliquis Prophetis optima fide in literas relati sunt. Deinde Herodotus, Thucydides & Xenophon res Persicas illustrarunt. Res verò Græcas & Romanas Diodorus Siculus, Polybius, Liuius & multi alij memoriæ prodiderunt. Hoc ingens beneficium agnoscamus ac grati prędicemus, ac semper cum reliquis doctrinæ studijs lectionem historiarum coniungamus, qua post habita necesse est homines in summo errore atq; in maximarum rerum ignoratione versari. Nam homines destituti cognitione historiarum, non cogitant fuisse aliquod mundi initium, sed infinitam æternitatem generis humani imaginantur. Ignorant etiam, quæ prior, quæ posterior doctrina

fuerit, & quibus testimonijs se DEVS patefecerit; quando instet resurrectio & finis harum miseriarum ecclesiæ. Hæ tãtæ res prorsus ignotæ essent, nisi ordinem annorum mundi & Monarchiarum seriem consideraremus. Non est igitur obscurum, quam necessaria sit historiæ cognitio.

Deinde Vtilitates huius lectionis omnibus in conspectu sint. Primùm enim collatio euẽtuum, qui recitantur in historijs Ethnicis, cum prædictionibus nostrorum vatum; valde confirmat animos, ne dubitent de certitudine doctrinæ à Deo per Prophetas traditæ. Cum enim euentus accuratè respondeant vaticinijs Propheticis, non dubium est & reliquam doctrinã horum vatum diuinam esse. Accedit illa quoque vtilitas, quod historiæ formãt iudicium de maximis rebus. Huius vtilitatis testes sunt Demosthenes & Scipio, quorum ille Thucydidẽ octies descripsit: hic Xenophontem nunquam de manu deposuit. Maximè vero perspicuam vtilitatem moribus afferunt, quia virtutum & vitiorum illustria exempla proponunt; & commemorationem horribilium pœnarum, quæ sceleratos oppresserunt, vt nos ad iustitiam flectant. Quid dicam de orationibus, in quorum scriptis historiæ velut gemmæ insignes eminẽt. Hęc cùm ita sint, non tantum legantur historiæ, sed etiam ad vsum accommodentur in magnis rebus iudicandis, in regendis moribus, denique in exercitio styli.

INDEX RERVM IN HOC COMMENTARIO memorabilium.

Archi-

Cri-

Equus

Lace-

M.Ci-

N

Noua

Ptole-

Theseus